122570

THEOLOGIA
DOGMATICO-SCHOLASTICA
TOMUS PRIMUS.

JOANNIS BAPTISTAE GENER S. J.

THEOLOGI HISPANI

THEOLOGIA

DOGMATICO-SCHOLASTICA

PERPETUIS

PROLUSIONIBUS POLEMICIS HISTORICO-CRITICIS

NECNON

SACRAE ANTIQUITATIS MONUMENTIS

ILLUSTRATA

TOMUS PRIMUS

PRODROMOS AD THEOLOGIAM COMPLECTENS.

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
R286
Los Gatos, Calif.

ROMAE MDCCLXVII.

IN TYPOGRAPHEO S. MICHAELIS AD RIPAM.

SUMPTIBUS VENANTII MONALDINI BIBLIOPOLAE IN VIA CURSUS

ET PAULLI JUNCHI TYPOGRAPHI.

PRAESIDIBUS ADPROBANTIBUS.

49203

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/theologiadogmati01gene

ANGELICO JUVENI

S. ALOYSIO GONZAGAE

E SOCIETATE JESU.

HERE omnes, qui aliquod Opus propriis ſumptibus excudendum curant, illud principibus viris inſcribunt, quo & Operi ipſi decus, & ſibi praeſidium conquirant. Nos vero diſsimili conſilio quum Jo: Baptiſtae Genér Viri ex S. J. doctiſsimi, & eximia eruditione tum ſacra tum prophana praeſtantis, Theologiam Dogmatico-Scholaſticam perpetuis proluſionibus Polemicis Hiſtorico-Criticis, necnon ſacrae Antiquitatis Monumentis illuſtratam, noſtro aere imprimendam curaverimus, hanc Angelico Juveni ALOYSIO GONZAGAE nuncupandam duximus. Hujus autem deliberationis noſtrae chri-

ſtiano Lectori non eſt profecto cur pluribus rationem perſuadeamus. Is enim a nobis nunc quaeritur Maecenas, quem nemo dubitare poſsit, quin omnes optimi Maecenatis partes impleturus ſit, unde & Operi decus & nobis metipſis praeſidium ſperemus; atque illud praeſertim praeſidii genus, quod a nemine mortalium cuiquam clienti praeſtari poſſit. Quanta enim apud Deum, a quo bona omnia tamquam ab origine in homines proficiſcuntur, Angelicus hic juvenis gratia valeat, nemo eſt qui ignoret, quum ferme nemo hoc praeſertim tempore inveniri poſsit, qui ejus ſingularem ac prope profuſam in clientes cultoreſque ſuos Beneficentiam expertus non ſit. Non ſolum tota Italia, atque Europa, ſed etiam in remotiſsimis utriuſque Americae regionibus ALOYSII nomen pervagatum eſt, & patratis tot tamque inuſitatis prodigiis illuſtre. Jam ad illum tamquam ad divinae Omnipotentiae, ſi ita loqui fas eſt, arbitrum undique concurritur; ejus arae incredibili confluentium frequentia ſtipantur; ejus auxilium ab omnibus imploratur. Ne-

que vero fruſtra; quod tot anathemata ejus Altaribus atque Imaginibus adfixa in perpetuum adceptorum beneficiorum Monumentum ſatis ſuperque declarant. Prodigiorum vero ſpecies, & genera qualia, & quanta ſunt? Mittimus hoc loco commemorare tot a deſperatiſsimis morbis liberatos, tot ab interitu pene ipſo ereptos, tot praeſertim ab inquinatiſsima vita, & perditiſsimis moribus ad bonam, ut ajunt, frugem, atque ad honeſtam vitam vivendi rationem praeter omnem expectationem traductos. Quod quidem prodigii genus omnino ſingulare jure optimo exiſtimatur. Difficillimum enim eſt, & quod ſine praecipuo Dei miſerentis auxilio impetrari non poteſt, prope inolitam naturae ac longa peccandi licentia corroboratam conſuetudinem tollere, atque efficere ut ex coeno quis emergat, in quo perdiu jacuit miſere conſepultus. Verum haec aliaque hujuſmodi prodigia miſſa facimus, quamquam per ſe magna atque illuſtria. Illud vero prodigii genus tacere quis poſsit & ſpecie ſummum, & frequentia prope quotidianum, & ita il-

li proprium, ut cum aliis Sanctis Viris commune non ſit? Admirabilem illam dicimus cujuslibet generis annonae ad tenuiorum levamentum, ſubſidiumque multiplicationem. Sed ne longius progrediamur, atque etiam de Opere ipſo aliquid breviter adtingamus, quum Opus ipſum perfectum ab Authore ſit in Romano Collegio, ubi & diu vixit Angelicus Juvenis, & Theologiae operam dedit, & ſanctiſsime deceſsit, & ſacri ejus cineres adſervantur, his etiam tot tantiſque nominibus illi erat a nobis inſcribendum, ut quod opus Angelico Juveni adceptum ab Authore refertur, eidem ab Editoribus redderetur. Quare ne longius quam par eſt progrediatur Oratio, finem facimus, & Te, ſanctiſsime, atque Angelice Adoleſcens, obſecramus, obteſtamurque, ut hanc Clientum, Cultorumque tuorum qualiſcumque voluntatis teſtificationem ne reſpuas, immo vero ut a ſincero animo profectam libenter adceptes, noſque una cum Opere ipſo potenti tuo patrocinio tuearis.

Addictiſſimi atque humillimi Clientes tui
Joſeph Ant. Monaldini & Paullus Junchi.

LAURENTIUS RICCI

Praepoſitus Generalis Societatis Jesu.

CUm Opus, cui titulus, Jo: *Baptiſtae Genèr* S. J. *Theologia Dogmatico-Scholaſtica, perpetuis Proluſionibus Polemicis Hiſtorico-Criticis, necnon ſacrae Antiquitatis Monumentis illuſtrata*, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, ſi iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus.

Romae die 23. Octobris 1765.

Laurentius Ricci.

Loco ✠ Sigilli.

ADPROBATIO.

CUm *Universae Theologiae Dogmatico-Scholasticae* &c. volumen I. a R. adm. P. Joanne Baptista Genèr, Hispano S. J. elucubratum, ad religionis, morumque trutinam, Rmo P. S. A. P. Magistro Thoma Augustino Ricchinio mandante, recenserem, nihil prorsus offendi, quod Ethicae christianae sanctimoniam laedere possit, aut orthodoxam veritatem temerare; plura immo, quae scientissimi Authoris profundam doctrinam, subactum ingenium, summam eruditionem, castigatam criticen produnt, evincunt, commendant: omnia quae maximam adferunt utilitatem, atque emolumentum. Interest quippe Primae S. Sedis jurium (1), & Ecclesiae ipsius (2) Scholasticae Theologiae authoritatem adserere, eamque sive a neglectu, sive a contemptu strenue vindicare: Orthodoxis confert, primorum Seculorum haereses, a quibus reliquae pullularunt, perspectas habere, quod nempe *victoria sit vel ipsas manifestare* (3): expedit denique Theologiae sacrae cultoribus proprium armamentarium agnoscere (4), exactam, quae in Authoribus aliis (5) desideratur, Academiarum orbis, & librorum etiam, quos consulere possint, notitiam comparare (6); quorum singula, inter alia quoque lectu scituque digna, authoritatum, & rationum pondere, critice severa, methodo miranda, dispositione concinna perficit eruditus Author prodromis tribus, quibus absolvitur opus. Quae cum ita sint, aequum existimo, ut in Reipublicae literariae commodum lucis usura donetur. Ita &c. salvis &c.

Ex Domo S. Laurentii in Lucina Romae Non. Febr. 1767.

Joseph Vasco Cleric. Regul. Min. Ex-general. & S. Indicis Congreg. Consultor.

ADPRO-

(1) *Joan. Franc. Buddeus* Isagoge historico-Theolog. Tom. I. Lib. II. Cap. V. ad §. 5.

(2) *Melch. Canus* de loc. Theolog. L. VIII. Cap. I.

(3) *S. Iren.* Lib. I. Cap. ult.

(4) *Canus* ibid. in Prooem.

(5) Ex. caus. in *Andr. Mendo* de Jure Academ. *Laur. Beyerl.* Theat. Vit. hum. V. *Academia*: *Jac. Middendorp.* de Academ. *Mich. Ant. Baudrand.* de Academ. *Joan. Bapt. Capaff.* Histor. Philos. *Joan. Launoj.* de Schol. celebr. a Carolo M. in Occid. instaurat. *Mich. a S. Joseph* Bibliograph. *Ignat. Hyacin. Amat. Graves.* Syllabo Academ. *Mannhart* Biblioth. manual. &c. &c.

(6) *Dan. Geor. Morhof.* Polyhist. liter.

ADPROBATIO.

TOmus hic praeliminaris ad Univerſam Theologiam Dogmatico-Scholaſticam, cum Hiſtoria Polemica ſociatam a R. P. Joanne Baptiſta Genèr Hiſpano Societatis Jeſu ſolertiſſime exaratus, quem juſſu Rmi P. Thom. Aug. Richinii Sac. Palat. Apoſtol. Magiſtri non minus adcurate, quam diligenter evolvi, non modo contra Fidem, & bonos Mores peccat nullibi, ſed etiam per omnia tuto inoffenſo pede decurrit. Ad haec Eruditus Author ſingula, quae hocce tomo complectitur, adeo perſpicue, ac ſolide pertractat, verſatque, ut tum ſacris literis, tum Sanctis Patribus, nec non primi ſubſellii Doctoribus adprime ſint conſona, adpareantque novis rationum momentis mirifice conſtabilita, claritatis nitore conſpicua, adcurata methodo digeſta, haud vulgaris eruditionis ubertate adſperſa, atque adeo ſtudioſis quibuslibet, praeſertim Theologis lectu, ſcituque perutilia: id quod cuiquam Commentarium aequo animo perlegenti palam fiet. Quocirca typis, ac publica luce in communem utilitatem dignum cenſeo. Atque huic utinam citiſſime, quam idem perdoctus Author heic delineatam profert, ac multorum vota expetunt, Theologia ſuccedat.

Romae ex Reg. Collegio Ord. Calceator. Ss. Trinitatis Redempt. Captiv. Kalendis Martii 1767.

Fr. Ludovicus Perez S. Theologiae Lector Emeritus, ac ejuſdem Collegii Rector.

ADPROBATIO.

PRODROMOS in universam Thelogiam Dogmatico-Scholasticam &c. ab A. R. P. Joan. Baptista Genèr, Hispano, lectissimo S. J. Theologo summa cum eruditione, ac diligentia conscriptos, jussu Rmi P. Magistri Sacri Palatii Thomae Augustini Ricchinii consulto, adcurateque perlegi. Nihil equidem hoc in opere irreligiosum, nihilque inhonestum deprehendere potui. Dignum mihi propterea videtur, quod ad majorem Christianae Ecclesiae utilitatem typis edatur. Romae ex Aracoeli XV. Kalendas Apriles A. 1767.

F. Ambrosius Erba de Mediolano O. M. Lector Jubilatus, Sacrae Indicis Congregationis Consultor, & Apostolicus Cleri Romani Examinator.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Domin. Jordani Archiep. Nicom. Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thom. August. Ricchinius Ordin. Praedicat. Sac. Palat. Apost. Magister.

PRAE-



PRAEFATIO GENERALIS.

ET RATIO TOTIUS OPERIS.

ROmanis formis meam libero fidem, quam Genuenſibus de edenda praenotata Theologia non ita pridem obſtrinxeram (*a*). Et haec quidem illa Theologia eſt, quae primum concepta in gratiam meorum Scholae Diſcipulorum in modum breviſſimi unius, totiuſque Scholaſtices Adſertorum Syſtematis; aucta inſuper compendioſa totius pene Dogmatices diſciplina; adjectione tandem Sacro-Criticae Hiſtoriae, ac Sacrae Antiquitatis monumentorum in unum theologicae doctrinae corpus aut Syſtema digeſta, perfecta penitus eſt atque abſoluta. Hic ille *parvus fons, qui crevit in fluvium*: & quidem non ſomnianti cuiquam per viſum objectus; ut ille quondam Mardochaeo, ex *Eſth.* 10. 6., ſed plane re natus, adultus, & utcumque ad umbilicum perductus.

Ita-

(*a*) In *Scholaſtica vindicata* typis excuſa Genuae anno proxime elapſo 1766. in Praefatione Operis ac pluſrium commentariorum Conſpectu, §. *Primus inſcribitur*.

Itaque generatim commentarii noſtri theologici dici poſſunt *Dogmatici*, *Scholaſtici*, *Hiſtorici*, & *Antiquarii*, quoniam ſub eiſdem omnino inſcriptionibus, aut titulis inſimul Dogmaticen, Scholaſticen, Hiſtoriam Polemicam & Sacrae Antiquitatis monumenta comprehendunt: videlicet qua Dogmatici praecipua ſacrae Religionis dogmata ſtatuunt, probant, confirmant: qua Scholaſtici eadem penitiora Dogmata, una cum univerſa pene ſacra Doctrina ſolidis ac ſubtilibus quaeſtionibus elucidant: qua Antiquarii ipſa Dogmata ſacris monumentis exornata referant: qua Hiſtorici dum polemico-criticam haereſum aliorumque errorum a Religione contritorum notitiam praeſtant, obſcuri Dogmatis veritatem potiſſimum aperiunt & commendant. Haec porro noſtri Operis idea, quam perſpicuis notis explicare contendimus eo Symbolo, quod in fronte Libri ſubjicimus, ſuppoſito Lemmate *Dogma revelant & illuſtrant*.

Jam vero quid Dogmatice Theologo utilius & magis neceſſarium? Quid Scholaſtice pro elucidanda ſacra doctrina commodius, necnon ſubtilioribus ingeniis opportunius? Quid Critica ejus generis Hiſtoria & Sacra Re Antiquaria jucundius, noſtrique aevi palato magis adcommodatum? Quin etiam in hunc ſcopum adlaboravimus, ut Dogmatice noſtra conſtituat Theologum fundate, profundeque doctum; Scholaſtice ſubtiliter ac didactice ſapientem; Hiſtoria & Res Antiquaria perutiliter eruditum. Sub hiſce tribus & generalibus rerum Capitibus Commentarii noſtri perpetuo ac ſyſtematico curſu profluunt & hoc pacto docent.

Dogmatice dignitate prior Sancta Dogmata

pro-

profert; ex ſacris literis, Conciliis, Patribus confirmat; & ubi illa oportune ſufficiunt, documentis a re Antiquaria petitis illuſtrat. Et hoc quidem pacto Sacram Theologiam *Lapidariam*, ſeu latius *Dogmatico-Antiquariam* in unum quaſi corpus coactam, & in plura membra ordinate diſtinctam, tradere adnitimur; adnexis in ſede propria Inſcriptionibus, & reliquorum, quibus utimur, documentorum ectypis, una cum interpretationibus, ſeu notulis, ubi iis opus erit. Quo plane (quantum nobis licet) id primum tenuiſſimi ſpeciminis loco exſequimur, quod alios Eruditos, Doctioreſque Viros inferius ex animo adhortamur (*b*).

Tum Scholaſtice adceptum Dogma ſuis nitidis, ſubtilibuſque Quaeſtionibus elucidat, ejus arduitatem temperat, difficultatemque, ut credatur, quantum licet, emollit. Haec vero dum univerſam ac pene immenſam rei Scholaſticae cùm antiquae, tùm recentioris materiam Synoptice excurrit, in quaeſtionibus, quae viſae ſunt digniores, diutius immoratur; ubi illas, quae hodiernis Scholae moribus minus adcommodatae videntur, vel tantiſper quandoque delibat, vel conſulto prorſus omittit (quidquid contra ſcriptum ſit inferius p. 388.n.30.& 302.) Quin etiam (ſi quidquam nobis otii ſuperſit dum commentarii perpetuo fluxu typis committantur) in ſingulis quibuſque capitibus eas adnectet *Quaeſtiones Adpendices Hiſtoricas* in Proluſionibus praetermiſſas, aut non expenſas ac definitas, quae hac tempeſtate apud Scholae Theologos ac Scriptores vulgo agitantur, ne quid deſit in Commentariis noſtris ex iis, quae hodierni

(*b*) In hoc Tom.I. pag.319. num.113.

ni Eruditi Viri in Schola cupiunt, probantque.

Demum Hiſtoria Critico-Polemica (quae plerumque ceteris praeit, ſuaſque Diſſertationes primum adparat & abſolvit) dum in Singularibus Proluſionibus percenſet Critico Compendio haereſes, alioſque errores, vel procaciter, vel inculpate in ſancta Dogmata effuſos, hoc videtur prae ceteris Literatae Reipublicae bonum adferre; quod nempe praeſtet in unum quaſi corpus coactam Hiſtoriam Criticam, ſeu correctam & (quoad fieri potuit) adcuratam haereticorum, pluriumque utcumque Erronum in Sancta Dogmata, relatis & ad trutinam revocatis uniuſcujuſque erroribus.

Etenim paucis dici nequit quantum Critices, & adcurationis ut plurimum recitandis erroribus deſiderari liceat in iis recentibus Authoribus, quos vulgo *Haereſeologos* adpellamus: ſane qui ſingulos ſedulo evolvas, perfrequenter ediſces, hos juniores ex aliis fere aequalibus rem exſcripſiſſe, quin animum induxerint ad primores, ac legitimos fontes mentem, calamumque convertere: quis autem prudens ſciens ejuſmodi Scriptorum decretis ſe commiſerit, hoc praeſertim Aevo, quo ſingula quaeque hiſtorica facta ad amuſſim expenſa quaeruntur? His ergo perdifficilem hanc provinciam adgreſſi pro noſtra tenuitate, quantum licuit, fecimus ſatis. Praeterquam quod, ex Hieronymo... *Haereſes ſuam ad originem revocaſſe, refutaſſe eſt.* Quin etiam ita Profeſſoribus adparamus promptuarium, unde veros errorum Authores ſuis exornandis praelectionibus tuto depromere poſſint. De fructibus tandem, quos ex haereſum, aliorumque

erro-

errorum Hiſtoria excerpere poſſis, plura inter alios Nourryus (*c*).

Quod ſpectat univerſim Commentariorum noſtrorum characteres, videlicet indolem, Syſtema, methodum, ſtilum, & ceteras conditiones; praeterquam quod plura de iis alias in hoc Volumine (*d*) differimus, haec in praeſentiarum ſtrictim praemonere juvat.

Principio Dogmaticen & Scholaſticen preſſiore ſtilo verſamus perpetuo; Hiſtoriam vero Critico-Polemicam longe fuſiore; ita enim, ut ego quidem arbitror, natura rerum exigit. Quo fit etiam, ut ubi ſtudioſus poſt ſubtiles, ſpinoſaſque quaeſtiones, quibus fit profunde doctus, ad Proluſiones Polemicas devenerit, ea materiae, ſtilique amoenitate, quibus fit Eruditus, delectatus, animum recreet, & ſpiritum reſumat, indeque viam ad ſerias, profundaſque agitandas quaeſtiones alacrius capeſſat.

Deinde in Commentariis mere Dogmaticis, Scholaſticis, ac Hiſtoricis occurrunt non raro & ventilantur Quaeſtiones Polemicae (*e*); tum quandoque Morales (*f*); ſcilicet ob earum cum re dogmatico-Scholaſtica connexionem; ſunt enim ejuſmodi Theologiae inſtar gentium finitimarum, quae intra ſuos fines non ita ſe continent, ut non haec in illam aliquando excurrat; ſeu duorum inſtar fluminum, eodem alveo currentium, quae ſe non

c mo-

(*c*) In Diſſ. 1. de II. Eccleſ. Seculi Scriptoribus Cap. X. Art. I.

(*d*) Prodr. II. a pag. 216. & Prodrom. III. pag. 387. a num. 299.

(*e*) E. g. in hoc Tomo, Prodr. III. Prolegom. II. ubi de Judice Controverſiarum fidei, & Part. III. Tract. II. Lib. I. Cap. I. §. V. ubi de Regulis Fidei, & alias.

(*f*) E. g. Part. III. Tract. III. Lib. II. Cap. IV. ubi de Conſcientia probabili, erronea, ſcrupuloſa &c.

modo contingunt, ſed aquas interdum ſuas permiſcent.

Inſuper ubi Dogmaticum & Scholaſticum ago, ſub hiſce Regulis aut conditionibus mihi rem meam perſequi conſtitui.

Nimirum, etſi ſummopere brevitatem amo, ut vero univerſim Lectorum omnium captui proſpiciam, nec fuſius res explico, ne pariam nauſeam, nec nimis laconice, ut vitem obſcuritatem; ſed via tamen media progredior, quantum ratio Synopſeos patiatur; illis attamen methodo, partiumque diſtributioni perpetuo intentus, etiam quoad typographicos characteres, quae mihi potiſſimum idoneae viſae ſunt ad conciliandum in tanta rerum congerie tum Operi, tum Lectori preſpicuitatem.

Superſedeo frequentius Prolegomenis ad quaſlibet fere theſes praefigi ſolitis; tum quidem ut conſulam Synopſeos brevitati, tum ut fluat Opus; ſed eorum tamen nucleum innuo, vel in quaeſtionis aut theſis propoſitione, vel in probationibus, vel in objectionum ſolutione.

In Scholaſtices tractationibus aliorum ſententias & reſponſa rarius impugno, tum ut ita nitidius fluant methodus ac ſtilus Operis abſque Lectorum perturbatione; tum quia certus ſum, nullum hucuſque praeluxiſſe argumentum, cui pleraeque ſolutiones non illico ſuppetierint: ea propter Theologia noſtra potius Adſertoria & Propugnatrix dicenda videtur, quam Oppugnatrix & Offendens.

Do frequenter prolixius Objectiones, quibus proponendis, ſolvendiſque eam perſequor methodum (majoris brevitatis gratia) quam Alenſis,

An-

Angelicus, & plerique antiqui, tum non pauci e Recentibus obſervarunt; expertus utique, eas, quae alicui nullam ingerunt difficultatem, alii plurimam parere: tum etiam quia earum ſolutionibus oppugnati Adſerti veritas firmius nitidiuſque denuo confirmata luceſcit. Nec in eis quidem difficultates, gravioris praeſertim momenti praetermitto; earum nervos oſtendo, & quanta poſſim perſpicua ſoliditate brevi diſſolvo: quin deinceps parcam, quum opus ſit, explicationi aliquanto uberiori, praeſertim ubi ſat frequenter intendo novae rationis, modi, ſeu vocis acceſſione rem obſcuram claritate donare.

Authorum teſtimonia, ſeu citationes, quas quidem maxima ex parte in fonte, ut ajunt, legimus & contrectavimus, paſſim adducimus, ut demonſtremus fontes, unde ipſi ebibimus ad hocce mare magnum percurrendum, indeque Lectores quandocumque arrideat plenioribus hauſtibus tuto bibant; eas tamen haud integras plerumque exſcribimus, ſed frequentius duntaxat indicamus; ne videlicet ſimus ad nauſeam prolixiores; ac Epitomen unam ad perplura ſat ſpiſſa volumina protendamus. Quid vero religioni duxero ſingula Authorum verba recudere, quum nihil aliud ex iis poſſis extundere praeter id unum quod ipſe adſerui, dum nihil ulterius a me laudati Authores proferunt, quam quod ego produxerim? Quid paginas meas alienis ſcriptis inaniter infarciam? Quid ſponte mea, dimiſſo Authoris munere, in moleſtiſſimum, nec admodum clarum perpetui Tranſcriptoris officium miſere adducar?

Ergo (quidquid ſecus alii cum laude ſen-

tiant, & exſequantur apud & cum noviſſimo ac eruditiſſimo *Arceſilao Commophio* in Philoſophicis Inſtitutionibus Volum. I. ubi primum ſtudioſam Juventutem ſalutat) mihi in praeſentiarum praenotaſſe ſufficiat, citationes quaslibet ad rem propoſitam in meis Commentariis perquam fideliter indicari.

In re Scholaſtica & Hiſtorica eas mihi opiniones ſeligendas, ac illuſtrandas conſtitui, quae meo judicio robuſtiori ſuffultae rationis, vel authoritatis momento, perpenſis omnibus, viſae ſunt. Alios ut plurimum, & quidem probatiſſimae doctrinae ac eruditioni Viros, ut Duces & Magiſtros conſector, ubi nempe rem ipſi adſequuti mihi videntur. Nec raro tamen meum ſenſum aperio, promoveo, urgeo; quum nempe ipſe mihi potiſſimum probatur, ſubindeque alieno ingenue adquieſcere nefas eſt. Ne quis autem hanc mihi libertatem, aut potius ſinceritatem, vitio vertat, illud prae oculis habeat clariſſimi Theologi Cani cunctis bene Sapientibus probatiſſimum effatum (g) *Theologo nihil eſt neceſſe in cujuſquam jurare leges: majus enim eſt opus atque praeſtantius ad quod ipſe tendit, quam ut Magiſtri debeat veſtigiis ſemper inſiſtere; ſiquidem eſt futurus Theologiae laude perfectus*; & ei quidem ſuccinit clarus ille Theologus *Ludov. Carbonius*, ita in hanc rem differens (h) *placuit itaque ſemper mihi illud, quod Sapientes Viri memoriae prodiderunt (i): nemini magis credendum eſſe, quam rationi, & ei, quae viſa fuerit probabi-*

lior:

(g) De Loc. l. 12. in Prooem.

(h) In Introduct. in Theologiam l. 1. c. 10. ſub fin.

(i) Videlicet *Cicero* lib. de Fato, *Plato*, *Clemen. Alexan.* ſic ab ipſo laudati.

lior : in illis intellige rebus , in quibus divina non praevalet authoritas , ſed ſola ratio eſt dicendi regula.

Porro hiſce lucubrationibus docere Lectorem percupimus ac erudire , non incaſſum delectare ; mentibus perſuadere , non ſenſibus adblandiri ; cum Theologis diſputare , non cum Rethoribus Oratoria arte differere : iccirco ſimplicem , planumque ſermonem noſtrum non Eloquentiae nitore , phaleris , lenociniis exornavimus ; immo potius communioribus verbis ac periodis , omnium captui adcommodatis , tum ſolida doctrina , regulis ad amuſſim expenſis , nervoſiſque ratiociniis communire adnixi ſumus ; *Auguſtinum* utique ſectati , qui (*k*) ſui , omniumque de rebus Theologicis Diſſertatorum nomine perſcite dixit , *mundanis Scriptoribus cura eſt de verbis , nobis autem de rebus* ; tum antiquiorem *L. Ann. Senecam* ita feſtive perſcribentem ad Lucillum (*l*) : „ nimis anxium eſſe te circa ver-
„ ba & compoſitionem , mi Lucilli , nolo : cujus
„ enim orationem videris ſollicitam & politam ,
„ ſcito animum quoque non minus eſſe puſillis
„ occupatum . Magnus ille remiſſius loquitur ac
„ ſecurius : quaecumque dicit plus habet fiduciae ,
„ quam curae . Noſti complures Juvenes barba &
„ coma nitidos , de capſula totos : nil ab illis ſpe-
„ raveris forte , nil ſolidum . Oratio vultus animi
„ eſt : ſi circumtonſa eſt , & fucata , & manufacta ,
„ oſtendit illum non eſſe ſincerum , & habere ali-
„ quid fracti . Non eſt ornamentum virile concin-
„ nitas . Haec Cordubenſis Philoſophus , cui accinnere non dubitavit eloquentiſſimus Chryſologus , inquiens (*m*) *verborum floſculos non quae-*

 ramus :

(*k*) Lib. contra Adimantium c. 11. (*l*) Epiſt. 115. (*m*) Serm. 18.

ramus : qui maturitatis fructum quaerit , despicit amoena camporum . Pluribus rationem de hoc plano ac pertenui stilo inferius confirmamus (*n*) .

Ex quibus omnibus in dubium minime revocavero , quin ejusmodi Commentarii non modo Dogmatico-Scholasticis Theologis , verum etiam plurium Disciplinarum studiosis uberem , amoenam, jucundam, utilemque materiem passim offerat.

Quid plura ? Frequenti & adcurata Operis lectione cetera notatu digna docebere. Si quid autem lectionis decursu laude dignum repereris, Dei est ; si quid imperfectum , omnino meum : illud ergo in Aeternam Sapientiam referas ; hoc autem & corrigas , & mihi propter ingenii imbecillitatem erranti perhumaniter condones ; quippe qui eo animo universam Theologicam doctrinam hisce qualibuscumque Commentariis , summo labore partis , exposui , ut omnibus , Deo Auspice , quoad licuerit inservirem.

Hactenus de Praefatione generali & ratione totius Operis , quod dum haec scribimus jam prelo committitur.

PRAE-

(*n*) Hoc tom. I. pagg. 82. 83. 84. ubi etiam de opportuno usu vocum Scholae , quas dicunt *facultativas*.

PRAELOQUIUM

AD HUNC TOMUM PRAELIMINAREM.

Ernis exornandam Prodromis duximus viam, qua ſtudioſos Theologiae ad ſacroſanctae Diſciplinae penetralia perducere conſtituimus: & quidem circa ſingulos paucis Lectorem moramur.

Itaque ex iis Prodromus I. exhibet Apologiam pro Scholaſtice, ſecundo editam, & quidem caſtigatiorem & pluribus locupletiorem; etiam adnotatis plerumque iis claris Viris, qui ulteriora documenta, conſtruendo praeſertim Supplemento eidem Apologiae adjecto, pro ſua eruditione ac humanitate nobiſcum communicarunt; quemadmodum promiſſum reliquimus in prioris Editionis Praefatione (*a*). Hujuſce Apologeticae Diſſertationis, in IV. Capita diſtributae, Materiem, Scopum, Methodum rurſus ita paucis explico. Scholaſtices gratia Capite I. *Hiſtoriographum* ago, Capite II. *Encomiaſten*, Capite III. *Belligerum*, ſeu *Polemicum*, Capite IV. *Nomenclatorem*; tota Diſſertatione *Vindicem*, hoc eſt *Scholaſticum Chronologico-Critico-Apologiſtam*.

Et quidem Tractatum hunc Apologeticum primo loco, praeter ordinem (quem methodus poſtulare videtur ſub Prodromi III. Prolegomeno III. ubi pro dignitate, ac ordine ſummopere conſequenti de Scholaſtice ſermonem inſtituimus) praemittendum conſulto duximus. Equidem quum idem pene ex integro chronologicus ſit, hiſtoricus & criticus, cunctis ipſe Eruditionis ſtudioſis, & non modo Theologis, utilis eſſe poteſt ac perjucundus: atque adeo ut illi ad lectionem invitentur, e re fuit eum primum oculis objicere & commonſtrare, ſeorſim ab aliis Prodromis, qui duntaxat Theologos quoad ſubſtantiam ſpectant, quin etiam a laudato Prolegomeno III., quod ſolis Scholaſticis adparatum eſt & conſecratum.

Tum etiam hoc alio conſilio ita agendum nobiſcum conſtituimus. Ut nempe qui Apologema ſtudioſe evolverint, depulſis illico praejudiciis in veram Scholaſticen, ac in optimam eam tradendi excolendique rationem ſiniſtris avibus conceptis, vel eam alacri animo excolendam ſuſcipiant, vel ſaltem

(*a*) §. *Eundem inſuper*.

ſaltem benevolis ſtudiis proſequantur. Huic vero adſequendo fini congruentiorem ejuſmodi Apologemati ſedem in toto Volumine repereris nullam.

Prodromus II. praefert Syſtema noſtrae Theologiae, quod ſcilicet plane exprimunt primariae totius Operis Inſcriptiones aut Tituli; tum rationem methodi, connexionis & artificii, qua Syſtema conſtruendum duximus; necnon ſat amplam Bibliothecam Theologicam, ad Theologici Profeſſoris & Candidati inſtructionem ac eruditionem; ne videlicet ipſi, tantam tamque difficilem provinciam adgreſſuri, clariſſimos ex omni aetate & conditione Duces deſiderent.

Prodromus III. in Adparatu de Prolegomenis Theologiae, tribus capitibus, ſeu Prolegomenis comprehenſo, praevias edit Diſſertationes pro recte tradenda & comparanda Theologia, qua generatim accepta, qua ſpeciatim Dogmatica (& ſub hoc titulo conſulto tradimus compendio Regulas Fidei, ſeu Loca Theologica intrinſeca, quae ſub nomine vel epigraphe *Theologia Dogmatico-Polemica Fundamentalis* ſuperius rurſum commemoravimus pag. 193. & ſingulis quibuſque Theologis praediſcenda enixe commonuimus) ac deinceps qua ſpeciatim Scholaſtica; & quidem adjectis in unoquoque capite opportunis Proluſionibus Hiſtoricis: quo ſpecimen de reliquis toti Operi inſerendis habeatur.

Ad ſtilum quod ſpectat: in Prodromo I. uſui fuit nobis ſtilus plerumque ſolutus & laxior; res enim aut materia pene quaquaverſus hiſtorica eſt. In II. ſtilum ſubinde perſtringimus, quoniam in Schola Theologos Dogmatico-Scholaſticos jam loquimur. In III. jam brevior, jam amplior eſt, at nunquam, me judice, ſupervacue redundans; latior enim plerumque excurrit, ubi materiam mere doctrinalem, ſeu tradentem inſtitutiones aut praecepta, verſamus: preſſior vero quandocumque Scholaſtica concertatio cum hoſte occurrit.

Ad extremum conſulto in memoriam revoco (ut offendicula quaeque praevertam) praeclarum illud, & opportunum Apoſtoli monitum, *nolite ante tempus judicare* ex 1. *Cor.* 4. 5. Videlicet aequum, benevolumque Lectorem etiam atque etiam quaeſo, obteſtorque, ne ſuper iis, quae legerit, decretorium ferre velit judicium, quin prius omnino perſpectas habeat ſingulas quaſque praenotationes, aut animadverſiones, quae toto ſparſim praeliminari Volumine explicant

Au-

Authoris mentem ac ſcopum, & cujuſque argumenti rationem: ceteroqui non raro praeceps ac temerarius cenſor erit, dignuſque propterea, ut in eum cenſura, qua inconſulto libuit Authorem perſtringere, regeratur.

Quod ſi legitime, fraterneque ſcripta mea a docto quopiam Viro corrigantur (quemadmodum etiam atque etiam corrigi ulterius poſſunt, ea praeſertim quae rem Chronologicam & Hiſtoricam concernunt) dediſcam lubens, errata fatebor, male adſerta revocabo, ipſumque Correctorem, ubi mihi primum innotuerit, ſtudio ac animo perquam docili, ac diſcendi cupido ut Amicum diligam, ut Benefactorem complectar, ut Magiſtrum reverebor.

PRAE-

CONSPECTUS

TOMI PRIMI

ternos Prodromos ad Theologiam Dogmatico-Scholasticam complectentis.

PRODROMUS I.

DIssertatio Historico-Chronologico-Critico-Apologetica pro Theologia Scholastica, seu Speculatrice adversus Obtrectatores. *Pag.* 1

CAPUT I.

Scholastices Historia compendio adumbratur. *Ibidem.*
Scholasticae Controversiae. 20.
Controv. I. de novis Mendicantium Ordinum Institutis. 20.
Controv. II. de S. Thomae doctrina. 22.
Controv. III. de Ss. Deiparae Conceptione. 24.
Controv. IV. de Christi Sanguine, in triduo ejus Passionis effuso. 30.
Controv. V. de nonnullis Leonardi Lessii adsertis. 32.
Controv. VI. de Auxiliis divinae Gratiae. 33.
Controv. VII. de Unione Eucharistica adsumptiva, a Cardinali Cienfuegos evulgata. 38.
Controv. VIII. de Norisiano Systemate, a Bertio & aliis innovato. 39.

CAPUT II.

Scholastice perplurimis titulis commendatur. 44.
Scholastices Encomiastae, ac Vindices. 57.

CAPUT III.

Scholastices Obtrectatores refutantur. 65.
Scholastices Adversarii. 73.
Hispani Literati. 88.

CAPUT VI.

Syntagma Scholastices, prout ab Scholis publicis, privatisque recepta est & exculta, tum ab Authoribus quomodolibet illustrata. 102.
Syllabus I. Academiae. *Ibidem.*
Animadversiones Consectaneae. *Pag.* 130.
Syllabus II. Sacri Coetus Regulares & Seculares. 133.
Animadversiones Consectaneae. *Pag.* 138.
Observatio adpendix. 140.
Syllabus III. Authores Scholastici. 140.
Animadversiones Consectaneae. *Pag.* 188.
Clausula. 192.
Supplementum ad Prodrom. I. ex documentis noviſſime acceptis. 194.

In-

Index Alphabeticus Catholicorum Vindicum & Adversariorum Scholastices, necnon Literatorum Hispanorum; tum Academiarum, Sacrorum Coetuum, Authorumque Scholasticorum, de quibus in Prodromo, ejusque Supplemento singularis mentio habetur. 203.
Videlicet Scholastices Vindices. *Ibid. col.* 1.
Scholastices Adversarii. *Ibid. col.* 2.
Hispani Literati. 204.
Academiae. 205.
Sacri Coetus. 208.
Authores Scholastici. 209.

PRODROMUS II.

Systema Operis & Methodi ratio, necnon Bibliotheca Theologica ex Patribus, Scholasticis, aliisque Eruditis Theologis concinnata. 216.
Hic praestat singulos quosque praecipuos Titulos, & Prodromi III. & universae Theologiae nostrae, in Systemate descriptos.
Clausula. 283.

PRODROMUS III.

Adparatus de Prolegomenis Theologiae. 284.

Prolegomenon I.

De Theologia generatim. 284.
Prolusio Polemico-Historica de Erronibus in sacram quamlibet Theologiam. *Ibid.*
§. 1. de Theologiae Etymo, Notione, Ortu, Progressu. 286.
§. 11. de Theolgiae Divisionibus. 291.
§. 111. de Convenientia & Discrimine inter praedivisas Theologias. 299.
§. IV. de Subsidiis Rationis naturalis, Historiae, Critices, & Rei sacrae Antiquariae in Studiis Theologicis. 306.

Prolegomenon II.

De Theologia Dogmatica speciatim. 324.
Prolusio Polemica Historico-Critica de primis & praecipuis Haeresiarchis Dogmatices Hostibus per duo priora Christiana Secula. *Ibidem.*
§. 1. De Dogmatices Notione, Divisione, Ortu, Progressu. 333.
§. 11. de Dogmatices praestantia & Objecto. 337.
§. 111. de Sancto verae Religionis Dogmate. 338.
§. IV. de Anti-Dogmate, seu de errore Dogmati opposito. *Pag.* 349.

Prolegomenon III.

De Theologia Scholastica speciatim. 358.
Prolusio Historico-Critica de Theologiae Scholasticae Obtrectatoribus. *Ibidem.*
§. 1. de Scholastices Notione, Origine, Progressu. 367.
§. 11. de Scholastices Adtributis. 368.

§. 111.

§. III. de optima ratione tradendi Scholasticen. 376.
§. IV. de Divisione Scholarum & Systematum circa Scholasticen. 383.
§. V. de receptioribus in Scholasticen Systematis. 385.
§. VI. Nostrum Systema. 387.
Clausula. 391.

PRO-

PRODROMUS I.

DISSERTATIO

HISTORICO-CHRONOLOGICO-CRITICO-APOLOGETICA

PRO THEOLOGIA SCHOLASTICA, SEU SPECULATRICE ADVERSUS OBTRECTATORES.

EDITIO ALTERA,

secundis curis ab Authore castigata, & pluribus aucta.

CAPUT I.

Scolastices Historia compendio adumbratur.

SCHOLAE Theologia, seu Scholastica & Speculatrix, quam hocce Commentario vindicandam suscipimus, ea est sacra, fecunda, subtilisque Facultas, quae toto Orbe Latino a multis h[illegible]que aetatibus summo plausu floruer[illegible]. Et jure quidem optimo; est quippe Do[illegible]ina sacra, e revelatis Mysteriis deducta, dialectica methodo digesta, authoritatis rationisque vi communita, copiosis subtilibusque quaestionibus exornata: iis nempe & sacrosanctae Fidei veritates oppido elucidat, & scholares Ecclesiae alumnos mirifice innutrit, instituit, obarmat; cùm ad orthodoxa dogmata propugnanda, tùm ad haeresum adversus Fidem technas & cavillos affatim retundendos.

ARTICULUS I. *Theologia Scolastica gre[illegible]signita doctibus, & instructa muneribus, Apologematis scopus & materies.*

His porro de caussis Scholasticen hanc *a S. Joanne Damasceno*, Graeciae splendore, qui decessit an. Christi 731. (*a*), necnon *S. Anselmo*, Archi-praesule Cantuariensi, Italiae ornamento, qui vita functus est an. 1109. (*b*) adumbratam, nitida methodo ex SS. Patrum doctrina vel sententiis digestam concinnarunt primores illi Sapientes, qui eam XII. Christi Seculo fere medio Parisiis edidere. Et quidem ex iis plane Antesignanus habetur Vir ille doctissimus, patria Novariensis, & ex Theologiae Scholae Praeside, qui per ea tem.

II. *Scolasticaes pridem adumbratae prima Institutio & primi Conditores, quorum Antesignanus Petrus Lombardus: nec non eorum scopus.*

(*a*) De Fide orthod. libris iv.

(*b*) Lib. *Cur Deus Homo*, aliisque tractatibus Theologicis, quos continet tom. 1., operum S. Anselmi, quae *Gabriel Gerberonius* e Benedictina Congreg. S. Mauri adornavit, ediditque Parisiis 1676.

tempora *Scholasticus* vocabatur (*c*) Parisiensis Antistes, *Petrus Lombardus*, qui decessit an. 1164. die 20. Julii, ob suam vulgatam Theologiam *Magister Sententiarum & Scholasticorum* merito nuncupatus.

III. *Cognomen Scholastici diu viris doctrina, seu dignitate conspicuis attributum.*

Exinde vero qui hanc excoluere Theologiam *Scholastici* vulgo dicti sunt, quo quidem cognomine, tanquam perhonorifico jamdudum in Ecclesia recepto (*d*) donatos novimus *Eusebium*, Caesariensem Episcopum, qui fl. 320., *Socratem*, Constantinopolitanum, qui fl. sub Theodosio juniore, *Aurelium Prudentium*, sacrum nobilemque Poetam Caesaraugustanum, qui fl. sub Impp. Arcadio & Honorio, *Epiphanium*, gente Italum, Ticinensem Antistitem, Cassiodoro familiarem, qui fl. 510., *Evagrium*, Syrum genere, celeberrimum Historicum, qui fl. circiter 598.; quibus addito *Seraphim* Episcopum, *alias* Serapionem, qui (*e*) *ob elegantiam ingenii cognomen Scholastici meruit*, itidemque *Harmenopulum*, Nomocanonum Scriptorem, XII. Christi Seculo apud Graecos florentem. Quid? quod ejusmodi epithetum jam a primis Ecclesiae Seculis, & apud Graecos, & apud Latinos, non nisi viris perinsigni literatura conspicuis adscribebatur. Quin etiam eodem aliquando donati sunt Apostolici Protonotarii; tum illi, qui alicui adscripti collegio in Imperatoris aut Episcopi comitatu recenserentur (*f*). Ipsum igitur dignitatis & honoris caussa, & Theologia, qua de agimus, & quicumque eidem navarint operam, retulere (*g*).

IV. *Summa Theologica a Samuele Tajo pridem confecta communi adsensu excerpta non est, uti*

Profecto perdoctus *Samuel Tajo*, Hispanus, Caesaraugustae Antistes, clarus Theologus & Poeta, qui fl. vii. Christi Seculo, & obiit Pucrae an. 655., primus omnium res Theologicas methodice digessit; concinnavitque libros v. *sententiarum theologicarum*, ex Ss. Gregorii Magni & Augustini scriptis excerptarum: quam quidem collectionem testatur *Mabillonius* (*h*) se descriptam reperisse in Bibliothecae Thua-

(*c*) Ap. *Labbe* de Script. eccl. & *Oudin* in Comment. de Script. Eccles. ad sec. XII. in Dissert. de Petro Lombardo c. 1.

(*d*) Ut constat ex *Concil. Sardicensi* c. 13. *Macario* hom. 15. *Cod. Theodos.* leg. 2. cod. de lucris Advoc. Plura de vocabuli *Scholastikus* argumento dabunt *Baronius* in Martyrologii notis ad diem 6. Februarii, qua recitatur Theophili cujusdam *Scholastici* Martyrium; *Baluzius* in notis ad Salvianum; *Casaubonus* ad Maximinum Capitolini; *Paullus Galeardus*, Brixiensis Canonicus, in notis ad Epistolam Adelmanni de veritate Corporis & Sanguinis Domini ad Berengarium, qui nempe Adelmannus ibi dicitur ex *Scholastico* Leodiensi Episcopus Brixiensis, sub Epistolae initium: *Baillet* in Judiciis de Sapientibus tom. 1. cap. 1. §. 4.

(*e*) Ap. *Hieronym.* de Viris illustr. in Seraphim, seu Serapione.

(*f*) Ap. *Gilbert. Genebrard.* in Chron. ad an. Christi 498.

(*g*) *Caesar Egassius Bulaeus* in Historia Universitatis Parisiensis tomo 2. Dissert. 4. p. m. 584. sic disserit: *hoc quoque praesertim seculo* (Christiano XII.) SCHOLASTICAE *nomen invaluit, ejusque Professores* SCHOLASTICI *appellati; seu quia ex Philosophorum instituto eam discipulis in Schola tradebant; seu quia Scholasticorum more disputabant, altercabantur, quaestioneque movebant nullius aut exigui usus extra Scholam.* Enim vero divinatio haec ab Scholastices Obtrectatore profecta, nec nobis, nec aliis vulgo adprobatur.

(*h*) Tom. 2. vet. Analector. & ipsam rursus commemorat, praecipuos librorum titulos referens, in tr. de Stud. monast. p. 2. cap. 6. Super Tajum, ejusque laudatam Summam

Thuaneae Codice ante an. 800. exarato. Enim vero neſcimus, eam methodicam Samuelis Theologiam aduſque Lombardianum aevum apud theologicas Scholas invaluiſſe. Fuerit plane Samuel primus, qui rem cogitarit, at primus eſt Lombardus, quem communis Gentium plauſus excepit. Id quod pari omnino jure adſertum velim relate ad ſummas alias Scholaſticas, quas prae Lombardiana confeciſſe traduntur *Hildebertus* & *Hugo*, Cluniacenſes Monachi, ac deinde Archiepiſcopi (quorum nempe primus naturae debitum ſolvit an. circ. 1132.; alter vero ann. 1164.) quidquid eas claris praeconiis efferat *Legipontius*, ut inde Scholaſtices originem ac geneſim ſuo Benedictino Ordini adſcribat (*i*). Et iis inſuper addeſis ſummam ſententiarum *Hugonis Victorini*, fato functi 1140.

nec aliae ab Hildeberto ac utroque Hugone concinnatae.

V. *Rurſus Scolaſtices ſcopus ex primorum Inſtitutorum mente.*

Ea igitur praeſertim mente a Lombardo & ſapientiſſimo ſimul *Bandoino*, qui alter Scholaſtices Conditor ſalutatur (*k*) in eam ſeverae ac copioſae dialecticae methodum ſacra Theologia redacta eſt, ut ejus ſtudio orthodoxa ingenia ſolidius acuerentur ad ſtrenue revincendos Errores plurimos, qui ea tempeſtate ſpinoſis, ſubtilibuſque quaeſtionibus veneranda Fidei dogmata confutabant. Id aperte de ſe teſtatur Lombardus (*l*), idemque expreſſe fert *Genebrardus* (*m*).

VI. *Subtiles Haereſes Lombardiano aevo quaquaver ſus gliſcentes.*

Nimirum Graeci, Authore, ſeu errorum & ſchiſmatis dudum inſtauratore *Michaele Cerulario*, Conſtantinopolitano Patriarcha, ſcilicet an. circiter 1038., Spiritus S. a Filio proceſſionem momentis ſophiſticis impetebant: tum Berengariani edocti a *Berengario*, Andegavenſi Archidiacono, an. circiter 1047. & Petrobruſſiani a *Petro de Bruis*, Provinciali Gallo, adverſus Ss. Euchariſtiam, & alia Sacramenta, multa paradoxa curioſe ac temere effutiebant. Publiciani, Duce quodam *Paullo*, qui jam errores docuerat circiter 1110., una cum Bogomilis, Authore *Baſilio* Medico circiter 1118., per Orientem longe lateque graſſantes, Iconoclaſtiam alioſque nauſeoſiſſimos errores ſub ementitae pietatis larva profitebantur.

Gilbertus Porretanus, Pictavienſis Epiſcopus, qui fl. 1140., Dei perſonas & attributa cavillis, verborumque fuco exagitabat: *Petrus Abailardus*, qui tandem revocatis erroribus obiit Monachus Benedictinus 1142., ita diſputare, vulgo fertur ex Bernardo, ut cum de Trinitate ſermonem ageret, ſeſe Arianum; cum de Gratia, Pelagianum; cum de Chriſti Perſona, Neſtorianum proderet ac propalam demonſtaret. Quin & ii omnes ſpinoſis quibuſdam ſubtilitatibus innixi, Fidem ac Theologiam Philoſophiae, hoc eſt ancillae dominam

mam conſulendi praeter laudatum *Mabillon.* Cl. Nicol. *Antonius* in Bibli oth. veteri Hiſpana lib. 5. c. 7. a num. 422. necnon *Steph. Baluzius* in Miſcellaneis tomo IV. ubi recitat aliam Tajonis Epiſtolam ſuper ſua Theologica Summa ad Eugenium Epiſc. Toletanum, a p. m. 597.

(*i*) In Hiſt. de re Litteraria Ord. Benedictini par. 2. c. 1. ſect. 2. & alias.

(*k*) Ap. *Genebr.* cit. ad annum 1163.

(*l*) In lib. Sent. praefat

(*m*) In Chronogr. ad an. citat. 1163. quem fere exſcripſit *Gaulterius* in Chron. tab. ſec. XII. columna 12. ad ipſum an. 1163.

minam ſubſternere contendebant. His vero cunctis, paribuſque futuris monſtris ſubtiliter ac invicte proterendis, quaſi mente e coelo delapſa, Scholaſtice noſtra Eccleſia donata eſt (*).

VII. *Vix lucem adſpexit Scholaſtice, & magnopere propagata eſt.*

Ergo in eum finem & ſcopum enata Facultas, Lutetiae oppido exculta, quamcito adolevit; hinc alios Orbis Latini tractus pervagata mirifice excrevit; ac in Hiſpania demum, tanquam in ſcholaſtici acuminis Emporio, perfecta eſt. Tum & publicae Academiarum,

ADNOTATIO.

(*) REM aliter alii enarrant. *Gualterus*, ſeu *Walterus*, mox adpellandus, in Commentario Mſ. de IV. Franciae Labyrinthis quatuor Scholaſtice tunc recentiſſimae Anteſignanes adſcribit, nempe Petrum Abaelardum, Gilbertum Porretanum, Petrum Lombardum, Petrum Pictavinum: hoſque idem Facultatis Authores perſaepe probri loco *Scholaſticos* vocat, *garrulos*, *fantaſticos*, *theurales Doctores*. (Conf. *Bulaeum* in Hiſt. Univ. Pariſ. tom. 2. pag. 584.) ſed quid tamen a furente Scholaſtices & Scholaſticorum hoſte verius ac mitius expectandum?

De Scholaſtices geneſi, progreſſu, & legibus ita differit e Proteſtantium grege *Hemnitius* (in Examine Decret. Concil. Trident. de Indulgentiis p. m. 73.) „ tempore Longobardi .... caeperat in Scholis „ novum Theologiae genus circa an. Domini 1250. .... poſt annos centum vero „ circa Domini 1250. ſecuti ſunt qui „ in Longobardum ..... commentaria in „ Scholis dictare & conſcribere coeperunt, „ quos inde Scholaſticos Doctores & ſententiarios adpellarunt, qui omnia, quae „ quomodocumque in Eccleſiam tunc irrepſerant, diſputando, non ex Scriptura, „ nec etiam ex Patribus, ſed argumentationibus, conquiſitis omnis generis ſubtilitatibus defendere conabantur.

Animadvertis, lector, ſubdolum Acatholici hominis ingenium. Quippe Indulgentiarum dogma, quod odit, primaevorum Scholaſtices Profeſſorum commentum vocat: ut vero liquido ſubinferat, dogma illud non ex ſacris Literis, & Patrum traditione deſcendere, ſed ex captioſa ſubtilium hominum inventione, id, quod legis, Scholaſticis ex facultatis praeſcripto agendi munus iniquo animo imponit.

Danaeus (In ſuis ad lib. 1. ſentent. Prolegomenis) primae aetatis Scholaſtices initia ducit a celebratiſsimo Laufranco, qui porro ſaepe *Scholaſticus* vocatur. Eique conſentit *Georgius Hornius* (in Hiſtor. Philoſoph. l. 6. c. 2. & ſeqq.) inquiens: „ in „ Occidentali plaga primum gradum ad „ Scholaſticen ſtruxit Lanfrancus Papienſis, omnium ſui temporis in Dialectica „ doctiſsimus habitus „.

Caeſar Egaſſius Bulaeus (tom. 1. Hiſt. Sec. 111. p. m. 349.) ita Scholaſtices exordia deſcribit: „ Hujuſce autem Theologiae generis fatentur omnes cauſſam „ fuiſſe nimis curioſam Ariſtotelicae doctrinae lectionem, quae olim e Scholis „ praeſertim Theologicis omnino exulabat, teſte Beda .... At hoc ſeculo occaſione praeſertim Berenganianarum diſputationum coeperunt curioſi, & maxime „ illi, qui ei (*Berengario*) favebant, aut favere videbantur, Ariſtotelis Dialecticam „ in Scholas inducere. Unde etiam factum, ut qui primi novitate vocum & „ ſcholaticis argutiis inter exercitationes „ ſcholaſticas uſi ſunt, pro haereticis „ habiti ſint, Roſcelinus, Abaelardus, „ Lombardus, Gilbertus Porretanus, Petrus Pictavinus, & alii &c. „ Idem argumentum perſequitur in tom. 2. a p. m. 583.

Joannes Clericus (in ſua Arte Critica Volum. 1. cap. ....) hanc probri loco dedit Scholaſtice geneſim: „ Cum Occidentales Chriſtiani Ariſtotelis ſcripta terere „ & admirari coepiſſent, tum quoque coeperunt Peripatetica dogmata miſcere „ cum Scripturae decretis, atque ex illa mixtura, infinita conſectanea deducere, quibus conflata eſt Scholaſtica „ Theologia.

Sic porro Scriptores iſti, ac ſecus etiam alii; & ipſi quidem qua Scholaſtices familiares, qua adverſarii; nos nihiloſecius ex iis, quae probatiora & ad noſtrum inſtitutum aptiora, perpenſis omnibus viſa ſunt, Hiſtoriam in praeſentia procudimus.

rum, & privatae Regularium, ſecularíumque Theologorum coetuum Scholae, praelectionibus, literariis controverſiis, commentariis excolendam, uno omnium plauſu, procedentibus deinceps aetatibus exceperunt. Singula magnum, prolixumque id argumentum concernentia, ne praeſens oratio interturbetur, meliori conſilio dabunt Syllabi ſyntagmatis ſub Cap. IV. ad calcem ſubjecti (*n*).

VIII. *Epitomes librorum iv. Sententiarum commendatio.*

Eo perbrevi commentario, permagnis curis & laboribus parto, ſacram univerſam doctrinam, e divinis Codicibus, ſanctiſque Patribus, praeſertim latinis, & maxime Auguſtino depromtam, Lombardus complexus eſt: & quidem perpulchro ordine, dictione ſat ornata, nervoſo ratiocinio, ſtiloque frequentius oratorio, rarius dialectico. Suas communius adſerit ſententias, authoritate ac ratione communit, ab objectis vindicat. Quaeſtiones ſua aetate vigentes acute verſat; nec raro ipſis novas adnectit.

Multiplicem ipſe Theologum erudite perdocteque agit. In primis videlicet Dogmatico-Polemicum; ut cùm perſtringit acriter ſui aevi pſeudotheologos, quos ſuppreſſis nominibus ſaepe indicat; tum Arianos, Pelagianos, Berengarianos, pluresque ſimiles. Biblicum deinde ubi exponit methodice ſacra Biblia relate ad Univerſi creationem, ad Angeli hominiſque delictum, ad legem a Deo latam, pluraque ſacri Codicis argumenta. Ethicum praeterea, ſeu moralem, dum pertractat materias morum doctrinam ſpectantes, e. c. de peccatis, virtutibus, Sacramentis. Praecipue tandem Scholaſticum, ut cùm copioſe ſubtiliores ſparſim quaeſtiones exagitat; quibus nempe & illuſtrentur ſacra dogmata, & acuantur ingenia ad eadem adverſus Acatholicorum ſophiſmata protegenda: ac inde quidem ſapientiſſimus Lombardus Scholaſticae nominatim Theologiae dictus eſt Author, & Scholaſticorum Magiſter.

Neque vero in eodem adeo univerſali commentario nitidum & adſpectabile ſyſtema deſideraveris, libris IV. plurimiſque diſtinctionibus, ſeu capitibus & articulis comprehenſum. Quippe ſacram doctrinam ex Auguſtino diviſit primo in *Theologiam de rebus*, hoc eſt de iis, quae ſpeciatim non ſignificant, ut ſunt Deus, Angelus, Gratia &c., & *Theologiam de ſignis*, de iis videlicet, quae ſpeciatim ſignificant, ut Sacramenta. Res inſuper ſubdiviſit in res, quibus fruimur & non utimur; in res, quibus utimur & non fruimur; in res, quibus ntimur fruimurque: ac iſthaec verſat tribus libris quaſi tribus partibus; addito quarto de ſignis, aut Sacramentis; ſimulque coronidis loco de ſempiterno Juſtorum praemio, impiorumque ſupplicio. Et hoc Primum Scholaſticum Syſtema, quod quibuſque deinceps Theologis pro aliis efformandis normam dedit. Immo ipſum, vix natum, aliquot illius

(*n*) Plura his affinia pro ſimili argumento erudite profert *De Rubeis* parte altera Admonitionis praeviae ad tom. xvi. S. Th. §. iii. tum *Jo: Gautier* in Prodromo ad Theol. Dogmat. Schol. Diſ. 1. c. 2. ar. 2. necnon *Xaver. Mannhart.* in Biblioth. dom eſt. tom. 8. c. 2. §. 25.

illius aevi perdoctis Viris ſtimulos injecit, ut ſacram facultatem ſcholaſtica jam methodo illuſtrarent; puta *Richardo de S. Victore*, *Guillielmo Petroburgenſi*, *Fulgentio*, Benedictino Abbate, aliis (*o*).

IX. *Etſi quoad aliquot capita Magiſtri litera reprobata fuerit; at ipſa tamen millenis commentariis eſt illuſtrata.*

Porro nonnullae Lombardiani ſyſtematis opiniones jam tum oppugnatae ſunt a Magiſtro *Gualtero*, ſeu *Vvaltero*, Coenobii S. Victoris Pariſienſis Priore, qui clarebat an. circiter 1180. (*p*) Tum, neſcio quae refertur ejuſdem ſyſtematis propoſitio, quam Alexander P. III. a Willelmo Senonenſi Antiſtite proſcribendam curavit. (*q*) Poſtremo ſex ſupra viginti ſunt ex ipſo ſyſtemate articuli, qui a Pariſienſibus Theologis an. circiter 1300. improbati ſunt (*r*).

Quid tum vero? Opiniones Thomae Aquinatis, Henrici Gandavenſis, Cajetani, Catharini, Molinae, Leſſii, aliorumque celebriorum Doctorum ſunt quoque vehementer impugnatae: plures ex priſcis Patribus, alioqui clariſſima religionis lumina, non ſemel in rebus graviſſimis a vera ſemita aberrarunt: ipſe Doctorum Aquila Auguſtinus praeſtantiſſimo Retractationum exemplo ſaepe erraſſe confeſſus eſt: Scholarum Angelus Thomas haud raro ſententias alicubi adſertas alibi revocavit (*s*). Exinde tamen, quoniam innatus error naturam miſere lapſam ſubſequitur, perinſignium, quos memoravimus Doctorum authoritati nequidquam derogatum eſt.

Utut ergo res habeat in iis, quae Lombardo objectantur; nihil eorum obſtitit, quominus Scholae univerſim theologicae ejus doctrinam praelegandam excolendamque ſuſceperint; ipſamque ingens ac praeclariſſimus, cum *Alenſi*, *Alberto*, *Thoma*, *Scoto*, interpretum cenſus perpetuis Commentariis illuſtrarit: quo quidem firmius nihil & illuſtrius occurrit in tanti Magiſtri Theologiae commendationem; quidquid in opus, operiſque Authorem imperite juxta ac petu-

(*o*) De quibus & de eorum commentariis c. iv. Seculo Scholaſtico I. Ac idem pariter adnotatum volumus quoad reliquos fere cunctos Scholaſticos, toto hoc Capite laudandos; quibus nempe Caput IV. propriam reſpective ſedem & Scholaſticos commentarios marte proprio lucubratos aſſignat.

(*p*) Lib. contra iv. Franciae labyrinthos, qui Mſ. adſervabatur in ejuſd. Coenobii Biblioth., prout ex *Bulaeo* refert *Carolus Dupleſſi d'Argetrè*, Tutelenſ. Epiſc., in collectione judiciorum de novis erroribus tom. 1. ſub an. 1179. Cenſura tamen exceſſiſſe Gualterus vulgo accuſatur; ac ſpeciatim a laudato *Dupleſſio*. Equidem eorum Gualterus Coryphaeus erat, qui veteris ſimpliciorisque tradendae Theologiae methodi tenaces, immortale gerebant bellum adverſus Lombardum ejuſque aſſeclas novae Scholaſtices methodo addictos. Conſulitor *Caeſar Egaſſius Bulaeus* in Hiſt. Univ. Pariſ. Sec. IV. Differt. IV. Quin & idem ſic alias rem perſequitur: „ Ob novitatem hujuſce „ methodi non caruerunt haereſeos ſuſpi„ cione ejus Profeſſores, atque inter eos „ & veteres ſeu veteris inſtituti fautores „ exortum eſt immortale bellum: quippe „ illi, ut omnis novitas placet, ad ſe „ diſcipulos omnes traducebant, ingeniique „ praecellentioris & acutioris famam ob„ tinebant; iſti qui aliter edocti fuerant, „ non facile dedoceri ſe patiebantur, aut „ aut ignorantiae accuſari: hinc in Scho„ lis concertationes, extra Scholas famae „ detractiones, dum iſti ſtupidi & aſini, illi „ haeretici audiebant „. Sic ille p. m. 584.

(*q*) Ap. *Matth. Paris* Hiſtor. Anglicana majori ad ann. 1179.

(*r*) Ap. laudatum *Dupleſſium* pag. 118. ejuſdem tomi 1.

(*s*) Conf. Opuſc. 72. de Concordant. int. Opuſ. D. Thom.

petulanter deblaterent *Mornaeus*, *Gulielmus Caveus*, *Hennius*, *Vittenius*, aliique ejuſdem furfuris, non minus Catholicæ Fidei, quam Scholaſtice hoſtes Infenſi (*t*).

X. *Academiae Pariſienſ.*, *& Oxonienſis auſpicatiſſimum Scholaſtice exordium primo ſuo Seculo detulerunt : referuntur primores earum Scholaſtici.*

Pariſienſis itaque tum florens Academia prima fuit, quae Lombardi, ſui quondam praenobilis Alumni, Theologiam amplexa eſt; ac ſucceſſive quantocius Oxonienſis Anglicana. Incaluere utrobique animi; perilluſtris heic & illic erecta Cathedra, quam Magiſtri Cathedram dixere, adjecto honore ac onere ejuſdem ſententias praelegendi ac explanandi; inſtitutae literariae palaeſtrae; ingenioſae dialectico ritu concertationes excultae.

Ad praefervide promovendam Scholaſticen praelucebant utrobique, ſtimuloſque opera & ſcriptis injiciebant Theologi praeſtantiſſimi. Scilicet Pariſiis *Robertus de Melidumo*, inde Hereforderſis Antiſtes; *Gulielmus Autiſſiodorenſis*, poſtea infulatus Praeſul; *Petrus Pictavienſis*, Eccleſiae Pariſinae Cancellarius; *Petrus* cognomento *Cantor*, quod dignitate Cantor eſſet in Pariſienſi B. Mariae Eccleſia, deinde Fornacenſis Epiſcopus electus; *Robertus de Flamesburia*, Canonicus Reg. Auguſtinenſis, & in S. Victoris Coenobio Poenitentiarius Pariſinus, qui fl. 1198. Oxonii vero *Bartholomaeus*, Oxonienſis deinde Antiſtes, qui vitam agebat 1180; *Odo de Cheritona*, qui fl. 1184; *Richardus* Hagulſtadenſis Reg. Canonicus S. Auguſtini, qui fl. 1190. *Radulfus de Diceto*, S. Pauli Londinenſis Decanus, qui fl. 1197; *Stephanus Langton*, Archiep. Cantuarienſis & Cardinalis, qui vixit 1199.

XI. *Juvat unum & primum computare Scholaſtices Seculum haud ultra quinque annorum decades progreſſum.*

Horumce famigeratorum Theologorum auſpiciis, opera & ſcriptis, communiſſimum extemplo toto Orbe Latino plauſum, ſummumque nomen, immo & reverentiam cum Scholaſtice ejus Profeſſores, Cultoreſque obtinuerunt. Et hoc Primum Theologiae noſtrae aevum (quidquid aliter Scholaſtica Secula enumeret Clariſ. *Plaza*) (*u*) haud ultra quinas annorum Decades productum; quoniam vero, & primum fuit, & adeo fauſtum, nobile, atque conſpicuum, pro integro illud Seculo placuit computare: quo fiet etiam, ut in ejuſmodi Seculorum computo expeditius procedamus.

XII. *Seculum Scholaſticum ſecundum, ſcilicet ab an. Chr. 1200. ad 1300. etiam florentiſſimum.*

His enaſcentis Facultatis primordiis proximo jam Seculo celeberrimam ac ferme penitus adultam Adoleſcentiam jure dixerim ſucceſſiſſe. Etenim (praeterquam quod hoc Seculo, uti & ceteris poſterioribus, Scholae Theologicae, vel jam erectæ, vel quae toto Orbe Latino denuo erigebantur, ipſam excolendam communius adoptarunt, ſimulque perdocti frequentiſſimi Theologi commentariis illuſtrandam ſuſceperunt) hoc aevo optimam methodum, ac decus praecipuum a celebrioribus ipſa Magiſtris cum primis adepta eſt.

XIII. *Laus Alexandri Alenſis.*

Ex iis primus ſumma cum laude recenſendus *Alexander Alenſis*, Anglus, Minorita, Scholaſticus Lutetiae magni nominis Profeſſor, vul-

(*t*) Plura de hoc argumento *Oudin.* in Comment. de Script. Eccl. ad ſec. XII. in Diſſert. de Petro Lombardo c. 3.

(*u*) In Cauſſa Concept. V. Actione VII. jam a proluſione.

vulgo *Doctor Irrefragabilis*, *Doctor Doctorum*, ac *Fons vitæ* nuncupatus, S. Bonaventurae, & juxta nonnullos, cum *Caesare Bulaeo* (*x*), *Abrahamo Bzovio* (*y*), *Nicol. Harpsfeldio* (*z*), *Joan. de Matta* (*a*), *Joan. Pitzeo* (*b*); renitentibus tamen aliis, cum *Echardo* ac *De Rubeis*, etiam S. Thomae dignus Praeceptor: hic enim omnium primus Theologiam, quae adhuc ex parte oratoria methodo tradebatur, penitus Scholasticam fecit; eam videlicet universam exacto ordine, methodoque constanter dialectica digestam exponens in sua magna Theologiae Summa, tribus partibus, totidemque in fol. voluminibus comprehensa, prout Coloniae Agrippinae an. 1622. recusa est; ex qua quidem fortasse minime dubitaveris, & quoad methodum & quoad doctrinam plurima in S. Thomae Summam derivasse. Idem multis vero similiter probant *Lucas Wadingus* (*c*), & *Joannes de la Haye* (*d*); Quibus recenter *Leonardus Cozzandus* (*e*) addidit *Stephanum Brulifer* in Prologo Sententiarum, & *Franciscum Garcia*, in Tarraconensi Universitate publicum Professorem, qui opera D. Thomae correxit: contra vero nititur novissime Cl. *De Rubeis* (*f*), post *Jacobum Echard* (*g*). Ipse itidem Alexander e primis fuit, qui Magistri Sententiarum libros praeclaris commentariis illustrarunt.

XIV. *Encomium aliorum aliquot ejusdem aevi Scholasticorum.*

Eximii Alensis vestigia perplures extemplo calcarunt; & ii quidem omni laude majores: e. g. in eadem Gallia *Gulielmus Arvernus*, Parisiensis Antistes: in Anglia *Rogerius Bacconus*: in Germania *Albertus Magnus*, Ratisponensis Episcopus: in Belgio *Henricus a Gandavo*: in Italia *SS. Bonaventura* & *Thomas Aquinas*, Scholastici Ecclesiae Doctores.

XV. *Elogium S. Thomae, ac ejus Summae Theologicae, cum supplemento.*

Sed prae ceteris tamen hujus aevi, immo & posteriorum, Theologis, si fama communior consulatur, primas facile retulit *S. Thomas*, cùm ob reliqua plura Scholastica scripta, tùm maxime ob tripartitam Theologiae Summam, in qua plane, vel methodi excellentiam spectes, vel stili perspicuitatem, vel eruditionis copiam, vel doctrinae gravitatem, vel quaestionum multitudinem, vel thesium delectum, vel ratiocinii nervum atque subtilitatem, se summum ostendit, seque ipso majorem. Eam praematura morte interceptus imperfectam reliquit quoad postremas Partis tertiae Quaestiones; sed eas tamen numero 99. supplemento quodam adjecit suus olim Auditor, & ipse Dominicanus, *Petrus Alvernus* (*h*). Summam hanc, tot Doctorum praeconiis exornatam, nonnulli rigidiores Sce-

(*x*) De Univers. Paris. T. 3. Sec. V. in Catal. illustrium Academic. in Alensi.

(*y*) Ad an. 1250. n. 2.

(*z*) Hist. Anglic. Sec. XIII. n. 11.

(*a*) T. 3. serm. de Sanctis Ser. de S. Francisco.

(*b*) L. de Scriptor.

(*c*) In Annal. Minor. ad an. 1245. a num. 26.

(*d*) In vita Alexandri Alensis.

(*e*) In lib. singulari de Plagiariis, in Miscellaneis editis Venetiis 1740. tom. 2. ad lit. T.

(*f*) In admonit. praevia ad tom. 23. S. Thomae Operum, quae idem adornavit Editione altera Veneta ab an. 1745. ad 1760.

(*g*) De Script. Ord. Praed. in D. Thoma.

(*h*) Ap. *Oudin.* Suppl. de Scriptor. Eccl. a Bellarmino omissis ad an. 1280.

Sceptici, cum *Launoio* [*i*] Doctori Angelico abjudicarunt; ipsam tamen ut legitimum ejusdem foetum Apologistae plurimi vindicavere, cum *Natali Alexandro*, *Hyacintho Graveſſonio*, *Jacobo Echardo*, *Bernardo de Rubeis* [*k*].

Tametsi vero editam Angelici Summam literarius orbis conspexerit, ac *Roberti Kiluvarbii*, Cantuariensis Antistitis & Cardinalis, qui obiit 1280., commentariis illustratam; crediderim tamen, eam pro Scholastices norma & exemplo non fuisse communiter ab Scholis receptam usque ad an. circiter 1540. Seculo V. Scholastico; nec enim horum Seculorum periodo alter Summae commentarius vulgatus est, quod scierim, ubi Lombardianae Synopseos Interpretes pene numero caruere.

Obtinuit ergo hisce cunctis aetatibus universim apud theologicas Scholas pro norma & regula Textus Lombardianus. Enimvero nec una omnium ejusmodi textus expositio; nec unum integrum, absolutumque systema sub eisdem principiis digestum; nec una in controversis quaestionibus definitio. Hinc facta sub diversis Ducibus Scholarum divisio, acuendis ingeniis, ac solidius adquirendae veritati peropportuna. Scholastici vero, qui praecipue hisce insequentibus aetatibus ad usque annum circiter 1540. sapientia magisterii, ac scriptorum authoritate scholas hinc inde ductarunt, praelongo censu indicari possent: at praestat singulos quosque intertium Capitis IV. syllabum revocare.

Sub iis itaque Ducibus, qui tanquam clariores Scholae Proceres ex Veteribus suspiciuntur, sub literariis exercitationibus, quae pene ad Lycea cetera ex Parisiensi dimanarant, Theologicae Scholae, cùm publicae tùm privatae, qua ardentius, qua remissius viguerunt usque ad Seculi V. annum circiter 1540; cùm scilicet nova Doctoris Angelicae Summae editio cum acutissimis *Thomae de Vio Cajetani*, Cardinalis, commentariis haud vulgari plausu Scholasticorum manibus terebatur. Et haec prima Scholastices aetas, aut periodus, quam aliqua animadversione, ut clarius illa capiatur, juvat refricare.

Igitur ex tot celebrium Scholasticorum commentariis abunde liquet, illis aevis simul cum Scholastice Polemicam & Moralem Theologias fuisse communius in Gymnasticis Palaestris traditas & excultas, tametsi accuratius, prolixius & ardentius Scholastice versaretur; iidem quippe laudati Authores simul cum Scholastice, quam uberius elucidant, de binis aliis perfrequenter agunt, ubi praesertim Magistrum commentantur.

Haud ita constat de modo, quo insimul Scholae Auditores informarentur: num videlicet tractatus recitantibus Magistris in chartis exscriberent; vel jam editos nonnullius gravioris Authoris com-

XVI. *S. Thomae doctrina haud obtinuit universaliter usque ad an. Christ. circiter 1540, sed dumtaxat Magistri literaquae, facta sub variis Ducibus Scholarum divisione, variam illis aevis expositionem nacta est.*

XVII. *Perplurium laus Scholasticorum in Caput IV. rejicitur.*

XVIII. *Hisce Seculis, quae primam constituuunt periodum Scholastices, viguit haec in Scholis qua intensius, qua remissius.*

XIX. *Animadversiones super hanc periodum ad ulteriorem ejus intelligentiam.*

XX. *Illis aevis ardentius excolebatur Scholastice, at insimul Polemica, & Moralis frequenter tradebantur.*

XXI. *Forte tunc auditores exscri-*

(*i*) Tr. de veneranda Romanae Ecclesiae circa Simoniam traditione tom. 2. par. 2.

(*K*) Plura de ejusdem Summae doctrine infra ubi de Scholastic's Controversiis; ac de stilo inferius Cap. III. in Adversariorum confutationibus.

bebant tractatus a praeceptoribus recitantibus exceptos, donec ars Typographica invaluit; ac deinceps posita Magistri explicatione, Authori cuipiam typis edito Operam navabant.

mentarios versantes, illis perdiscendis Institutoris explicatione, meditatione propria, communibus collationibus & controversiis uterentur? Quod si in re admodum obscura, & Historiographis impervia conjectari liceat; crediderim, antiquioribus illis temporibus adusque ann. 1450., quo Ars Typographica saltem in Europa inventa est, alumnos exscribendo recitatas a Magistris praelectiones didicisse: ubi vero Ars Typographica invaluit, & scholastici commentarii praelo frequentius excusi sunt, eis dumtaxat profunda meditatione versando, sub praeceptorum ductu & explanatione operam navasse; ne videlicet & temporis jacturam, & fastidiosum scriptionis laborem paterentur. Et hinc dixerim forte modum utrumlibet derivasse, & ad haec usque postrema tempora indiscriminatim apud Scholas inoleviſſe.

XXII.

Authorum illorum commentarii, ac nomina quibus isti frequentius insigniebantur.

Illa aetate non modo editis in Magistri literam Commentariis Authores Scholasticen elucidant, sed multis praeterea singularibus circa res Scholasticas tractatibus pervulgatis, quos nempe nuncupare solebant, *Summam Scholasticam*, *Quodlibeta*, *Quaestiones*, *Lecturas*, *Certamina*, *Compendia*, *Disputationes*, *Determinationes*: quin etiam de aliis sigillatim materiis haud raro lucubrationes editae sunt: e. g. de visione Dei, de Divini Verbi Incarnatione, de peccato originali, de Immaculata Deiparae Conceptione, de SS. Trinitate, de Scientia Christi, de Scholastices commendationibus &c. [*l*]. Adeo Majores nostri sacram Scholae Scientiam omnigenis conatibus illustrarunt.

XXIII.

Illorum Stilus temporum dialecticus, pressusque; non itaplerumque comptus & eruditus, ac fortasse aliquando barbarus: innovatorum verborum frequens usus.

Quod si in ipsa tradenda, perdiscendaque temporum eorumdem stilum commemoremus, porro assiduo dialecticus, pressusque fuit; plerumque parum comptus, elegans, & eruditus; uni mentis conceptui explicando accomodatus; saepe novatis vocibus ad vitandas longae orationis ambages perobscurus; aliquando fortasse barbarus & inconcinnus: nec aliud quidem, vel pro ceteris pariter facultatibus, ejusmodi conditio temporum patiebatur.

XXIV.

Haud vitiis Schola caruit, quae tamen in sacram Facultatem immerito rejeceris.

Nec vitiis demum Schola caruit, quae in ipsa sensim irrepserint. Perplures enim plus aequo Philosophiae ac naturalis ratiocinii usui dediti, pro adferendis, confirmandisque theologicis theorematibus pene nulla seu pauciſſima, vel e sacro Codice, vel e Conciliorum, Patrumve traditione testimonia repetebant, quasi naturae superuam Scientiam ancillari volentes; illis plane similes, ab *Eusebio* [*m*], *Augustino* [*n*], & *Bernardo* [*o*] nota inustis, quod rationem authoritati praeferentes, rem theologicam syllogismis ac entymematis absolverent. Alii praeterea sophistice summopere delectati, omnem fere theologicam disputationem cavillis, ineptis argutiis, frivolisque adjectis quaestionibus transigebant; quasi theologica Scientia nihil esset aliud quam lusus quispiam e Peripatu.

Fateor:

(*l*) Haec abunde constant inferius ex Cap. IV. Syllabo III.

(*m*) Hist. Eccles. l. 5.

(*n*) Epist. ad Dioscor.

(*o*) Epist. 189.

Fateor: iis, aliisque paribus peccantes vitiis, plurimi qua scriptis, qua Magisterio scholas faedarunt, uti docemur a binis Tridentinae Synodi Theologis *Melchiore Cano*, ex Ordine Praedicatorio, ac *Ludovico de Caravajal*, Minorita: quorum uempe prior illos graviter insectatur *Tract. de locis Theologicis* lib. 8. c. 1. & lib. 9. c. 1., posterior vero ut ab eisdem Scholam vindicaret, volumen edidit, praenotatum, *Theologicarum sententiarum restitutae Theologiae, & a sophistica & barbarie pro virili repurgatae specimen, de Deo*. Enim vero vitia haec Theologastrorum sunt, non Scholae, prout a primis conditoribus institutae, ac a veris Theologis posteris adservatae; quae proinde carpenda non est: quae quippe Facultas absque permultis sui Professorum naevis?

XXV. *Enarratio de sollemnioribus inter Scholasticos litibus ad Historiae coronidem revocatur.*

Possent heic ratione methodi exponi sollemniores hac aetate Scholarum lites aut concertationes: meliori tamen consilio ad hujusce Capitis calcem pro historica coronide dabimus, una cum aliis, quae posterioribus Seculis commissae sunt.

XXVI. *Seculo V. Scholastico circiter Chr. an. 1540. faciem mutasse Scholastice visa est.*

Jam vero pene percurrente Scholastici Seculi V. anno 40. & Christiani Seculi XVI. an. 1540., ferme faciem mutasse Scholae Theologia visa est. Equidem dum in Anglia, Gallia, Germania, propter debacchantes haereses, Scholastices praesidio Dogmatico-Polemica impense excolebatur; immo dum Scholastica cum Fide Scholis denuo acatholicis exterminabatur, quippe quae nequit integra & illibata sine Fide consistere: tunc, inquam, in Hispania praesertim, cunctas haereses constantissime detestata, Scholastica Theologia ab annis aliquot aut multum adulterata, aut ferme obsoleta, mirifice reflorait, clarissimisque incrementis praeditata est.

XXVII. *Scholastice apud Hispanos ferme obsoleta, Francisci Victoria studio mirifice in Salmanticensi Academia, totaque Hispania restaurata est; tum universalius S. Thomae doctrina obtinere caepit.*

Videlicet eximio cumprimis sapientissimi *Francisci Victoria*, Dominicani, qui an. 1546. è vita migravit, in Salmanticensi Academia Magisterio. Hic etenim Vir in Theologia summus, Cani, Carranzae, pluriumque similium Praeceptor, sua authoritate, scriptis, & exemplo Salmanticensis Facultatis animos concitavit, ut praefervido studio Scholasticen pro merito ac dignitate pertractarent, proposita prae caeteris in Normam & ectypon, cui religiose insisteret, Aquinatis Angelici Summa. Hoc autem ardens studium universas penc Hispanicas Scholas publicas, privatasque quamcito pervasit: & hinc tot egregii Scriptores Hispani, qui innumeris pene lucubrationibus per bina subsequuta secula Theologiam nostram nitidiore methodo digestam, subtilibus quaestionibus auctam, argumentis hinc inde nervosioribus instructam illustrarunt.

XXVIII. *Ab eo tempore perplures Doctores S. Thomae, Summam commentati sunt, atque alii ejus methodum, multasque opiniones passim sectantur.*

Ex iis vero Scriptoribus perplurimi, vel S. Thomae Summam suis commentariis adornarunt, vel ejus saltem methodum & plerasque opiniones sectati sunt: uti pro plurimis quoad reliquum hujusce V. Seculi intervallum, Cajetano Duce, exemplo sunt, laudatus *Victoria*: *Joannes Viguerius*: *Hieronymus Perez*: *Bartholomaeus de Torres*, Canariensis Antistes: *Bartholomaeus de Medina*: *Franciscus Toletus*, Cardinalis: *Antonius Senensis* qui & *a Conceptione*: *Salonius*,

cognomento *Magiſter*: *Joannes Minguez*: *Didacus Tapia*: *Mancius de Corpore Chriſti*: *Ludovicus Molina*. Hos jam tum nonnulli ſcriptores exteri imitati ſunt; e. g. *Laelius Zecchus*, Italus, *Bernardus Bonjoannes*, Epiſcopus Camerinus, *Conradus Koellinus* Germanus; plures.

XXIX. *Sed plurimi tamen interea, aut Magiſtri literam aut Scoti opera commentariis illuſtrant.*

Interea vero alii, licet non ita frequentes, tum ex Hiſpanis Lyceis, tum ex nonnullis exteris, aut Magiſtri literam, aut Scoti doctrinam commentariis adornabant. Sic ex Hiſpanis *Antonius de Corduba*; *Didacus de Leon*; *Franciſcus de Herrera*; *Joannes de Ovando*; *Damianus Ginèr*; *Didacus Valades*. Sic ex Gymnaſiis exteris *Franciſcus de Mazzara*, Siculus: *Nicolaus de Niſſe*, Gallus: *Jacobus Attavantius*, Florentinus: *Franciſcus Zichetus*, Brixienſis: *Conſtantius Sarnanus*, Umber, & Cardinalis: *Chriſtophorus Sylveſtranus*, Veronenſis.

XXX. *Innovatur ardentius Scholarum diviſio in binas partes, nempe Thomiſticam & Scoticam.*

Hinc ob literarias ingeniorum aemulationes, non modo in Hiſpania, ſed & in aliis univerſim Gentibus, facta eſt ac in binas Sectas, vel cohortes diſtributa Scholarum diviſio; nempe in *Thomiſticam*, S. Thomae tanquam Principis doctrinae, cum uniuerſo Ordine Praedicatorio ſummopere addictam, ac in *Scoticam*, Subtilis Scoti tanquam Ducis placita, cum tota Franciſcana Familia impenſe conſectantem. Et haec quidem diviſio, Scholae utriuſque alumnos ad Scholacticen ardentius addiſcendam & illuſtrandam mirum in modum excitavit ac fovit uſque ad extremam hujuſce Seculi periodum.

XXXI. *Seculum VI. Scholaſticum, ſenſu aliquo prae ceteris florentiſſimum.*

His ſucceſſit Seculum VI. Scholaſticum, a Chriſtiani Seculi XVII. anno 1601. aduſque 1700., ac fortaſſe prae ceteris Theologiae Scholaſticae florentiſſimum; tum ob praegrandium Authorum copiam; tum ob operum multitudine ferme innumerabilium praeſtantiam, inventionem, nitorem, acumen; tum ob Scholarum fere ubique gentium, maxime in Hiſpania florentium ſplendorem; tum ob Scholaſticas Romae Controverſias de Auxiliis, ut vocant, poſt hominum memoriam celebratiſſimas.

XXXII. *Schola Thomiſtica bipartitur in Thomiſtico-rigidam, ac Thomiſtico-moderatam, ſeu Jeſuiticam.*

Vix autem hoc aevum eluceſcebat, propter ſummum de Gratia efficaci ſyſtematum diſcrimen in memoratis Controverſiis tanto partium conatu exagitatum, Thomiſtica Schola in duo capita ſubſecta eſt, nempe in *Thomiſticam rigidam*, quae S. Thomam ut Dominum ſequitur, ſuis videlicet quibuſque pronuntiatis addicta, penituſque mancipata; & in *Thomiſticam moderatam*, ſeu *Jeſuiticam*, quae Angelicum ut Ducem ſequitur, ſcilicet quandocumque gravis aliqua ratio minime repugnat: quare licet Aquinatem ut Scholae Principem reverenti animo ſuſpiciat, at non ſemel ab ejus ſententia, ratione cogente, recedit. Illam hoc Seculo ex coetibus regularibus frequentiſſimi profeſſi ſunt cum Patribus Dominicanis; iſtam perrari cum univerſa Societate Jeſu. Duplex haec Schola, una cum Scotica hiſce potiſſimum temporibus ſplenduerunt.

XXXIII. *Aliae inſtituuntur minoris frequentiae Scholae, ut Bonaventuri-*

At eis tamen, ſi placet, quatuor alias minoris nominis ſectas, aut Scholas adjicito: I. videlicet *Bonaventuriſticam*, *II. AEgidianam*, *III. Bachonicam*, *IV. Anſelmianam*. Ex iis Prima adhaeret ſententiis S. Bonaventurae, Minoritae: Secunda AEgidii Columna, Auguſtinenſis:

Ter-

Tertia Joannis Bachonis, Carmelitani: Quarta S. Anſelmi, ex Ordine Benedictino. Haud plurimos ſingulae numerant Profeſſores & aſſeclas: videlicet I. ex Patribus Capucinis, poſt *Petrum Trigoſum*, S. Bonaventurae interpretem: II. ex Auguſtinenſibus, poſt ejuſdem Ordinis de hoc argumento conſtitutionem (*p*): III. ex Carmelitanis calceatis, poſt *Petrum Cornejo de Pedroſa* Bachonis expoſitorem: IV. ex Vallisoletanae Congregationis Hiſpanae Benedictinis, poſt Cardinalem de *Aguirre*, S. Anſelmi illuſtratorem. *ſtica, AEgidiana, Bachonica, Anſelmiana,*

XXXIV. *Hiſpania permultos parit Scholaſticos Authores & ſibi & exteris Gentibus.*

Fecundiſſima plane Scholaſticae prolis altrix hoc aevo Hiſpania; quae ſiquidem non modo ſinu ſuo Scholaſticos ſummos fovit; ut *Eximium Doctorem Franciſcum Suarez* Conimbricae, & *Ludovicum Molinam* Eborae, dum hiſpano dominio ſubjacebant; *Baſilium Pontium Legionenſem*, *Bañez*, *Petrum de Godoy*, Oxomenſem Antiſtitem, *Franciſcum Zumel*, *Joannem de Ripalda* Salmanticae; *Gabrielem Vazquez*, *Joannem a S. Thoma*, *Franciſcum de Oviedo*, *Ludovicum de Monteſinos* Compluti; *Jacobum Granadum* Granatae; *Didacum Ruiz de Montoya* Hiſpali; *Gabrielem de Henao* Vallisoleti; *Auguſtinum Bernal*, *Alphonſum Baptiſtam*, *Joannem Prudentium*, *Petrum Oxeam* Caeſaraugustae; *Vincentium Ferre*, *Hieronymum Vives*, *Ludovicum Ribas*, *Matthiam Borrull* Valentiae; *Thomam Munieſſam* Barcinone &c.; ſed & aliis dedit egregios Scriptores Gentibus, quas illuſtrarent; ut *Joannem Caramuelem*, Nolae Epiſcopum; *Didacum Alvarez*, Tranenſem Archipraeſulem; *Gregorium de Valentia*, Ingolſtadii & Dillingae Magiſtrum; *Rodericum Arriaga* Pragenſis Academiae Profeſſorem & Cancellarium; *Antonium Perez*, *Petrum de Arrubal*, *Joannem Delugo*, Cardinalem, *Martinum de Eſparza*, in hoc Romano Societatis Jeſu Collegio Scholaſtices Anteceſſores: *Franciſcum Auguſtinum Macedo*, Piſanae Academiae Profeſſorem &c.

XXXV. *Tum Nationes aliae ſuos certatim edunt clariſſimos Scholaſticos.*

Hoc tam ardens, & glorioſum Hiſpanae Gentis erga Scholae Theologiam ſtudium, extera fere quaequa Gymnaſia, ac eorumdem plurimi praenobileſque Scriptores imitati ſunt: uti permultorum exemplo referri poſſunt *Leonardus Leſſius*, Profeſſor ſcholaſticus Lovanienſis; *Franciſcus Silvius*, Duacenſis; *Andreas Duvallius*, *Philippus Gamachaeus*, *Nicolaus Iſambertus*, Pariſienſes; *Dionyſius Petavius*, *Franciſcus Annatus*, *Vincentius Contenſonus*, *Joannes Baptiſta Gonetus*, *Bartholomaeus Durandus*, Galli; *Franciſcus Amicus*, *Raphael Averſa*, *Raymundus Capiſuccus* Cardinalis, *Coeleſtinus Sfondratus* Cardinalis, Itali; *Adamus Tannerus*, *Joannes Paulus Felwinger*, *Joannes Burghaber*, *Chriſtophorus Haunoldus*, *Gervaſius Briſacenſis*, Germani; *Jacobus Platelius*, *Joannes Opſtraet*, *AEgidius de Koninck*, Belgae; *Auguſtinus Reding*, *Octavius Worſt*, Batavi; *Joſephus*, *de Vita*, Siculus; *Antonius Jerillus*, *Hugo Cavellus*, Archiep. Armachanus, *Richardus Arſdekin*, *Joannes Pontius*, *Bonaventura Baro*, Hiberni, in catholicis regionibus innutriti; Cardinalis *Sfortia Pallavicinus*, Romanus &c.

Haec

(*p*) De qua Cap. IV. Sec. Schol. III. in AEgid. Columna Syll. III.

Haec ſub iſta periodo noſtrae Scientiae praeconia, decora & incrementa; quae quidem cum ſumma fuerint, ſecundum nativam rerum humanarum conditionem ſubinde decreviſſe pronum erat.

XXXVI. *Hoc noſtrum aevum tenuiter ubique Scholaſticae fauſtum, ſi Hiſpaniam exceperis.*

Noſtrum itaque VII. Scholaſticum aevum, ab anno Chriſti 1701. uſque modo, parum Scholae Theologiae felix, fauſtumque fuit. Hoc quippe Seculum, alioqui omnigena eruditione, ſeveriori criterio, ſtilo eleganti, nitidiſſimaque methodo excultiſſimum, cum non niſi amaenioribus iuxta ac facilioribus ſcientiis delectetur, perdificilem ſubtilemque Scholaſticen, & ejuſdem cultores ubique ferme jam minimi pendit, ac vix non omnino deſpicit.

XXXVII. *Floruit Scholaſtice pari vigore re ac methodo in Hiſpania ad uſq; circiter 1750., ut teſtantur ejus Authores; quos nonnulli exteri ſunt aemulati.*

In Hiſpania quidem & novo Indiarum Orbe, tumque in Luſitania, ſaltem ad an. uſque circiter 1750. ſub methodo, & ingenio, proxime elapſo Seculo haud imparibus, florentem Scholae Theologia curſum peregit; ut plerumque teſtantur qui eam commentariis exornatunt; e quibus loco plurium exemplo ſunt *Thyrſus Gonzalez*; *Antonius Caſtel*; *Albarus Cienfuegos* Cardinalis; *Didacus de Quadros*; *Vincentius Ramirez*; *Vincentius Ferrerius*; *Franciſcus Palanco*, Jaccenſis Antiſtes; *Joannes Marin*; *Didacus de Caſtilla*; *Petrus Manſo*; *Joannes Baptiſta Gormàz*; *Joannes Ulloa*, *Paullus a Conceptione*, *Joſephus a Spiritu Sancto*. Et ipſos porro unus vel alter e ſcriptoribus exteris imitatus eſt, e. g. *Antonius Maſſoulie*, Gallus, *Dominicus Viva*, Neapolitanus, *Antonius Mayr*, Germanus.

XXXVIII. *Apud exteras Schol. frequentius jam traditur Scholaſtice commixta cum Polemica, ut produnt earum Authores.*

Enim vero multis abhinc annis communius in Galliae, Germaniae, Belgii, Italiae Scholis jam non traditur & excolitur mera atque ſubtilior Scholaſtice, ſed haec cum Dogmatico-Polemica ſimul permixta; & ſat quidem perfunctorie, ingentique ſubtiliorum quaeſtionum numero, quem Majorum noſtrorum ſtudio, acumine, authoritate commendatum exceperamus, penitus tanquam ſupervacaneo pene ſibilis repudiato; quemadmodum, praeter alios, ſuo commentariorum exemplo produnt *Nicolaus L'Herminier*, *Gaſpar Juenin*, *Honoratus Tournelyus*, *Paullus Gabriel Antoine*, Galli; *Vincentius Ludovicus Gotti* Cardinalis, *Joannes Laurentius Berti*, Itali; *Marinus Panger*, *Euſebius Amort*; Germani.

XXXIX. *In dubium vertitur, num Scholaſticis exercitationibus leviuſcule excultus in Polemica Paleſtra plurimum valeat?*

Ad hocce forte ſyſtema in illis Magiſtri regionibus adiguntur, ut Auditores quantocius inſtruant, ac polemicis diſciplinis obarment ad haereſes ibi debacchantes, aut imminentes, eminus convellendas. Ambigi tamen fas eſt, num plurimum valeat in Palaeſtra Polemica qui Scholaſtices fundamentis ſit leviter intinctus, eorumque velitationibus minus excultus. Novimus autem, Haeretico-Maſtyges Eximium Suarium, egregium Gabrielem Vazquezium, Gregorium de Valentia, Martinum Becanum, alios, qui pro refellendis acatholicis multa docuerant, integram nihilofecus addiſcendam Scholaſticen tradidiſſe; veſtigia nempe Magiſtri, Alenſis, Aquinatis, pluriumque priſcorum reverenter, ſciteque prementes.

XL. *Scholaſtice a*

At enim utut ſit, hic noſtra aetate mos obtinet, hic genius Criticorum ora & mentes occupat; quibus plane iidem Scholaſti-

ces

ces Profeſſores ſat libenter morem gerere videntur. Et haec de praeſenti Theologiae noſtrae viciſſitudine, vertentibus aetatibus, ſi Superis placet, reſtauranda.

ſui exordio ad uſque an. Chr. 1639. fuit Peripateca: primores Scholaſticici in peripateticorum cenſu connumerantur.

Profecto Scholaſtice a primis Veterum Theologorum aetatibus aduſque ſaltem an. 1639 Ariſtotelica ſeu Peripatetica fuit, hoc eſt Ariſtotelicae Philoſophiae principiis, quoad ea, quae a ratione naturali pendent, vocibuſque, ſubnixa & adornata. Equidem haud alia jam pene a Lombardi aetate in Pariſienſi Academia, aliiſque conſimilibus obtinuit Philoſophia, quam Ariſtotelica: quod quidem vel ex ipſis primorum Scholaſticorum commentariis cùm theologicis, tùm philoſophicis plane liquet: atque ex ipſa deinde Peripateticae Philoſophiae Hiſtoria, quae praeclaros inter ſuos Profeſſores recenſet *Lombardum*, *Alenſem*, *Albertum*, *Aquinatem*, *Bonaventuram*, *Stephanum Langtonum*, *Robertum Groſteſt ſeu Capitonem*, *Thomam Cantipratenſem*, *Joannem* P. XXI. *AEgidium Columna*, *Henricum Gandavenſem*; qui omnes, dempto Lombardo, Seculum II. Scholaſticum illuſtrarunt [*q*].

XLI.

Optimo conſilio S. Thomas in Theologica Summa uſus eſt Peripatetica Philoſophia in fidei obſequium adverſus Arabes Cordubenſes.

At prae ceteris Doctor Angelicus eam quaſi conſecraſſe viſus eſt. Videlicet Stagiritae doctrina unice & quam maxime illa aetate florebat apud Doctores Arabes in Urbe hiſpanica Cordubenſi, tunc temporis a Mauris occupata. Haec vero in florentiſſimum Ariſtotelis Lyceum non ita pridem converſa fuerat a praeclaro ejus Philoſophiae Inſtauratore & Commentatore Averrhoe, qui clarebat anno Chriſti 1150., cum Avempace Magiſtro, perdoctoque comite Abubachero. Ejus itaque Athenaei Profeſſores [& ipſi qua Judaei, qua Mahumetani, qua nullius religionis viri] methodice atque ſubtiliter Peripateticiſmum magni nominis fama tradebant; at inſimul ex ſuis dogmatis hoſtilia tela capeſſebant, quibus catholicam Fidem & callide traducerent, & ſophiſtice carperent, & impie ferirent, & petulanter confutarent.

XLII.

Raymundus Lullus (apud Baleares Inſulas Beatus, & Martyr habitus) dum Pariſiis diverſaretur apologos edidit contra Averrhoem.

Quin immo vulgati Averrhois in Ariſtoteleam Philoſophiam commentarii ob ſubtilitatis fucum, quo nitebant, a catholicis Doctoribus, praeſertim Pariſienſibus, magno plauſu recepti ſunt; adeo ut etiam poſt bina fere ſecula avide perlegerentur. Novimus enim, perinſignem Doctorem *Raymundum Lullum*, cum Pariſiis degeret anno 1290., aut ſerius iterum 1308. vel circiter, hac fama permotum, contra Averrhoem Apologos edidiſſe; id potiſſimum urgendo, indignum eſſe viro catholico ejuſmodi uſum commentariorum, utpote Chriſtianae Fidei procaciter adverſantium: quo nempe ab eorum lectione Pariſienſes Doctores abſterreret (*r*).

Ergo quaſi coelitus factum eſt, ut Thomas, ſummus aetate ſua ſupra quoſvis Latinos & Graecos Peripateticus, ita eam Philoſophiam, expurgatis Ariſtotelis erroribus, cum ſacra Theologia connecteret, ut

(*q*) Apud *Hornium* Hiſt. Phil. l. 6. a. c. 2. & *Jo. Bapt. Capaſſium* Hiſt. Philoſ. l. 4. c. 6. ubi de Philoſophis Scholaſticis.

(*r*) Ap. *Bollandianos* ad diem 30. Junii opera *Joan. Bapt. Sollerii* ex *Cuſtureio*. p. m. 672.

ut illa huic quasi suapte natura ancillaretur ; adeo , ut ex eisdem Aristotelis principiis , olim per Arabum cavillos & technas cum catholica religione quoad speciem pugnantibus , ipsius religionis dogmata perstabiliantur , momentaque adversus eadem contorta fundi-

XLIII. *Maximo cum fructu Philosophia cum sacra Theologia commixta est.*

tus enerventur * . Hinc scite protulit *Scotus* (*s*) *Scholasticos Doctores tandem Philosophiam cum Theologia maximo cum fructu miscuisse* ; quidquid oppositum minus perite adseruerint alii cum *Trithemio* (*t*), *Ludovico Vives* (*u*), *Antonio Sadeel* (*x*) . Porro *Maximilian. Sandeus* in Prolegom. Theol. Scholasticae l. 1. Commentatione 4. exercit. 6. alias expendit rationes , ob quas Scholastice Aristoteleam potissimum Philosophiam , quam sectaretur , a primis Seculis elegerit. Et quidem , ut verbis *Bulaei* utar (*y*) , *ita tandem agnitum est , Theologiam veterem seu Positivam Philosophiae Peripateticae Theorematis , principiis & definitionibus adjutam , validiorem esse ad confundendos Haereticos , Sophismata detegenda & confutanda* .

XLIV. *Plurimi e clarioribus Scholasticis inter Aristoteleos Sophistas recensentur.*

Eo igitur pacto & deinceps Scholastice posteriorum aetatum decursu Peripatetica fuit . Etenim ut plurimum illustriores illorum temporum Scholastici & Scholasticam Peripateticismo adornatam tradiderunt, & inter Aristoteleos sophistas connumerantur : ut plurium exemplo sunt *Joannes Duns* , *Antonius Andreas* , *Franciscus de Mayronis* , *Thomas Bradwardinus* , *Durandus* , *Ockam* , *Burlaeus* , *Biel* , *Joan-Bochardus* , *Rodericus a S.Cruce* , *Cajetanus* , *Dominicus Sotus* , *Franc. Toletus* , *Franc. Suarez* , *Petrus Fonseca* , *Joan. Garnerius* , *Georg. de Rhodes* (*z*) .

XLV. *Peripateticae Philosophiae Hostes , ac Vindices .*

Quantumvis enim perplures Antiperipatetici jam a IV. Seculo Scholastico Aristoteleam Philosophiam acriter impugnarint cum *Laurentio Valla* [*a*], *Erasmo* Roterodamo [*b*], Haeresiarche *Luthero* , sub defectionis initium [*c*], *Phil. Melanthone* [*d*], *Joan. Ludovico Vives*, hispano, denato circiter 1536. [*e*] *Bernardino Telesio* , Consentino , qui fl. circiter 1550. [*f*] *Petro Ramo* , Gallo , fato functo 1572. [*g*] *Andrea Kragio* , Dano , qui fl. 1558. [*h*] *Geraldo & Arnoldo Bottiis* , fratribus , qui fl. 1578. [*i*] *Theodoro Zvvingero* , Basileensi , denato 1588. [*k*] *Joanne Opstraeto* , Belga , qui fl. sub finem Seculi XVI. [*l*] aliis : nihilo-

* Pluribus id argumentum persequitur laudatus *De Rubeis* parte altera admonitionis praeviae ad tom. XIV. S. Thom. Cap. IV. & V.

(*s*) In 3. Sent. dist. 24. q. 1.

(*t*) De Scriptor. eccles. in Petro Abailardo.

(*u*) In comment. S. Augusti. de Civit. Dei fere centies.

(*x*) Praefat. in lib. de Verbo Dei scripto.

(*y*) In Hist. Univ. Paris. Sec. IV. Dissert. 4. ubi de Theolog. Scholast.

(*z*) Eos pene omnes & alios , eorumdemque philosophica opera referunt communius Historiae Philosophiae Authores cum *Gerardo Joanne Vossio* , *Hornio Jonsio* , *Burckardo Gotthelff Struvio* , *Joanne Alberto Fabricio* , *Baptista Capasso* .

(*a*) In dialecticis Institutionibus.

(*b*) In Encomio Moriae .

(*c*) In Epist. ad Jodocum exarata 1518.

(*d*) In Orat. de odio Sophistices .

(*e*) De initiis , sectis & laudibus Philosophorum .

(*f*) De rer. naturalium principiis .

(*g*) In Apologet. multis in Aristotelem .

(*h*) In epitome 8. librorum Α'χροαματικῶν .

(*i*) In Philosophia reformata .

(*K*) In Tabulis perpetuis in Aristotelis libros de moribus ad Nicomachum .

(*l*) In Theologia Christiana par. 2. c. 3.

hilotamenſecus & Peripateticiſmus acerrimis protectus eſt Defenſoribus, cum *Petro Galandio*, *Antonio Goveano*, *Cornelio Martinio*, *Joachim Perionio*, *Jacobo Carpentario*, *Urſino*, *Jacobo Schechio*, *Philippo Scherbio*, *Pariſienſibus Academicis*, aliis. Et idem profecto apud Scholaſticos Veterum normae ac ſyſtematibus addictos ſat interea communiter, tranquille, atque tenaciter obtinuit [*m*].

XLVI. *Honoratus Fabri Theologiam principiis, longo tramite diſtantibus ab Ariſtotelicis, innixam tradidit.*

Enimvero ex quo alia philoſophica ſyſtemata longo intervallo diſcrepantia in orbem literarium invecta ſunt, etiam Peripateticiſmus apud Scholaſticos, ſi Hiſpanos exceperis, aut penitus excidit, aut plurimum elanguit; ſinguli quippe ad philoſophicum ſibi adoptatum ſyſtema & Scholaſtico-Theologicum conformarunt. Equidem principio ſugillatus *Honoratus Fabri*, e Soc. J., quod ſuam Philoſophiam a Peripatetica lato diſcrimine exorbitantem, tanquam addiſcendae Scholaſtice imperviam longeque importunam tradidiſſet, eam vindicavit edita anno Chriſti 1639. Theologiae Summula, univerſam Theologiam philoſophicis a ſe dictatis principiis conſentaneam exhibente.

XLVII. *Nonnulla alia philoſophica Syſtemata, quibus deinceps & Scholaſtice innixa traditur, percurruntur.*

Perplures deinde Scholaſticen elucidarunt accepta Philoſophia Epicurea emendata, ſeu Gaſſendiſtica, Authore *Petro Gaſſendo*, gallo, Dinienſis Eccleſiae Praepoſito, & Matheſeos in Pariſienſi Academia Profeſſore, vita functo 1655. Alii inſuper accepta Carteſiana, Inventore *Renato Des-Cartes*, gallo, perinſigni Philoſopho & Mathematico, denato 1650. Tum alii Maignaniana, Duce *Emmanuele Maignano*, nobili gallo, ex Minimorum familia, percelebri Theologo, Philoſopho, Mathematico, qui extinctus eſt 1676. Nonnulli praeterea Leſclachiana, Inventore *Ludovico Leſclache*, gallo, egregio Pariſienſi Philoſopho, vita functo 1671. Leibniziana non pauci, parente *Godofredo Guillelmo Leibnizio*, Germano, extincto 1716. 14. Nov. Newtoniana plurimi, Authore *Iſaaco Newton*, Anglo; Equite aurato, Regiae Londinenſis Societatis Praeſide, hac aetate Philoſophorum Principe, denato, ut conjicio, 1728. Haud pauciores pluribus aliis retentis, ſecundum ea, quae ſcholaſticas diſputationes concernunt. Alii demum adſervata Eclectica, quae ſcilicet nullius authoritati ſeu principiis addicta, illa dumtaxat amplectitur, quae cuiquam magis probantur: & hanc quidem ſequutus eſt *Euſebius Amort* in ſua Theologia non ita pridem edita, quam *Eclecticam* nuncupavit. Ejuſmodi Philoſophiam Eclecticam, noſtri aevi palato acceptiſſimam nuperrime 1766. publici juris fecit Cl. V. *Ignatius Monteiro*, S. I. Luſitanus. Has porro viciſſitudines Scholaſtica Theologia Philoſophica progreſſu temporum paſſa eſt.

XLVIII. *Philoſophiae cum Scholaſtice conſociatio apprime rationi conſona. Remiſſive.*

Quantum vero ſacrae noſtrae Scientiae cum Philoſophia copulatio ſit optimae rationi conſona, non eſt quod viro ratione praedito multis ſuadere contendamus. Res oculis minime lippientibus luce meridiana clarior eſt, quam exemplo nobis demonſtrarunt &

(*m*) Videſis *Launoium* in Comment. de varia Ariſtotelis fortuna in Pariſienſi Univerſit.

Eccleſiae Patres, & ceterarum Theologiarum Coriphaei. Eam poſtmodum aliquanto elucidabimus. Conſulantur interea duo perinſignes Critici, *Canus* [*n*] *& Mabillonius*. [*o*].

XLIX. *Scholaſtice tribus periodis aut epochis tributa repraeſentatur.*

Jam vero ex hucuſque delibatis licet Scholaſticen animadvertere tripartitam, aut ternis ſub adſpectibus decurſu Seculorum excultam; atque adeo trina diviſione vel epocha ſubſectam capere ac nuncupare. Eſt enim Scholaſtica *Vetus*, *Recens*, *Noviſſima*.

L. *Exponitur Scholaſtice* Vetus.

Et quidem *Vetus* eſt, quae viguit a Lombardiano I. ſuae inſtitutionis Seculo aduſque Seculum V. fere medium, ſeu ad Chriſti an. circiter 1540. Primores illi Scholaſtici ad eam exponendam, ſubtiliterque diſputandam fundamenta jecerunt; contentioſum ritum ordinarunt; parum locutionis praeſtantiam curantes, voces, quas dicunt facultativas, hoc eſt brevius explicandis ſuae facultatis ſenſis ac nodis aptiores, praeſtarunt; novas quaeſtiones elicuerunt; loca communia, ſeu promptuaria, unde ſolida momenta poſſunt colligi, tum regulas & modum ad recte de Theologicis diſſerendum, & praeceptis docendo, & practice multiplices edendo commentarios, inſtituerunt. Haec in Pariſienſi Sorbona, Anglia, & Germania quammaxime eminuit, & IV. potiſſimum prioribus Seculis Scholaſticis. Quatenus vero integro illorum temporum intervallo ut plurimum Magiſtri Epitome cum ſuis commentariis apud Scholas invaluit, Vetus haec Scholaſtice poteſt *Lombardiana* nuncupari.

LI. *Exponitur Scholaſtice* Recens.

Recens eſt, quae a Seculo V. fere medio Scholaſtico aduſque finem ſexti, hoc eſt ab an. Chriſti 1540. circiter ad 1700. perpetuo curſu in Scholis Theologicis exculta eſt, & publicis privatiſque commentariis illuſtrata. Ejus intervalli Doctores, hinc priſcorum praecipua fundamina, praeceptaque retinentes; inde Angelici philoſophica & theologica doctrina, quam Summa comprehendit, plerumque ductati, Facultatem in meliori lumine collocarunt; antiquiorum ſenſa frequentius in diſciplinae Thomiſticae confirmationem acceperunt; quaeſtiones copia & acumine uberiores tradidere; plures, eaſque ſub diverſis ſyſtematibus copioſiores excogitarunt; tractatus longe fuſiores lucubravere; nitidiorem methodum perſecuti ſunt; ſcholaſtica principia ſolidioribus momentis confirmarunt: fere dixeris, Facultatem univerſam exhauſiſſe, numeriſque omnibus abſolutam concinnaſſe. Reſplenduit ipſa perinſigniter in Hiſpania, praeſertim in Academiis Salmanticae ac Compluti; tum Conimbricae ac Eborae, cum Luſitania ſub hiſpana ditione regeretur. Et quoniam iis aetatibus, vel Angelici Summae doctrina, vel doctrinae methodus ut plurimum obtinuit, ſi Scotica Gymnaſia ferme unice exceperis, *Thomiſtica* appellari valet ea Recens Scholaſtice.

LII. *Exponitur Scholaſtice* Noviſſima.

Noviſſima eſt, quae toto pene Seculo Scholaſtico VII. in exteris Scholis docetur, & ad Seculi guſtum & genium ſecundum Critices, & chronologicae Eruditionis regulas a ſuis Doctoribus uſque modo

(*n*) De locis Theol. l. 9. tot. & 10. aduſque cap. 6. incluſive.

(*o*) Tract. de Studiis Monaſticis par. 2. cap. 6. fere tot.

modo evulgata eſt, Quae autem in Hiſpanicis ſaltem aduſque an. Chriſti 1750. exculta eſt & commentariis exornata, non alia eſt quam ipſa Recens, aut denuo dumtaxat ſevere exercita; aut novis quibuſdam acceſſionibus locupletata. Illa igitur exterorum Scholaſtice, qualem ſupra deſcripſimus, ordine, ſtilo, vocibus ut plurimum claret ac enitet; criticis Patrum, Conciliorum, ſacri Codicis, Hiſtoriarum ſaepe abundat teſtimoniis; ſed quae tamen haud raro parum ſeu nihil ad rem conferunt, & affectatae dumtaxat eruditionis gratia quaeſita atque producta videntur: at in quaeſtionibus mere ſcholaſticis profundiores ſenſus rari ſunt, ingenioſa ſubtilitas fere exſulat, rationis nervus elanguet; quaſi fuerint rudibus dumtaxat, aut mediocribus ingeniis, quae rem abſque labore capiant, lucubratae. Hinc ejuſmodi Scholaſtice plane *Florulenta* nuncupanda.

LIII. *Caſtigatur Ephraimus Chambers, tamquam male dividens Scholaſtices epochas, ac de eadem peſſime ſentiens.*

Haud me latet, nuperum ſcriptorem Anglum *Ephraimum Chambers* in Anglicano univerſali Artium ac Scientiarum Lexico italice Venetiis edito 1749. articulo *Scolaſtico*, longe aliter Scholaſtices ſtatus, aut epochas effinxiſſe. Sed ipſe tamen, & quoad hocce figmentum, & quoad nonnulla alia, quae ibidem inconſideranter effutiit, pro merito animadvertendus.

Principio enim tres diviſit Scholaſtices aetates, aut periodos: primam ſcilicet aut antiquam a Lombardo aduſque Albertum Magnum, quae, inquit, annis 300. circiter excurrit; ſecundam aut mediam ab Alberto uſque ad tempora S. Thomae, quae perduravit 100. annis; tertiam aut novam ab aetate Durandi a S. Portiano ac deinceps uſque modo.

Haec tamen diviſio & incongrua eſt, & anachroniſmos patitur. Eſt incongrua; quia a Lombardo uſque ad Durandum Lombardiana eadem Theologia, vel ſub hoc, vel ſub illo ſyſtemate, expoſita, in Scholis univerſim praelecta eſt ac exculta: tum ab aevo Franciſci de Victoria fere ubique gentium praevaluit Doctoris Angelici Summa, quae Lombardianam vehementer obſcuravit: hac tandem noviſſima aetate adeo materia, forma, ſtilo, methodo plerumque traditur diverſa, excoliturque Scholaſtice, ut faciem pene mutaſſe videatur: incongruenter igitur haec in periodos diſtribuitur, quin ipſi ejuſmodi Epochae praefigantur.

Et turpes quoque patitur anachroniſmos: quoniam Lombardus deceſſit an. Chriſti 1164. & Albertus 1280., ubinam ergo anni circiter 200. quibus adſerit primam periodum excurriſſe? praeterea S. Thomas prae Alberto e vivis exceſſit, nempe anno Chr. 1274. ubinam ergo anni 100. ſecundae periodi? & quiſnam hujus epochae chronologicus ordo? Quod ſi eos centum annos excipiat ſeu enumeret ab Aquinate aduſque Durandum, cum hic fato ceſſerit an. Chr. 1333., etiam in computo deficit vehementer: atque adeo dum in Scholaſtices Hiſtoria magiſterium affectat, chronologica ferula corripiendus.

Definit deinde tanquam ex tripode, ſacram Scholaſticen eſſe illam Theologiae partem aut ſpetiem, quae ratiocinio & argumen-

tis quaeſtiones enodat; atque adeo toto coelo diverſam a Poſitiva, quae Patrum Conciliorum &c. authoritate innititur: ubi falſo adſerere videtur, Scholaſticen uno inniti ratiocinio, minime Scripturarum, Patrum, Conciliorumque teſtimoniis. Iis vero, dum Scholaſtice invidiam conflare adnititur, ejuſdem indolis, ac ſtili nimis imperitum ſeſe probat: quod quidem ab inſtituto profitentis univerſalem ſcientiarum omnium cognitionem ſummopere alienum eſt. Ecquis deinceps ei fidem adhibeat, dum ceterarum artium & ſcientiarum naturam explanaverit?

Petulanter denique adſirmat, modo Scholaſticen fere ab omnibus & ubique ſummo deſpectui eſſe; adeo ut non niſi in perpaucis Univerſitatibus, in quibus ex jure aliquo antiquo praelegenda eſt, excolatur. At bis egregie heic fallitur: primum enim apud omnes aequos rerum aeſtimatores jure ſuo magni fit & in pretio hodiedum habetur; ac deinde, ſi ſuas Anglicanas, ceteraſque acatholicas Univerſitates exceperit, in cunctis aliis vere catholicis, etiam recentiſſime inſtitutis, vel ſub una exacta methodo, vel ſub altera, Scholaſtice plane traditur, excolitur, promovetur; in Hiſpania praeſertim univerſa: nec mihi de quapiam conſtat Academia, quae vel conſuetudine, vel nova aliqua lege eam Scholis ſuis ablegaverit. Adde privata & pene innumera regularium Ordinum Gymnaſia, quae hodieque ipſam praelegunt, aſſiduiſque conatibus profitentur. Adeo univerſalis Lexicographus Chamberius in Scholaſtices Hiſtoria hoſpes eſt ac peregrinus. *At ne Sutor ultra crepidam.* Haec rurſus, & alia, quae nequidem veroſimilius loquitur, pluribus deinceps ſparſim convellemus.

LIV. *Exponuntur ſollemniores inter Scholaſticos Controverſiae.*

Interea vero ad Domeſticos calamum convertamus & literarias Scholarum lites aut Controverſias, quae magna pars Scholaſticae Hiſtoriae merito reputandae ſunt, pro hujus coronide in medium proferamus. Quod autem eas ſpectat, praeterquamquod ſectae ſingulae pro ſuis ſyſtematibus defendendis, & adverſis oppugnandis pro virili aſſiduis temporibus dimicarunt, hae, quas jam exponimus, valent prae reliquis praecipuae atque celebriores exiſtimari.

SCHOLASTICAE CONTROVERSIAE.

LV. *Controverſia Pariſienſium, & Oxonienſium Scholaſticorum de noviſſimis Mendicantium Ordinibus.*

CONTROV. I. VIx ortum habuit in Eccleſia Dei Seculo Scholaſtico II. & Chriſti XIII. Mendicantium Ordinum Inſtitutum, Sorbonae tum enaſcentis Scholaſtici de ejus probitate addubitarunt: quare in ipſum ſophiſticis momentis, declamationibus, ſcriptis invecti ſunt, omnium Duce *Guillelmo de Sancto Amore* Belvacenſi Canonico, ac Doctore Pariſienſi. Ac id praeſertim Sorbonici Mendicantium ſtatui probro vertebant, quod voluntariam paupertatem profiteretur, quaſi turpe Chriſtiano foret ſponte ſua mendicum eſſe.

Verum

Verum pro ſuo Inſtituto, a ſummis Eccleſiae Hierarchis confirmato, uterque Dominicanus & Franciſcanus Mendicantium Ordo viriliter reſtitit ac palmam tulit, agmina ducentibus pro Dominicanis S. Thoma, & S. Bonaventura pro Franciſcanis; illo nempe vulgato praeſertim opuſculo contra peſtiferam doctrinam retrahentium homines a religionis ingreſſu & altero inſuper commentario in laudati Guillelmi confutationem (*p*); iſto vero tribus ſignanter editis opuſculis, I. nempe Apologia Evangelicae paupertatis, II. Tr. contra Franciſcanae regulae calumniatorem, III. Apologia in eos, qui Ordini Minorum adverſantur.

Et iis quidem commentariis ambo clariſſimi Mendicantim Scholaſtici, *& Chryſoſtomi* doctrinam in vitae Monaſticae vituperatores, tribus libris contentam, inſtaurarunt; & praeluſere plurimis, qui vota Monaſtica adverſus Lutherum & vigeſimum ſeptimum Auguſtanae Confeſſionis articulum acriter propugnarunt; quales dixeris *Joannem Cochlaeum* [*q*], *Jonn. Hoffmeiſterum* [*r*], *Alphonſum Virveſium* [*s*], *Alanum Copum* [*t*], *Albertum Pighium* [*u*], *Petrum Caniſium* [*x*], *Staniſlaum Hoſium* [*y*], *Latomum* [*z*], *Robertum Bellarminum* [*a*], alios.

Quin etiam Romae interea *Humbertus*, Ordinis Praedicatorii Generalis Magiſter, cum *Alberto Magno*, & *S. Bonaventura*, Minorum Generali Miniſtro, pro cauſſae patrocinio, invictis momentis adductis, Alexandrum P. IV. convenerunt. Hic autem illis auditis, ſeveroque examine diſcuſſo Guillelmi de S. Amore libro contra Mendicantes edito, inſcriptoque *de periculis noviſſimorum temporum*, hunc tandem damnavit tanquam *iniquum*, *ſceleratum*, *& execrabilem* [*b*] & concremari juſſit. Quo quidem Mendicantibus palma conceſſa eſt [*c*]. Cum vero idem Guillelmus, tametſi Apoſtolica authoritate ex albo Doctorum expunctus, ejuſdem Pariſienſis Academiae partem maximam in ſuas partes traxiſſet; tum, eodem incentore, tractatus haberentur in ſingulis comitiis Academicis, ut Guillelmum reſtituerent, & ab Academia Mendicantes excluderentur; ipſis idem Alexander eccleſiaſticas cenſuras minatus eſt, niſi Guillelmi deſererent patrocinium, & cum Praedicatoribus, Minoribuſque Religioſis, quos ſummopere commendabat, pacem ſervarent (*d*).

Porrò

(*p*) Hunc retulit *Henricus Gandavenſis* Ap. *Bollandianos* in vita S. Thomae tom. 7. Martii, in Annotatis p. m. 667.

(*q*) In memorati articuli Diſcuſſione.

(*r*) Contra eundem artic.

(*s*) Philippica 20.

(*t*) Lib. 2. Dialogor.

(*u*) Controverſia 14.

(*x*) De corruptelis Verbi Dei cap. 2. 3. 4.

(*y*) Catechiſmo Polonico c. 88.

(*z*) De Inſtitutis Monaſticis.

(*a*) Controverſia 5. gener. l. 2.

(*b*) Diplomate, quod incipit *Romanus Pontifex*. dat. Anagniae 3. Octob. 1256. Plura de hoc facto *Budaeus* de Univ. Pariſ. in Catalogo Academic. illuſtr. in *Guillelmo*.

(*c*) Porro librum hunc Univerſitati Pariſienſi adjudicarunt *Matthaeus Paris* in ejuſdem libri praefatione, ac *Eduardus Brovvn* in praefat. tomi 2. Faſciculi rerum expetendar. & fugiendar. Orthuini Gratii edit. Londin. 1690: oppoſitum tamen luculenter evincitur ex traditis à *Cantipratano* l. 2. Apum. c. 10. *Raynaudo* de malis ac bonis libris partit. 1. erot. 8. a n. 118. (*V. Bulaeus* proximè laudatus.)

(*d*) Epiſtolis 172. & 197. libri 5. epiſtolarum. Conſuleſis ejuſmodi Pontificias

Con-

Porro proximo Seculo Scholaſtico III., Chriſti XIX. in Anglia apud Oxonienſes Scholaſticos in idem Mendicantium Inſtitutum acerbe pugna recruduit, omnium Principe *Richardo Radulpho*, Oxonienſis Gymnaſi Cancellario, Armachano deinceps Archipraeſule: nonnullis praeſertim editis a Viro alioqui doctiſſimo adverſus Mendicantes, eorumque paupertatem opuſculis. Deceſſit ipſe an. Chr. 1359. Sed ei tamen permultis apologematis ſtrenue reſtitere Mendicantes ex utroque Ordine Scholaſtici; Carmelitanis, & Auguſtinenſibus, qui jam tum in Anglia cum doctrinae laude florebant, opem ferentibus: ac prae ceteris *Rogerius Chonnoe*, aliis *Convvay*, Minorita, qui multis Scholaſticis commentariis emiſſis denatus eſt an. Chr. 1360. Hic autem celeberrimo apologo ita perdocte Mendicantium cauſſam tuitus eſt, ut viſus fuerit triumphum referre. Neque plane deinceps niſi a viris dubiae erga catholicam Eccleſiam fidei ejuſmodi criminatio eſt excitata; nonnullis praeſertim accedentibus Pontificiis Diplomatibus in Mendicantium, pluriumque conſimilium Ordinum cauſſae patrocinium.

LVI. *Controverſia de S. Thomae doctrina.*

CONTROV. II. Quantumvis Scholaſtica S. Thomae doctrina, tot operibus deſcripta, ſtatim ac iſta vulgata ſunt, communi plauſu recepta fuerit; variam tamen ob nonnullos ei adverſantes fortunam paſſa eſt. „ Sed in Scholis Theologicis, inquit *Bulaeus*, agens de magna S. Thomae apud Pariſienſem Academiam exiſtimatione [*e*] magna tum erat, & deinde etiam major altercatio & contentio de doctrina illius Viri, quam nonnulli Magiſtri ad inſtar Oraculi ſuſcipiendam & venerandam eſſe dicebant; alii vero nonnullas ejus theſes & opiniones erroris macula notabant „.

Principio enim nonnullae ex S. Thomae ſcriptis excerptae theſes tanquam erroneae ad infulatos Eccleſiae Praeſules delatae ſunt, & ſollemnibus decretis ab eiſdem reprobatae feruntur. Equidem hujuſmodi decreta vulgo promulgata traduntur a Guillelmo Alverno [*f*] & Stephano Tempier [*g*] Pariſienſibus Epiſcopis, tum a Roberto Kildwarbio [*h*] & Joanne Pekamo [*i*] Archipraeſulibus Cantuarienſibus. Haec porro decreta opiniones plurimas adjecta errores cenſura perſtringebant; inter ipſas vero haud paucas etiam a S. Doctore ſcripto traditas comprehendi, multorum ſententia ferebat, praeſertim apud Thomae adverſarios [*k*].

Deinde permulti magni nominis Theologi Thomae doctrinam in ſuis Scholaſticis Commentariis pervulgatam acerrime infectati ſunt; uti Seculo Scholaſtico II. proxime poſt ejuſdem Angelici Doctoris

Conſtitutiones ac Epiſtolas Ap. Tom. I. Bullarii Ord. Praedicatorum, Antonini Bremond adnotationibus illuſtratas.

(*e*) In Hiſt. Univ. Par. tom. 3. p. m. 409.

(*f*) An. 1241.

(*g*) An. 1276.

(*h*) An. eodem 1276.

(*i*) An. 1284.

(*K*) Perplura de hoc argumento *D'Argentraeus* in Collect. judic. tom. 1. a p. m. 175. & 234., tum *De Rubeis* Differt. critic. 25., & 26. edit. Venetae de an. 1750.

ctoris obitum, *Henricus Bonicolli*, Gandavenſis, & *Joannes Duns*: Seculo deinde III. *Petrus Aureolus*, *Durandus a S. Portiano*, *Franciſcus Mayronius*, *Joannes Bachonius*: poſterioribus ſubceſſive Seculis *Joannes de Ripa*, *Adamus Goddam*, *Nicolaus Gorranus*, *Henricus Guido*, *Gulielmus de Lamara*. Quin & univerſus Ordo Franciſcanus, adeo illuſtrium Scholaſticorum fecundus, ubi Scoti ſui placitis conſtanter adhaeret, in multis a Thoma abſcedat, oportet: eſto unus aut alter, ut *Franciſcus Macedo*, Minorita & *Marcus a Baudunio*, Capucinus, utrumque Doctorem conciliare pertentaverint. Id quod pari jure dicendum venit de Schola Bachonica, AEgidiana, Ecleſtica, & aliis, quae Ducum aliorum doctrinis, Thomaſianis ſaepius adverſis addictae, fere hucuſque Scholaſticen excoluere.

Enim vero permulti pugiles egregiis apologis Thomae doctrinam vindicarunt: puta Perantiquus *Anonymus* cujus Mſ. Codicem refert & ex parte exſcribit *De Rubeis* [*l*], *AEgidius Columna*, Angelici diſcipulus, cum Pariſiis Sententiarum libros exponeret; *Robertus Oxfordius*, qui fl. 1270., *Richardus Clapole* 1286., *Bernardus Claremontanus* 1298., *Gulielmus Mansfelde* 1320., *Joan. Capreolus* 1415., *Iſidorus Iſolanus* 1522., *Franciſcus Sylvius* 1624., *Joan. a S. Thoma* 1640., *Joan. Baptiſta Gonet* 1669. *Jacobus Echard* 1722. & noviſſime *De Rubeis* [*m*]. Ipſam deinde doctrinam univerſim amplexi ſunt quotquot Theologicam ejus Summam commentariis illuſtrarunt, e quibus duo in folio volumina *Xantes Mariales* confecit, ipſiſque totidem fortaſſe adjicere liceret. Eandem inſuper religioſo obſequio ſequutae ſunt plurium Regularium Ordinum & Academiarum Scholae, Angelico Thomae addictae tanquam Ductori. Univerſus praeterea Coetus Dominicanus multis uſque ab hinc decadibus in Thomae verba juravit, eumque alii aemulati ſunt, ut Excalceati hiſpanae Congregationis Tereſiani, Clerici Regulares Minores, Patres Minimi, & Sholarum Piarum Sodales.

Tandem, quod caput eſt, permulti Summi Pontifices, qua Angelici doctrinam, qua hujus ſectatricem Thomiſticam Scholam profuſis laudibus commendarunt. Videlicet *Joannes* vulgo XXII. [*n*], *Clemens* VI. [*o*], *Urbanus* V. [*p*], *S. Pius* V. [*q*], *Sixtus* V. [*r*], *Clemens* VIII. [*s*], *Paullus* V. [*t*], *Alexander* VII. [*u*], *Benedictus* XIII. [*x*], *Cle-*

(*l*) In laud. Diſſert. 25. c. 1. n. 3.

(*m*) In Admonitionibus praeviis ad tomos Operum S. Thomae, quae adornavit, praeſertim in Admonitionibus praeviis ad tomos x. xi. xii. xiii. & xxiv. Ipſe conſulitor.

(*n*) Conſtit. *Redemptionem miſit* 1323. xv. Kal Auguſt.

(*o*) Conſt. *In Ordine*. 1344.

(*p*) Diplomatibus *Copioſus* & *Laudabilis* x. Kal. Jul. & pridie Kal. Septemb. 1368.

(*q*) Conſtit. *Laudabilis Deus*. 1567. iii. Idus April.

(*r*) Conſt. *Triumphantis*. 1588. pridie Idus Mart.

(*s*) Conſt. *In quo nos*. & *Quantum prodeſſe*. 1603. 22. Novemb.

(*t*) Conſt. *Splendidiſſimi*. 1607. 17. Decemb.

(*u*) Conſtit. *Literas*. 1660. 7. Auguſt.

(*x*) Conſt. *Pretioſus*. 1727. vi. Kal. Jun. & Brevi altero 1724. 6. Novemb.

Clemens XII. [y] quibus plane quid ſublimius, & glorioſius ne quaero.

VLII. *Controverſia de SS. Deiparae Conceptione.*

CONTROV. III. Celeberrima de Ss. Deiparae Conceptione Quaeſtio, num ſcilicet orgineae labi fuerit obnoxia, ſeu potius, divina praeveniente gratia penitus Immaculata; jam a temporibus S. Bernardi, & Mauritii Soliac, Pariſienſis Epiſcopi coepta & acriter ventilata, inter Scholae tandem Theologos hinc inde dimicantes praefervide exarſit. Porro Lombardi aetate, totiſque fere I. & II. Seculis Scholaſticis adſertum de maculato Conceptu apud Pariſienſes, Anglicanos, Germanoſque Theologos, paucioribus refragantibus, communius obtinebat (z). Et illud quidem, etſi Lombardus in ſua Theologia quaeſtionem diſertis vetbis non attigerit, ſua ſententia comprobarunt primores Scholaſtici, *Alenſis* [a], *Albertus Magnus* (b), *S. Bonaventura* (c), *S. Thomas* [d].

Hanc itidem opinionem, ut Sacro Codici, Chriſti Domini erga Deiparam Redemptioni, Patribus, rationique plus conſentaneam, ſubſequentibus Seculis, ex omni pene gente ac ſorte doctiſſimi Scholaſtici e cathedris & ſuggeſtis ardenti animorum certamine quoad licuit ſuſtinuere. Quin etiam plurimi frequentibus prelo emiſſis commentariis ſubtili ratiocinio confirmarunt; ut *Turrecremata*, *Capreolus*, *Vincentia*, *Cajetanus*, *Spinaeus*: ac prae ceteris *Vincentius Bandellus e Caſtronovo*, Praed. Ordinis Magiſter Generalis XXXVII. au. Chr. circiter 1470., qui tractatibus de Virginis Conceptione, ac de ſingulari praerogativa Conceptionis Chriſti Domini, acerbiſſime invectus eſt in Immaculati Conceptus ſententiam ut abſurdam, impiam, haereticam, diabolicam; utpote ſacris literis, Conciliis, Patribus, Scholaſticis, rationi penitus adverſam.

Heac tamen opera, fortunam variam ſuſtinuerunt. Primum enim valide oppugnata ſunt a *Roberto Gaguino*, Trinitarii Ordinis Miniſtro Generali, qui fl. 1480., a mirabili *Carolo Fernando*, Monacho Benedictino qui fl. 1490., a *Nicolao L'Herminier*, Pariſienſi Theologo, cum ſexcentis aliis. Deinde a *Sixto* P. IV. ſollemni diplomate ex indirecto ſaltem, prout adſerentia, haereticam eſſe opinionem, Immaculatum Deiparae Conceptum adjudicantem, damnata ſunt. Novo tandem *Julii* P. II. diplomate, in hiſpanis Dioeceſibus Toletana, Carthaginenſi & Conchenſi proſcripta fuere, ultricibuſque flammis concremata (e).

Quot vero, quantiſque illa Opinio diſſidiis, jurgiis, ſcandalis, trium

(y) Conſt. *Verbo Dei* 1733. 28. Aug. & Brevi *Apoſtolicae providentiae*. 2. Octob. ejuſdem an.

(z) Magiſter *Gualterus*, S. Victoris Pariſienſis Prior, quem ſupra adpellavimus, fertur, an. 1179. in ſcriptis adſeruiſſe Immaculatam Deiparae Conceptionem contra Petrum Lombardum. Confer *D' Argentreum* in Collect. judic. de nov. errorib. tom. 1. p. m. 117. col. 2.

(a) 3. p. Summae quaeſt. 9. membr. 2. art. 1. in Reſolutione.

(b) In 3. diſt. 3. ar. 4.

(c) In 3. diſt. 3. art. 1. q. 2.

(d) Part. 3. q. 27. art. 2.

(e) Ita refert *Chriſtoph. Vega.* in Theol. Mariana tom. 1. Palaeſtra 3. Certam. 9. num. 342.

trium fere Seculorum ſpatio, non modo in Scholis, ſed etiam inter multiplicem Gentium plebem obnoxia fuerit; & quidem vel Angliam ſpectes, vel Galliam, vel Germaniam, vel Hiſpaniam; nec enarrare vacat, nec paucis exponi valet. Ea dabunt cum ſtupore animi, accurati & copioſiores iſtarum Gentium Chronographi, necnon alii (*f*). Illis igitur tumultuoſis ſcandalis, quibus frequenter, nec leviter, & offendebatur pietas, & chriſtiana charitas lacerabatur, diu Scholae ac populi exagitati ſunt, donec Summi Pontifices graviſſimis injunctis praeceptis in adſerentes maculatum Virginis Conceptum, illorum ora penitus obturarunt, calamoſque repreſſere.

Equidem *Sixtus* IV. (*g*) damnavit docentes aliquas propoſitiones Conceptum Virgineum concernentes, tum libros omnes, qui eaſdem continerent: *Alexander* VI. (*h*) eaſdem & ſub eiſdem cenſuris damnationes innovavit: *S. Pius* V. (*i*) eadem confirmavit; addiditque, nonniſi inter doctos, ubi ſcandali nulla occaſio ſubeſt, poſſe quaeſtionem illam utrimque ventilari: *Paullus* V. (*k*) eadem rurſus confirmavit; inſimulque prohibuit, ne ullatenus publice doceretur, aut adſereretur, Deiparam origineam labem contraxiſſe: *Gregorius* XV. (*l*) praefatam prohibitionem ad privata quaelibet, ac familiaria colloquia extendit: demum *Alexander* VII. (*m*) ad Philippi IV. Regis Hiſpaniae preces, edidit celeberrimam innovationem Conſtitutionum & Decretorum, in favorem ſententiae adſerentis, Animam Ss. Deiparae in ſui creatione, & in corpus infuſione a peccato originali praeſervatam fuiſſe, vulgatorum. His autem & exinde uſque modo egregia effulſit chriſtianis populis quoad celebrandas Mariae laudes pax & tranquillitas, & quoad tenenda, praedicandaque Mariani Illibati Conceptus privilegia ſummus obvenit plauſus, ac maximum incrementum.

Quid vero? Et ipſa quidem de Immaculato Deiparae Conceptu adverſa, piaque Sententia, utpote meliori nata ſidere, digniorique omine provecta, ſaltem ab an. Chr. 1480. longe communius obtinuit, ac ſplendidius emicuit. Quid integram hac de re contexam Hiſtoriam, quae multa volumina opplere poſſit? Dicam paucis.

(*f*) Videlicet *Petrus de Montes* tract. de ejuſmodi ſcandalis in Caſtellae Regnis, *Ludovic. de las Caſas* tr. de Concept. *Petr. Rodolphus* l. 2. Hiſtor. Seraphicae; *Catharinus* l. 2. de Concep. perſuaſione 19. *Jacobus Chriſtopolitanus* in Canticum *Magnificat*; *Anton. Cordubenſis* in qq. theolog. q. 44. Cap. *Noverint*; *Aegidius de Praeſentatione* de Praeſervat. B. V. l. 3. q. 6. art. 4. *Abulenſis* Paradoxo I. c. 21. *Jo. Mayor* in Cap. I. Lucae & in 3. ſent. diſt. 3. q. 1. *Franciſ. Soſſa*, Oxomenſis Epiſc., in Defenſione Orationis Mexiae de la Cerda; *Proceſſus & Scripturae* de hoc argumento olim ad Philippum III. Hiſpaniae Regem & Paullum P. V. tranſmiſſae: *Authores Mariani* paſſim, cum *Strozzio*.

(*g*) Geminata Conſtit. *Grave nimis*. 1482. & 1483.

(*h*) Conſt. *Illius, qui.* 1502. viii. Kal. Mart.

(*i*) Conſt. *Super ſpeculam* 1570. prid. Kal. Decembr.

(*k*) Conſt. *Regis pacifici* 1616. 6. Jun. & decreto in Generali R. Inquiſitionis Congregat. 1617. 31. Auguſti.

(*l*) Decr. emiſſo in Generali R. Inquiſit. Congregat. 1622. 26. Maj.

(*m*) Conſt. *Sollicitudo*. 1661. 8. Decemb.

Fortaſſe primus pro Illibata Conceptione privatim ſcripſit Pariſiis *Raymundus Lullus*, apud Baleares Beatus & Martyr dictus, videlicet Seculo II. Scholaſtico, & Chr. an. 1290. [*n*], & ſecundus *Richardus de Media Villa*, Minorita, qui eodem anno florebat (*o*). Verum eam abſdubio Primus aperto marte *Subtilis Scotus* propugnavit, ſcilicet primum in Oxonienſi Academia, deinde in Pariſienſi; eamdemque inſuper literis ingenioſe conſignatam reliquit (*p*).

Noviſſime quidem *Franciſcus de la Vega* in Chronico Caſtellanae Provinciae ſui Ordinis Ss. Trinitatis par. 1. l. 1. n. 78. adverſus hunc Scoti Primatum refert, typis mandatum reperiſſe, quod S. Joannes de Matha dum Theologum Magiſtrum ageret in Pariſienſi Academia Seculo Chr. XI. ab an. circ. 1188. in publicis theſibus Immaculatam Virginis Conceptionem ea qua ardebat erga hocce Myſterium pietate palam propugnarit.

Ceterum ſingularis haec Hiſtoria reliquos fortaſſe univerſos Scriptores, quorum erat illam opportune tradere, hucuſque latuerat. Ex iis plane bene multos ſolerter evolvimus, ubi producti eventus enarrationi locus eſſet: ac prae ceteris *Bulaeum* & *Launoium* [*q*], *Robertum Gaguinum* Ord. Ss. Trinitatis (*r*), *Baronium*, *Raynaldum*, *Spondanum*, *Pagium* (*s*), *Bonavent. Baronem* (*t*), *Theophil. Raynaudum* (*u*), *Hippolyt. Marracium* (*x*), *Salazar* (*y*), *Joan. Nierembergium* (*z*), *Jodocum Clictovaeum* (*a*), *Ludov. de Miranda* (*b*), *Petrum de Alva* & *Aſtorga* (*c*), *Wadingum* (*d*), *Thom. Strozzi* (*e*), *Benedict. Plazza* (*f*), *Xaver. Mannhartium* (*g*). Sed ii tamen omnes, & alii memoratam doctiſſimi juxta ac ſanctiſſimi Joannis Diſputationem omnino ſilent.

Nec ullum deinde pro ea documentum adfert Vega, nec ullo ipſam confirmat teſtimonio, ab ſui Ordinis Hiſtoriographis petito.

Immo

(*n*) In lib. quaeſtionum ſup. IV. ſentent. libros.

(*o*) Lib. de Concept. B. V. quem ei adſcribunt *Villotus* in Athenis Ord. Minor. *VVadingus* de Script. Ord. Minor. *Poſſevinus* appar. ſacro in Richardo.

(*p*) In 3. ſent. diſt. 3. q. 1. Cap. *Ad quaeſt.* & diſt. 18. q. unica n. 9. Plura de hoc argumento *Salaz.* l. de Concept. c. 13. & 42. *VVading.* in Annal. Min. an. 1304. a n. 34. & l. de Conc. Virg. ſect. 3. tr. 13. §. 1. n. 5. alii.

Porro primam hanc publicam & quidem celebratiſſimam Scoti pro Immaculato Conceptu Diſputationem primus omnium falſitatis inſimulavit *Nat. Alexand.* in Hiſt. Eccleſ. ad Sec. 13. & 14. ſed eum tamen nervoſe refellit Annalium Minorum Continuator *Joannes de Luca* ad an. 1546. a n. XXXVI.

(*q*) In Hiſt. Acad. Pariſ.

(*r*) De geſtis Franciae lib. 6.

(*s*) In Annal.

(*t*) In Annal. Ord. Ss. Trinit. tom. 1. in Appar. par. 5.

(*u*) In Diptychis Marianis.

(*x*) In Fundatoribus Marianis.

(*y*) In defenſione Concept. ubi adfert teſtimonia Patrum & Scholaſticorum per Secula.

(*z*) In Parthenicis de ſupereximia & omnimoda puritate Matris Dei.

(*a*) De Puritate Concept. V. cap. 13.

(*b*) De Immaculata V. Concept. cap. 63.

(*c*) In Militia univerſali pro pia ſententia de Immac. Concept.

(*d*) In legatione Philippi III. & IV. ad Paullum V. & Gregorium XV., ſect. 3. or. 11. tract. 12.

(*e*) In Hiſt. Controv. de Immac. V. Concept.

(*f*) In Cauſſa Concept.

(*g*) In Biblioth. manuali to. IX. c. 8. in Controverſ. de V. Concept.

Immo eidem vehementer adverſari videtur prohibitio, qua tunc temporis Pariſienſis Academia tenebatur, ne videlicet in ea quiſpiam Immaculatam Dei-parentis Conceptionem publice palamque defenderet. Et hanc quidem inhibitionem, quam alii anno 1175. conſignant, idem Vega fatetur, tanquam a Mauritio Pariſienſi Epiſcopo profectam [falſo tamen, cum Mauritius ſolum legatur Immaculatae V. Conceptionis feſtum in Urbe Pariſienſi vetuiſſe (*h*)] & ad 1163. revocat. Ergone Joannem ſanctiſſimum ejuſmodi Academicae proſcriptioni, quae pene aduſque an. 1300. obtinuit, per fas nefaſque, palam reluctatum credideris? Quod ſi lege exemptum dixeris, de exemptione ferenda ſunt documenta, quae plane nulla norunt Eruditi.

Primo igitur publico & eximio Immaculati Virginis Conceptus Propugnatori Scoto adhaeſerunt illico quae ejus doctrinam Oxonii atque Lutetiae Univerſitates admiratae ſunt, cum ingentiſſimo ex omni claſſe Doctorum cenſu, quorum exarata pro eo argumento volumina ampliſſimam Marianam Bibliothecam conficerent. Quod autem Scholaſticos ſpectat, ſi III. IV. V. Scholaſtica Secula percurramus, ea frequentiſſimus illuſtravit eorum numerus, qui piam Sententiam data opera ſuſtinuerunt [*i*]; poſtrema vero Secula VI. & VII. praeclariſſimos Illibatae Virginis Conceptionis Tractatores abſque numero plane recenſent.

Nec abſimile quidquam de Catholicis Academiis exiſtimaveris. Cunctis eximio pietatis ſenſu praefulſit Pariſienſis. Haec autem quae an. Chr. 1387. damnarat ſollemniter theſim, qua Joannes de Monteſono, Dominicanus, maculatum Deiparae Conceptum defenderat, & poſt an. 1433. acceptaverat latum a Baſileenſi Synodo ſeſſione XXVI. de Immaculata Conceptione teſtimonium, celeberrimum Statutum an. Cr. 1497. promulgavit, adſerens, neminem deinceps ſacro Collegio adſcribendum, niſi ſe religioſae doctrinae de Immaculato Virginis Conceptu Adſertorem, ſtrenuumque Propugnatorem ſemper pro viribus futurum juramento profiteretur (*k*).

Adeo piis eorum Academicorum animis, tum poſterorum mentibus pia Sententia in obſequium divinae Matris inſedit, ut deinceps vertente jam Seculo Scholaſtico V. & Chriſti XVI. permulti ſacrae Facultatis Doctores intrepide propugnarint, ſaltem poſt Baſileenſis Concilii decretum, Conceptum Virgineum fide certa tenendum eſſe

(*h*) Ap. *Strozzium* in Hiſt. Concept. l. 3. c. 17. & *Bul.* in Hiſt. Univ. Pariſ. Sec. IV. ubi agitur de Mauritio.

(*i*) Eos recenſet, exponitque *Bened. Plazza* in Cauſſa Concept. Actione VII. art. II. quibus nos alios addimus infra Cap. IV. ſyllabo III. ſparſim.

(*k*) Extat ap. *Launoium* tom. 1. noviſſimae editionis ejus Operum de an. 1731. ab *Anonymo* illuſtrat. in Tract. de Praeſcriptionibus de Conceptu B. V. Mariae p. m. 33., tum ap. *Dupleſſium* to. 1. Collectionis Judiciorum de novis erroribus par. 2. ad an. 1496. excripſitque laudatus *Plazza*, & obſervationibus illuſtravit Act. VII. art. III. poſt num. 282. quem videſis.

Immaculatum. Sed eis tamen multis conſertis diſputationibus propalam reſtitit *Joannes Maldonatus*, S. J., Pariſiis tunc temporis praeclarae famae Theologus Profeſſor; donec lite ad Pariſienſem Antiſtitem delata, pro Maldonato ſententia dicta eſt (*l*).

Quoad ſtatutum vero de expetenda a laureandis expoſita juriſjurandi religione, perplurimae deinceps Academiae Pariſienſem imitatae ſunt. Videlicet an. Chr. 1499. Colonienſis; an. 1501. Moguntina; an. 1617. in Hiſpania Complutenſis, Toletana, Compoſtellana, Granatenſis, Caeſarauguſtana, Beatiana; an. 1618. Salmanticenſis: plures ſuccedentibus aetatibus in Italia, Germania, Belgio, Luſitania: ceterae generatim quaecumque Galliae & Hiſpaniarum dominio ſubjacent. Prae ceteris vero laudandum par jurisjurandi ſacramentum, quo obſtringuntur ex lege Academica, donandi laurea in Catalonica Univerſitate Cervarienſi; quippe quae cum ceteris ejuſdem Academiae legibus authoritate Apoſtolica approbata eſt, ac *de verbo ad verbum* confirmata per Clementem P. XII. (*m*). Adde his ſimile Votum de tuenda Immaculati Virginis Conceptus Puritate, a multis Imperatoribus & Magiſtratibus, a plurimis religioſis Ordinibus paſſim & conſtanter emiſſum.

Quid plura? ſufficiat pro explicanda hujuſce litis coronide ac palma, illud cum Auguſtino in eum ſenſum ingeminare (*n*) *Cantant & in Montibus Paſtores, & in theatris Poetae, & Indocti in Circulis, & Docti in Bibliothecis, & Magiſtri in Scholis, & Antiſtites in ſacratis locis, & in Orbe terrarum Genus humanum* Immaculatam Deiparae Conceptionem. (*o*)

Unus tamen hac noſtra aetate, quem ſciam, Clariſſimus *Ludovicus Muratorius*, ſub larvatis nominibus *Antonii Lampridii*, *Valdeſii*, *Lamindi*, ſententiam Bandelli (*p*) & Cajetani (*q*) partim innovavit (*r*). Sicut enim hi Doctores, Pariſienſes Academicos, & alios quod laudata nuper vota & juramenta pro Immaculato Dei Genitricis Conceptu elicuerint, tanquam temerarios, & in iis quae fidei ſunt, praeſumptuoſos objurgarunt; ita nuperus hic Scriptor eos dixit contenditque probare temerarios, ac ſtolide pios, qui votum aut juramentum emiſerint de tenenda & uſque ad ſanguinis effuſionem propugnanda Divinae Matris ab originea labe immunitate; in de-

(*l*) Pluribus rem perſequitur *L'Hermînier* in Theologia tr. de peccato originali, ubi de Virg. Concept., nec non *Launoi.* in Comment. de Concept. V., & *Strozz.* in Hiſt. Concept. l. 8. c. II. *Bulaeus* in Hiſt. Univ. Pariſ. t. 6. ad an. 1574 & 1575., & *D'Argentraeus* in Collect judiciorum de novis erroribus in Indice tomi I. & alias in tomo II.

(*m*) Conſt. *imperſcrutabilis*. 1730 4. Decemb.

(*n*) Lib. de duabus animabus contra Manichaeos cap. 11.

(*o*) Plura *Mariani Doctores*, cum *Dermitio*, *Petro de Alva & Aſtorga*, *Chriſtophoro de Vega*, *Bonae Spei*, *Plazza*, *Strozzi*.

(*p*) Tract. 2. contra Immaculatam V. Conception. par. 2. ratione 12.

(*q*) Tract. de Virg. Concep. cap. 5.

(*r*) Lib. de ſuperſtitione vitanda ſparſim, & alibi.

deſpectum propterea, votum illud nuncupans *ſanguinarium* (*).

Ejuſmodi porro conatibus Author hic traducere non dubitavit praxim a tot viris, Sanctiſſimis quidem, & perdocte cordateque Piis, ut laudabilem, Deoque ac Dei Matri gratiſſimam, receptam & obſervatam. Sed eos tamen, praeterquamquod ſat ſuperque retuderant, agentes contra laudatos Bandellum & Cajetanum, Scholaſtici Mariani, cum *Vega* (*s*); alii denuo Theologi invicte confutarunt, cum *Laurent. Migliacio*, *Joſ. Ignatio Milaneſio*, *Bened. Plazza*, *Franciſco Antonio Zacharia*, *Franc. Xaverio Mannhartio*.

Quidquid autem clariſſimus Criticus Muratorius cum Aſſeclis declamitet, haud dubitamus cum Granatenſibus Academicis convenire, qui poſt juratam Piae Sententiae defenſionem, haec ſubjiciunt: *& pro hac piiſſima Veritate ſanguinem ſi oportuerit profundere, & mortem ſubire, non recuſabo* (*t*); tum hocce praeterea cum piiſſimi *Spondani*

ADNOTATIO.

(*) AUdiatur *Muratorius* hac de re diſſerens ſub larva *Lamindi Pritannii* Comment. de Ingeniorum moderatione in Religionis negotio, l. 2. c. 6. ubi quaeritur, an laudandum votum ſanguinis profundendi pro tuenda Immaculata B. Virginis Conceptione? „ Sacramento *inquit* nonnulli ſeſe „ obſtrinxerunt, atque voverunt, ſe pro hu„ juſmodi opinione tuenda ſanguinem & „ vitam daturos, quoties occaſio poſceret. „ Novitium certe Martyrum genus, quod „ nuſquam Majores noſtri ſomniarunt, nun„ quam poſteri noſtri, ſi quidquam ſapiunt, „ probent. Neque Evangelium, neque „ ratio recta nos docent adeo levibus de „ cauſſis animam prodigere .... Cur tu ſan„ guine, quem ſine legitima cauſſa fundere „ nefas eſt, teſtari tamquam certiſſimam „ vis opinionem, quam Eccleſia ipſa, tot „ licet piorum quorundam precibus fatiga„ ta, certam decernere nondum ſuſtinuit, „ & prope eſt ut dicam, decerni non poſſe „ ſilentio ſuo quodammodo ſignificavit. „ Quis ſe certum facit de Coeleſti regno, „ ad mortem non ſine aliqua temeritate „ ruentem? .....

„ Quomodo te Numini placiturum „ putas, illiuſque Martyrem te futurum „ ſperas, ſi rite certus non es, te pro ve„ ritate mortem oppetere...? Cave ne „ amorem ac reverentiam Virgini debi„ tam eo uſque amplifices, ut ſuperſtitio„ ſam efficias. Non unus autem ego in„ hoc voto profundendae vitae pro Imma„ culata Conceptione Virginis ſuperſtitio„ nem timeo. Timuit & timet Apoſtolica „ Sedes, quae quamvis eandem opinio„ nem maxime veriſimilem & piam ducat, „ nihilominus hujuſmodi votum in Theo„ philo Raynaudo olim non probavit, ip„ ſumque adfirmantem pro ea cauſſa pium „ eſſe mori, ſilere juſſit. Sed fruſtra fuit „ illud a Romano Pontifice antidotum.

„ Noſtris quoque temporibus tum in „ privatis colloquiis, tum in publicis con„ cionibus idem votum repetitur, ea„ dem ſponſio auditur. Credi non poteſt „ a prudentia abhorrens, quod tanta pie„ tatis lineamenta praefert. Et tamen „ ſi hoc ferendum eſt, non video qui in „ immenſum protendere non liceat novum „ hoc Martyrii genus..... Quod certe in „ Eccleſia Dei nunquam tolerandum, ne „ idem Divinis atque humanis habeatur „ honor, neve temere & pro mendacio „ interdum, projiciatur pretioſa homi„ num vita „.

Haec de ejuſmodi voto Muratoriana critice, cui nonnulli ſubſcripſerunt. Num vero ipſa teneat & rem conficiat? Non vacat examinare ad graviora properanti. Dixerint ejus oppugnatores, quos mox laudamus.

(*s*) In Theologia Mariana, Palaeſtra III. Certamine XX.

(*t*) Conſtat ex *Regeſto* quodam authentico Univerſ. a col. 340.

dani calamo (*u*) cordis noſtri votum pronuntiare: *Nos ſane pro aſſertione Immaculatiſſimae Conceptionis Deiparae Virginis, ejuſque propugnatione paratiſſimi eſſemus toties vitam profundere, ſi fieri poſſet, quoties contingeret eam in dubium revocari: idque ex toto animo ſcribimus & profitemur* (*x*).

LVIII. *Controverſia inter Scholaſticos Dominicanos & Franciſcanos de Chriſti Sanguine, in triduo ejus Paſſionis effuſo.*

CONTROV. IV. Eccleſiae clavum tenente Pio P. II. Seculo IV. Scholaſtico, Dominicanos inter & Franciſcanos Scholaſticos de pretioſo Chriſti Redemptoris Sanguine brevi ſed acri certamine diſputatum eſt. Equidem S. Jacobus Picenus, Minorita, ſanctimonia & ſcientia conſpicuus, & ipſe aliquando in Pannonia Fidei Cenſor, Brixiae pro roſtris ad populum verba faciens die Dominica Paſchae 18. Aprilis an. Chr. 1462., aſſeruit, pluriumque Scholaſticorum calculis confirmavit, Chriſti Sanguinem in triduo paſſionis effuſum, & in terra jacentem, excidiſſe ab unione hypoſtatica, ac propterea latriae cultu haud dignum fuiſſe.

Haec vero theſis Brixienſibus Dominicanis peſſime audiit, utpote ſectatoribus ſui *Nicolai Eimerici*, Gerundenſis doctiſſimi, qui floruerat anno Chr. 1363. Hic enim in ſuo Inquiſitorum Directorio part. 2. quaeſt. 10. refert, Nicolaum Roſellium, dum in Aragoniae Regno Quaeſitoris Fidei munere fungeretur, priuſquam e Dominicana familia ad Cardinalitiam eveheretur dignitatem, juſſu Clementis P. VI. damnaſſe publice Barcinone ut erroneam & haereticam theſim ſimilem, ab aliquibus propalam edoctam; quod nimirum *in ſparſo Chriſti Sanguine non remanſerat in Paraſceve Divinitas, nec Sanguis ille erat deificatus*: id quod deinceps ut erroneum & haereticum, Patrum adductis teſtimoniis confutavit Clarii. *Franciſcus Peña*, nobilis Eimerici Interpres, ad locum mox laudatum, in commentariis editis 1585.

Brixienſes itaque Dominicani extemplo Jacobi Theſim ut erroneam, blaſphemam, haereticam, & quatalem dudum proſcriptam, & in ſcholis & in ſuggeſtis propalam ſugillarunt. Quin & Jacobus de Brixia, ex eodem Ordine, tunc temporis in eadem urbe Fidei Quaeſitor, Minoritam ſub anathemate cogere pertentavit ad publicam producti articuli revocationem. Hic vero, cum ſuae Familiae ſociis, invicte Quaeſitori reſtitit; reponens utique, theſim ſuam plurium Doctorum, quos ad manus habebat ac demonſtrabat, authoritate muniri; nec uſpiam de objecta Clementina proſcriptione conſtare: quo circa liberum cuique eſſe vel eam amplecti, vel confutare. Provocatum deinceps ad Bartholomaei Mauperti, Brixienſis Antiſtitis, tribunal. Hic autem lite perpenſa, & una cum permultis Doctoribus ſevero examine diſcuſſa; ubi nullum proſtabat de Clementis damnatione legitimum teſtimonium, definiit tandem eodem an. Chr. 1463., *utramque ſententiam ab errore immunem praedicari, donec Sedes Apoſtolica Deciſionem ſuam interponeret.*

Sed

(*u*) In Annal. Eccl. an. 1350. n. 24. mox laudatum ad calcem ejuſdem Palaeſtrae.

(*x*) Plura de ejuſmodi votis ap. *Vegam*

Sed en ſubitaneam ipſo anno ad Apoſtolicam Pii II. Sedem ; adpellationem. Pontifex vero priuſquam quidquam decerneret, publicam, ſollemnemque coram ſe ipſo, & cunctis Cardinalibus, ceteriſque eccleſiaſtica dignitate fulgentibus, qui Romae degerent, Diſputationem edixit; qua nempe utraque decertans familia digniora pro ſua opinione momenta in medium adferret. Ardenter itaque in Scholaſtico congreſſu poſt hominum memoriam auguſtiſſimo, ab utroque religioſo coetu dimicatum eſt; partes pro Franciſcano agente *Franciſco de Rovere*, poſtea Sixto IV., pro Dominicano vero *Gabriele Caſſaſages*, patria Barcinonenſi.

Quibus tandem auditis, nihil ſuper controverſo dubio definiit dogmatice Pius; ſed dumtaxat anno proximo 1464. 8. Auguſti emiſit Anconae Conſtitutionem, cui initium *Ineffabilis*, qua ſevere ſtatuit, ne ullus deinceps e Fratribus Praedicatoribus ullatenus diſputet, aut aliis ſuadeat, haereticum eſſe, vel peccatum, tenere aut credere Chriſti Sanguinem in Paſſionis triduo ab ipſa Divinitate quomodolibet fuiſſe vel non fuiſſe diviſum, donec ſuper ejus dubii deciſione quid ſit tenendum Sedes Apoſtolica definiret.

Hinc plurimi proMinorum Scholaſticorum ſententia, quae a cujuſpiam cenſurae naevo immunis & victrix evaſit, confirmanda, perdoctas Scholaſticas de Chriſti Sanguine Diſſertationes evulgarunt, ut *Franciſcus de Rovere*, *Dominicus de Dominicis*, Epiſcopus primum Torcellanus, & deinde Brixienſis, qui anno Chr. 1478. clarebat, alii. Neque vero adverſa Dominicana, modo apud Thomiſtas communior, metas uſque modo probabilitatis tranſiliit (*y*).

Ecquid autem de Eimerici hiſtoria, & Peñae doctrina? Paucis ſincere dicam. Imprimis vero ſimile non eſt, quod Pius Clementina Juſſa de Theſi ut haeretica proſcribenda contempſerit, ſi de eis legitime conſtaret: ſubindeque nulla eadem fuiſſe probabilius videtur, damnationemque illam Barcinonenſem ab uno Roſellio proceſſiſſe; quem nempe Eimericus, ejus in Quaeſitoris fidei munere ſucceſſor, nothis documentis ſeductus, ſpeciali Pontificia authoritate juſſum dixit. Quid? quod, aliquot bene ſapientum opinione, Eimericus idem, tametſi cetera Fidei zelo atque doctrina praeſtantiſſimus, haud raro tamen forte nimium liberaliter haereſeos aut erroris notam adfigere videtur theſibus, ceteroqui ſat ſuperque probabilibus.

Deinde Peña videtur oſcitanter rem egiſſe, dum ait, articulum illum Dominicanum eſſe *certiſſimum Catholicorum dogma*, Franciſcanum autem *vere velut haereticum vel jam olim a Ss. Patribus exploſum videri*, quippe qui *juxta catholicam veritatem aliud ſemper docuerunt*; idque probat ex Auguſtino & Ambroſio, prout eos laudat Magiſter Sent. l. 3. diſt. 21. §. *Sicut Auguſtinus*, & ex luculento S. Thomae p. 3. q. 50. art. 2. & 5. teſtimonio.

Enim

(*y*) Conf. *Franciſcum Collium* in Comment. de Sanguine Chriſti, edit. 1617. l. 5. Diſſert. 4. per tot.

Enim vero ſi articulus ille ſit certiſſimum catholicorum dogma, cur illum adſertive non receperit, recipiendumque definierit Pius? & ſi alter, qui primum Barcinone pervulgatus eſt, ut haereticus a priſcis Patribus explosus fuerit, ut quid idem Pius propalam doceri ac praedicari adeo liberaliter indulſerit?

Inſuper in editione Pariſienſi de an. Chr. 1660. Magiſtri textus cum S. Thomae commentariis, qua utor, tum in altera antiquiore Pariſienſi de an. 1553. ſimplicis Lombardi literae, neque hic ubi a Peña laudatur, nec Auguſtinus aut Ambroſius ubi ab eodem adducuntur per Lombardum recenſiti, quidquam de effuſo Chriſti Sanguine, ac paſſionis triduo permanente (in quem tota lis vertitur) eloquuntur, ſed de carne dumtaxat aut cadaverico corpore, de quo nemo unus Scholaſticus addubitarat, perduraſſe in eo triduo cum Divinitate connexum. Nec demum abſimiliter S. Thomas laudatus in editione Romana de an. Chr. 1570., quam verſo, differit ex profeſſo de Chriſti Sanguine, ſed modo de carne, aut corpore, quod omnes fide certa tenent fuiſſe tunc temporis Divino Verbo conjunctum. Ubinam ergo Angelicus Doctor Dominicanum, qui controverſus eſt, articulum *luculenter* adſeruit? Exiguum itaque ex conatibus Peñae, alioqui Juris Conſulti famigeratiſſimi, Thomiſticiſque partibus impenſe addicti, Dominicanae cauſſae patrocinium acceſſit.

LIX. *Controverſia inter Lovanienſes Theologos, & Leonardum Leſſium de aliquot hujus adſertis.*

CONTROV. V. Statim atque Seculo V. Scholaſtico Propoſitiones 79. Michaelis Baii, Lovanienſis Academiae Decani, pontificia authoritate fuerant profligatae, ſcilicet per Pium V. an. Chr. 1567. vii. Cal. Octob. & per Gregorium XIII. an. 1579. iv. Cal. Feb. tempeſtas valida adverſus Leonardum Leſſium, S. J. Lovanii magno ſapientiae nomine florentem, exorta eſt. Nempe eadem Lovanienſis Academia Theologicas quatuor ſupra triginta theſes e ſuis dictatis praelectionibus excerptas, quibus praecipue adſerebatur Praedeſtinatio poſt praeviſa merita, Reprobatio poſt praeviſa demerita, Gratiae ſufficientis natura, cum aliquo Scientiae, quam Mediam, ſeu Intermediam dicunt, praeludio, *tanquam peregrinas, offenſivas, periculoſas, haereſique vicinas* proſcripſit. Eadem cenſura paullo poſt a Duacenſi Academia profecta eſt; at non item a Pariſienſi, tametſi ad ipſam producendam fuerit a Lovanienſibus invitata. Offerebat quidem Leſſius confixarum theſium explicationem, accuratamque ſolidis momentis propugnationem, at nunquam auditus eſt. Hinc apud univerſum Belgium & Leſſius, & ejus diſcipuli, & ejus ſectatores, & ejus Jeſuitae conſodales crebris, turbulentiſque ſubortis rumoribus tanquam Pelagiani & haeretici traducebantur.

Enim vero non pauci fuerunt, qui in eo diſcrimine Leſſianae cauſſae faverent, nec ſatis aequam Lovanienſem cenſuram arbitrarentur. Horum numero jure accenſentur principio Academiae Moguntina; Trevirenſis; Ingolſtadienſis: deinde Laevinus Torrentius, Archipraeſul Antuerpienſis; Joannes Strienus, Antiſtes Middelburgenſis,

genſis; ſuffraganeus Cameracenſis, Minorita: demum Jacobus Tſantelius, Eccleſiae B. Mariae Contracenſis Decanus; Thomas Stapletonius, egregius Doctor Duacenſis.

Dum effervebat contentio, hinc inde paſſim ſcripta & literae proferebantur, quibus pars utraque ſuſceptam ſententiam tutabatur, & alienam confutabat. At interea Leſſius damnatas theſes, una cum graviſſimo Apologemate ad Sixtum P. V., perdoctum alioqui Scholaſticum, miſit, omnia ex animo, pontificio judicio ſubmittens. Pontifex ergo, auditis in Conſiſtorio Cardinalium placitis, Leſſianas poſitiones, tanquam *ſanae doctrinae articulos* adprobavit: quo plane judicio ſat aperte Lovanienſium, Duacenſiumque cenſuram perſtrinxit.

Ut autem in poſterum diſſidia ſopirentur, Pontificius in Belgio Nuntius Octavius, Epiſcopus Calatinus, die x. Jul. an. Chr. 1588. Edictum Lovanii publicavit, quo ſevere inhibuit, eos *ſanae doctrinae articulos* cenſura quapiam ab ullo deinceps quoquo modo notari. Quo tandem factum eſt, ut ſaeva jurgia, quorum Michael Baius incentor praecipuus ferebatur, protinus ſedarentur; immo plures ex eiſdem Lovanienſibus, Duacenſibuſque Doctoribus paullo poſt in ſententias Leſſianas ſponte abierint (z).

LX. *Controverſia de Auxiliis divinae Gratiae Dominicanos inter & Jeſuitas.*

Controv. VI. Ardua ſummopere difficultas conciliandi creatam libertatem cum Dei Praeſcientia, Praedeſtinatione, ac efficaci Gratia Auxiliante, oppoſita in Dominicanam & Jeſuiticam Scholas invexit Syſtemata, quae deinceps exordiente Seculo VI. Scholaſtico, & Chriſti XVII. celeberrimam inter Scholaſticas litem peperere. Variae proxime elapſo Seculo V. Scholaſtico, Chriſti XVI. ad ejuſmodi conciliationem elucebant in Scholis ſententiae, ac utrinque exagitabantur; ut probe diſcimus ex mutuis literis, reſponſiſque *Ruardi Tapperi*, Lovanienſis Academiae primarii Theologi & Cancellarii, qui clarebat an. Chr. 1550., cum *Petro Soto*, Dominicano, primum Dillingae in Suevia Scholaſtices Profeſſore, deinde in Britannica Oxonienſi Academia praeclaro Scholaſtices Reſtauratore (a), qui deceſſit 1563.; ac itidem cum *Jodoco Raveſtenio Tiletano*, Lovanienſi Doctore Theologo, atque Canonico, qui vitam adhuc agebat 1568. (b).

Itaque Scholaſtico V. vertente Seculo *Dominicus Bañez*, Dominicanus, in Academia Salmanticenſi clariſſimus Theologiae Profeſſor, olim Cani diſcipulus, ut illa extrema amico foedere conciliaret, hoc excogitavit Syſtema. Gratia Auxilians efficax, aut conjun-

(z) Plura *Theodorus Eleutherius*, hoc eſt *Livinus Meyer*, apprime Criticus, in Hiſtoria controverſ. de D. Gratiae Auxiliis, in Praefat. & lib. 1. fere toto: tum in Vindiciis ejuſdem Hiſtoriae adverſus Serryum; ac recenter *Joan. Bapt. Du-cheſnius* in Hiſt. Bajaniſmi lib. 3. fere per tot. Adde, clariſſimum eo temporis *Belarminum* controverſas Leſſii ſententias per docto Apologemate vindicaſſe.

(a) Ap. *Michael a S. Joſeph.* Bibliograph. critica in Petro Soto ex *Sandero*.

(b) Dudum typis editae ſunt una cum Animadverſionib. *Jacobi de Boſſu* in 25. theſes Ludov. Molinae.

ſta cum conſenſu, eſt ex ſe efficax, a creatura prorſus inimpedibilis, & inevitabilis, quam nempe eadem Gratia phyſice ac irreſiſtibiliter praedeterminat, utpote a divino decreto praedeterminante, ſeorſim ab ulla conditionatorum ſcientia, & ante omnem creatae libertatis actum profecta: ſic enim, haud ſecus, intelligitur Deus primum agens, liberum, determinans. Ita ille in Salmanticenſibus Praelectionibus, & Commentariis prelo excuſis jam ab an. Chr. 1584. (c)

Hanc celeberrimi Scholaſtici doctrinam quamcitiſſime adoptarunt in Hiſpania Scholae Dominicanae, aliique Doctores religioſi ac ſeculares; atque nonnullae etiam Academiae comprobarunt. Etvero Jeſuitae haudquaquam adduci potuerunt, quominus eam aut defendendam, aut probandam ſuſciperent, quam Lutheranis, Calvinianiſque dogmatibus retundendis minus idoneam, tum ſacrae Tridentinae Synodi ſanctionibus tuendis haud ſatis accomodam exiſtimarent. Immo potius quaſi ex condicto ipſam oppugnare pergebant in Eborenſi Academia *Petrus Fonſeca* & *Ludovicus Molina*; in Conimbricenſi *Franciſcus Suarez*; in Complutenſi *Gabriel Vazquez*; in Salmanticenſi *Prudentius de Monte-Mayor*: tum etiam Valliſoleti *Antonius de Padilla*; in Germania *Gregorius de Valentia*; in Belgio *Leonardus Leſſius*; in Urbe Roma *Franciſcus Toletus*, *Petrus Arrubal*, *Robertus Bellarminus*.

Idem Bañezius in Salmanticenſi Academia ſuum exagitavit Impugnatorem Prudentium de Monte-Mayor an. Chr. 1581., publicas de more theſes propugnantem; quibus nempe, & phyſicas noſtrorum actuum Praedeterminationes rejiciebat, & divina mcertam ac infallibilem futurorum contingentium conditionatorum Scientiam, nullo praeſuppoſito abſoluto Dei decreto, propugnabat. Et ipſum rurſus haec adſerentem tacito nomine inſectatus eſt Bañez, in volumine mox edito 1584. in 1. par. S. Thomae.

At rem tamen luculentius confecit perdoctus Eborenſis Primarius *Ludovicus Molina* ex iis, quae pridem acceperat an. Chr. 1566. a ſuo ſubtiliſſimo Praeceptore *Petro Fonſeca*. Equidem Molina in Commentariis prelo commiſis an. Chr. 1588. ſub initium Julii, ſaepiuſque brevi recuſis, ac praenotatis, *Concordia liberi arbitrii cum Gratiae donis, divina Praeſcientia, Providentia, Praedeſtinatione & Reprobatione*, praeter alia, quibus de ampliſſimis liberi arbitri attributis accurate diſſeruit, ſyſtema protulit Bañeziano penitus adverſum; hoc nempe. Gratia Efficax haudquaquam phyſice praedeterminat; non eſt ex ſe efficax, ſed intrinſece indifferens, extrinſece efficax per conſenſum, ac per diſſenſum evitabilis: ipſa autem confertur a Deo eo modo, quo per Scientiam Mediam, ſeu habentem pro objecto futura contingentia conditionata, ante quodvis decretum abſolutum, novit gratiam ſuum effectum ſortituram.

Do-

(c) In 1. p. 8. S. Th. q. 14. art. 3. 13. 23. & q. 19. ar. 8. & q. 23. ar. 3. 5. Tum in 2. 2. S. Th. q. 10. art. 1. & q. 24. art. 6. & alibi ſparſim.

Doctrinam iſtam receperunt extemplo Jeſuiticae Scholae, ac univerſim abſque ullo decreto, ſed communi tantum applauſu quaſi Societatis propriam ſtatuerunt: indeque ab Scholis Praedeterminantibus diviſae ſunt. Ipſam alii in Hiſpania & Luſitania Doctores, ſcientia & dignitate conſpicui amplexi ſunt; tum plurimi e regularibus Familiis, puta Franciſcani, Auguſtinenſes, Benedictini, Carmelitae, Ciſtercienſes, Paulani, ſeu Minimi: nec ei tandem defuit adprobationis decus & dignitas e nonnullis Academiis, praemaxime e Complutenſi.

Sed en ex Concordia Moliniana ſumma Diſcordia. Bañezius, qui peraegre ferebat ſyſtema ſuum oppugnari, turbas plurimas, ingenteſque tumultus in Luſitania, Hiſpania, & Roma, ea qua pollebat authoritate, in Molinam ejuſdemque Adſeclas Jeſuitas excitavit. Ipſe, adſcita Conſodalium opera, nullum non movit lapidem, ut Inquiſitionum Senatus Hiſpaniae, Luſitaniae, Romae, immo & idem Pontifex, Molinae librum tanquam Pelagianiſmi reliquias diſſeminantem condemnarent. Sed & Jeſuitae cum Molina pro ſuo defendendo ſyſtemate, & Bañeziano, tanquam nimis cum Lutheri Calvinique dogmatis conveniente, oppugnando ac proſcribendo, haud ſegniter laborabant.

Acriter utrimque perdoctis editis Apologematis dimicabatur; ac ſuis pars utraque ex omni claſſe ac ordine aſſeclis & fautoribus gloriabatur. Hinc totius pene Europae Univerſitates commotae; ac prae ceteris Hiſpanae rumoribus, jurgiis, ſcommatis, acerbiſque fere ad ſanguinem contentionibus exundabant: ii videlicet Bañezianam doctrinam uti Calviniſticam traducentes; ac illi Moliniſticam tanquam Pelagianam inſimulantes.

Jam vero de hiſce factionum ſcandalis plurium literis Clemens P. VIII. admonitus, ſilentium partibus indixit, & ad ſe cauſſam definiendam evocavit; expetitis a Generali Hiſpanica Inquiſitione quibuſcumque authenticis ſcriptis, quae pro utraque parte recepiſſes, quae utique ſat copioſa Romam miſſa ſunt an. Chr. 1599. 23. Octobr. Romam etvero prius adventarat, nempe 7. Novembr. 1596. Didacus Alvarez, Bañezii conſiliorum conſcius & Procurator. Hic autem, favente Cardinali Alexandrino, Dominicani Ordinis, e quo fuerat ad Purpuram adſumptus, Protectore, obtinuit a Clemente, ut quamcito Molinae Concordia, ſimulque editi in 1. part. S. Thomae commentarii graviſſimo peritorum examini ſubjicerentur. Ergo ſemel ac iterum ſevero examine diſcuſſae Molinae operum theſes, utrobique ex illis plurimae notis variis a cenſoribus perſtrictae ſunt; ſed quas tamen deinceps Jeſuitae penitus vindicarunt.

His habitis, ſiniſtriſque plurium opinionibus imbutus Pontifex in Molinae damnationem vehementer propendebat. Hinc quamcitiſſima in Hiſpaniam perlata fama, quod actum jam eſſet de Moliniana Concordia, brevi utpote Pontificio fulmine ferienda. Verum

enimvero non unum fuit quod tandem a praeconcepta damnatione Clementem abſterreret.

Nimirum principio Maria, Maximiliani II. Imperatoris Auguſta Conjux, datis ad pontificem literis 14. Novemb. 1598. ei Molinae Concordiam ſummopere commendavit, ob adprobationes, quas a Senatu Fidei Luſitanico, multiſque Caſtellae Praeſulibus & Academiis referebat. Deinde idem Molina libello ſupplici, per Cardinalem S. Suſannae Calendis Januariis 1599. oblato Pontifici, eum deprecatur ut in Judicio audiretur, ipſique cenſurae, ſuis theſibus adfixae, quibus ſatis poſſet facere, traderentur. Inſuper Cardinalis Bellarminus a Clemente rogatus proferre ſuum de controverſia terminanda conſilium; aſſeveranter reſpondit, rem eſſe graviſſimam, & quae maturiſſima plurium annorum deliberatione egeret; praeſertim cum ab utraque parte multa volumina conſcripta fuiſſent.

Praeterea Cardinalis Perronius palam Clementi faſſus eſt, quod ſi Molinae ſententiam de concurſu Gratiae cum libero arbitrio erroris damnatam proſcriberet, ſibi certus eſſet, omnes per Galliam, Germaniamque Calviniſmi ac Lutheraniſmi Profeſſores ejus definitioni applauſuros, velut exiſtimatae ſuorum dogmatum confirmationi. Idem poſtremo Pontifex in Molinianae Concordiae lectionem ſerio incumbens, alium penitus Molinam eſſe, quam jactabatur, plane comperit; ipſeque manu propria nonnulla verba, & plures lineolas in eodem commentario ad marginem adſcripſit [*d*].

His haud leviter permotus Clemens, de ulteriori examine, data utrique parti dicendi facultate, prudens deliberavit. Ergo jam abſolutis privatis aliquot Dominicanos inter & Jeſuitas coram Cardinalibus & Madrutio Quaeſtionibus, decrevit, ſollemnes coram ſe ipſo inſtitui diſputationes, quibus pars utraque ſenſum ſuum promeret, ac propugnaret. Et quidem abſque mora ſummos utriuſque Ordinis Rectores admonuit, ut eos ex ſuis familiis adſignarent, qui novas a ſe indictas controverſias ſuſtinerent. Peractae itaque ſunt ejuſmodi celeberrimae Controverſiae, Dominicanis & Jeſuitis magno ardore & ingenio, ut plurimum ex ſcripto, coram ſupremo Judice concertantibus. Quid vero ſingulas earum Actiones particulatim recenſeamus? Sufficiat de illis haec adnotare, quae ſubjicimus.

I. Adnumerari ipſae conſueverunt XLVII., ventilatae Seculo VI. Scholaſtico, ab an. Chr. 1602. die 17. Martii, quo prima celebrata eſt, aduſque 1607.; nempe XXXVII. coram Clemente VIII. ac X. coram Paullo V., proximo Leonis XI. Succeſſore.

II. Diſputarunt pro Dominicanis *Didacus Alvarez*, & *Thomas de Lemos*; pro Jeſuitis *Gregorius de Valentia*, *Petrus de Arrubal*, *Ferdinandus Baſtida*: hiſpani perdocti omnes.

III. In XXXII. prioribus Diſputationibus controverſae ſunt theſes

(*d*) Rem diligenter, fideliterque refert *Livinus Meyer* in Hiſt. Controv. de Auxiliis lib. 5. cap. 53., prout nos teſtes ſumus, qui librum ipſum in Generali Soc. Tabulario, ut ferunt, adſervatum nuper evolvimus.

ſes plurimae, in Moliniana Concordia ſparſim adſertae; ac omnes illae quidem ab erroris nota ſtrenue vindicatae.

IV. In XXXIII. & XXXIV. pertractatum eſt de Scientia Media, ſeu quae reſpicit in mente divina actum liberum conditionate futurum.

V. In XXXV. de eadem diſputatum Scientia, ſcilicet abſoluto cuique divinae voluntatis decreto praefulgente.

VI. In XXXVI. & XXXVII. de Dei Scientia ac decreto, & de creaturae actibus comparate ad Praedeſtinationem.

VII. In XXXVIII. de quibuſdam XV. articulis: an videlicet ipſi eſſent S. Auguſtini in materia Gratiae doctrina?

VIII. In cetteris poſterioribus Phyſica Praedeterminatio Bañeziana plurimis momentis exagitata eſt.

IX. Poſt haec, auditis etiam Conſultorum qui Controverſiis quibuſque interfuerant, ſuffragiis, nihil tandem Paullus definiit; ſed & Molinianam Concordiam penitus intactam reliquit, & ceteras controverſas adſertiones libere impoſterum tenendas edocendaſque permiſit; ſevera tamen adjecta inhibitione, ne quis alterutram e controverſis doctrinis nota ulla carpere auderet: quibus an. Chr. 1611. ſuperaddita eſt Pontificia prohibitio, ne libri & ſcripta de Gratiae Auxiliis in lucem poſtmodum ederentur, niſi prius a ſacra Urbis Inquiſitionis Congregatione recognita fuiſſent. Hinc dixeris, utrumque Scholaſticum Syſtema tanto conatu controverſum, utpote deinceps probabile ſubſiſtens, victoriam retuliſſe [e].

Duo heic opportune ſubjicienda. Primum: eodem deinceps Seculo procedente, ut pax Scholis interturbaretur, paſſim earumdem Controverſiarum Acta Mſs., Jeſuitarum Parti nimium odioſa nominibus Peñae, Lemoſii, Coronelli, Boſſutii, aliorumque Dominicani Syſtematis fautorum circumferebantur: immo & Bulla, qua Paullus V., uti muſſitabatur, Molinae Scientiam Mediam, ceteraſque ſententias condemnarat. Occurrit vero egregiis fallaciis, dolis & fraudibus S. Romana Inquiſitio, adſerens decreto, nomine Innocentii X. tunc regnantis producto an. Chr. 1654. 23. April., ejuſmodi ſcriptis, utpote apocryphis, nullam fidem adhibendam eſſe: immo potius ſuper praedicta de Auxiliis Gratiae Quaeſtione Paulli V. & Urbani VIII. decreta fore ad unguem obſervanda. Et heic obiter

(e) Haec, pluraque ap. *Livin. Meyer* in ſuis hiſtoriis Controverſiarum de D. Gratiae Auxiliis, quem plerumque ſequuti ſumus in plurimis, quibus ipſe ſimiles hiſtorias *Hyacinthi Serryi*, doctiſſimi Dominicani, ſaepe carpit, erroris aut ſuſpectae fidei convincit, critice emendat. Videſis ipſum *Meyer*, & plures de eodem argumento fideliter differentes, e. g. *Gabriel. Henao*, *Ripaldam*, *Matthiam Borrull*, *Didacum de Quadros* ſub larvato nomine *Martini Ortizii*, *Duprè* in epiſtolis adverſus Thomiſmum triumphantem, conſcriptum à *Carolo Renato Billuart*, qui ibi & in Curſu Theologico part. 1. diſſ. 6. art. 6. cap. 8. nequicquam multis ex iis, quae de hac Controverſia adſeruimus, refragatur: quemadmodum, ni fallor, unicuique hinc Livini & inde Serryi, eorumque ſequacium Hiſtorias animo attento ac praejudiciis libero conferenti, diſcutientique notum erit.

ter mirari ſubit, hac noſtra aetate nonneminem, alias accurati Critici nomine praeclarum, Acta Mſſ. memorata ut vera & legitima haud ſemel laudaſſe. Neſcio equidem, quinam Critices canon eam laudem ſuadeat; ubi pro certo habendum eſt, decretum illud Romanum nonniſi poſt conſultas, diſcuſſas & meditatas ex Romanis ſcriniis earum rerum, quae propalabantur, hiſtorias, emanaſſe.

Secundum: tametſi ex illis Controverſiis ſat aperta patuerit Scholaſticis via ad ſolide differendum de Gratia efficaci Anxiliante; plura nihiloſecus fuere ſubinde uſque modo Scholarum molimina, ut pro tanta expedienda difficultate, quae in Scholaſtice fere princeps habetur, aliter & aliter ejuſdem Gratiae indolem exponerent & propugnarent. Plurimi de hoc argumento ſingularia ſyſtemata contexuerunt: e. g. I. Antiquiores *Auguſtinenſes* cum *Sorbonicis Doctoribus* [*f*]: II. plures *Dominicani* cum *Caramuele*, *Albelda*, *Araujo* [*g*]: III. *Ludovicus Thomaſſinus* (*h*): IV. *Honoratus Tournelyus* [*i*]: V. *Edmundus Simonnet* [*k*]: VI. *Paullus Gabriel Antoine* (*l*): VII. Nova *Schola Auguſtiniana* ex *Henrico Noris*, & *Joanne Laurentio Berti* (*m*). Ea nos etiam cum laude commemorata & expoſita confutabimus (*n*).

LXI. *Controverſia de Unione Euchariſtica adſumptiva, a Cardinali Cienfuegos evulgata.*

Controv. VII. Ingenioſiſſimus *Albarus Cienfuegos*, quem *Centigneum* dixero, Hiſpanus, e Caſtella-veteri oriundus, Soc. J., Salmanticenſis Academiae Doctor & Scholaſticus Profeſſor, Archiepiſcopus & Abbas Montis Regalis, & Cardinalis, qui obiit an. Chr. 1739., hoc Seculo VII. Scholaſtico, an. Chriſti 1728. in celeberrimo Euchariſtico Opere, praenotato *Vita abſcondita*, Diſp. VIII. edidit tanquam antiquo-novum de SS. Euchariſtia Adſertum, prolixa, perdoctaque *Ludovici Belluga* Cardinalis Adprobatione confirmatum & communitum. Quod nempe Unio adſumptiva Chriſti Domini cum praeſervide communicante ſit primarius ejus auguſtiſſimi Sacramenti effectus; adeo, ut deſinentibus ſacramentalibus ſpeciebus, permaneat in pectore Chriſti anima, adſumatque communicantis cor & ſpiritum unione quadam, ei ſimili, qua Angeli corpora, in quibus ſeſe repraeſentent, ab Scholaſticis adſumere dicuntur. Porro in ea egregia Diſſertatione nec pietatem, nec ingenium, nec ſolidam doctrinam, nec ampliſſimam omnis generis eruditionem deſideraveris. Opus dixeris numeris omnibus abſolutum; videlicet ſubtiliter excogitatum, dilucide propoſitum, ampliſſime probatum, oppido defenſum.

Ad-

(*f*) Apud *Honorat. Tournely* in Theolog. praelect. ubi de Gratia & lib. arb. C. 17. & alibi.

(*g*) Ap *Phil. Aranda* in Schola Scientiae Mediae l. 3. n. 14.

(*h*) Ap. eumdem *Thomas*. t. 3. dogmat. Theolog. tr. 4. c. 18.

(*i*) Ap. eundem *Tourn.* tr. ſingulari de Gratia, parte dogmatica q. 5. art. 3. cap. 6.

(*K*) Ap. *Simon.* in Theologicis Inſtitut. tr. 6. de Gratia Diſp. 3. art. 9.

(*l*) Ap. ipſum *Antoi.* in Theol. Dogmatico-ſpeculativa t. 4. ubi de Gratia c. 3. art. 4.

(*m*) Apud eundem *Berti* in Theol. Inſtit. t. 3. l. 14. c. 8. & 12. & in ſyſtemate Auguſtiniano Gratiae vindicato par. 1. in Praefat. & p. 2. D. 4. a Cap. 1.

(*n*) In Theol. Dogm. Schol. part. 3. tr. 1. l. 2. c. 1.

Adſertum iſtud Euchariſticum apud Hiſpanos Scholaſticos haud vulgari plauſu ut plurimum receptum eſt ; ipſumque e cathedra Scholaribus, ac e ſuggeſtu fidelibus pervulgatum. Unus in illud calamum acuit *Thomas Madalena*, ex Ord. Praedicatorio, olim in Caeſarauguſtana Academia Theologiae Profeſſor, qui an. Chr. 1730. opuſculo, praenotato *Ludus Aeſtivalis circa fervorem igneum*, illud ſat leviter, utpote ludens, nec raro eiſdem, quae jam Author ſibi objecerat, ſubtiliterque ſolverat, oppugnavit. Nonnihil incautos, minuſque in acumine Scholaſtico gnaros haec opella commovit, nec parvos inter Scholas rumores peperit, ac ſimultates excitavit. Diviſa tamen ingenia ſunt, nonnullis Madalenam, plurimis Centigneum conſectantibus.

Ex iis bini e Societate Theologi aperto marte, ſed larvatis nominibus, eum ludum geminatis editis voluminibus confutarunt. Nempe *Franciſcus Rabago*, tunc temporis in Romano Collegio pro Hiſpania Scholaſtices Profeſſor, poſtmodum Ferdinandi VI. Hiſpaniae Regis a confeſſionibus, ſub nomine *Federici Granvoſca*, & *Paſchaſius Agramunt*, olim Theologiae clari nominis Valentinus Magiſter, ſub larva *Aſcanii Perea & Hontemàr*: quibus addito juniorem eorundem conſodalem, qui Centigneum exarata vindicavit apologia, Doctorum aliquot judicio prelo digna ; ſed quae tamen juſtis de cauſſis contecta pluteo conquievit. Illis repoſuit cito Madalena uberius opuſculum, inſcriptum *Allegatio theologica & certamen Euchariſticum*, quod itidem alio in modum dialogi oppoſito *Ludovicus de Murcia*, Capucinus Theologus, ingenioſe ac erudite perſtrinxit. Nec ultra, quod ſciam, certamen publicum protractum eſt. Porro ipſe audivi, dum ebulliebat contentionis aeſtus, a Thomiſta Doctore, qui ſtabat a ſententia Madalenae, opinionem Centigneam, utpote novam ac temerariam, ſtatimac Author deceſſiſſet, a Vaticani fulmine percuſſam iri ; verum multis abhinc annis uſque modo Prophetae illius Oraculum fefellit eventus.

LXII. *Controverſia de Noriſiano Syſtemate, a Bertio & aliis innovato.*

Controv. VIII. Clariſſ. *Henricus Noris*, Veronenſis, Auguſtinianus, in Piſana Academia Hiſtoriae Eccleſiaſticae Profeſſor, demum Cardinalis, qui ob. an. Chr. 1704. aetatis 73., ſcilicet hoc Seculo Scholaſtico VII., in ſuis editis Commentariis, praeſertim in Vindiciis Auguſtianianis, ubi Scholaſticos Theologos haud mediocriter ſugillat, nonnullas protulit opiniones, quae Sapientes plurimos ſummopere commoverunt ; quippe quibus Bajaniſmo & Janſeniſmo nimium illae favere videbantur. Hinc libellorum & apologematum offuſa nubes, quibus ille tanquam Bajanus & Janſeniſta traducebatur.

Nec defuit qui parallela, quaſdam Noriſianas adſertiones cum Bajanis erroribus convenire demonſtrantia, Romanae Inquiſitionis Cardinalibus, ut illas configerent, nuncupavit. Noriſius interea ſua adſerta tanquam Catholica ſtrenue in adverſarios tutabatur. Nec deerant pariter qui in tam acri contentione ipſum ardenter vindica-

carent, cum eximio *Franciſco Macedo*, Minorita, eo temporis Piſano quoque Profeſſore; *Annibale Riccio* Veneto; *Fulgentio Foſſeo*, Auguſtiniano; aliis. Romam tandem delata cauſſa, graviorique examini ſemel iterumque ſubjecta, Noriſiana doctrina ab omni cenſura immunis penitus evaſit.

Inde mirari non ſubit, ipſam poſtmodum noſtra aetate nobiles quoſdam Auguſtinenſes ut ſanam & ingenioſam propugnandam ſuſcepiſſe. Et quidem eam vulgatis commentariis defenderunt duo ex ipſorum familia perdocti Theologi; *Bellelus*, Auguſtinenſium olim Prior Generalis, in tr. theolog. ſuper Bullam *Unigenitus*, & hoc aevo notiſſimus *Bertius*, Piſanus olim Eccleſiaſticae Hiſtoriae Academicus Profeſſor, in ſuis Inſtitut. theologicis. Quin & illud prae ceteris Noriſianum de Gratia efficaci ſyſtema, tanquam D. Auguſtino maxime conſentaneum, tenacius propugnarunt: quod nempe Gratia per ſe efficax in ſtatu naturae lapſae ſit delectatio relative victrix, ſeu charitas, quae mechanica ſua graduum intenſione contrariam terrenae cupiditatis delectationem exſuperet. Ita totidem fere verbis idem *Bertius* tom. 3. l. 14. c. 8. n. 8. & 18. ſuae Theologiae, Romae, poſt accuratiſſimum plurium Cenſorum examen adprobatae, ac typis excuſae.

Sed en iterum ad cruentas pugnas Scholaſtici plurimi conveniunt; utpote cauſſati, ejuſmodi praeſertim de Gratia ſyſtema tanquam paradoxon creatae libertatis inimicum, cum Janſeniano omnino conſentire. Illud imprimis tanquam Janſenianae machinae fundamentum, ante Bertianam editionem, plurimis egregie convellerat *Tournelyus* [o] Cameracenſem Archipraeſulem, inſigne Galliae decus, *Fenelonium* ſequutus. Deinde Viennenſis in Galliae Delphinatu Archiantiſtes, an. Chr. 1745., nullo adſignato Authoris nomine, urgentem vulgavit apologiam, praenotatam *Bajaniſmus & Janſeniſmus redivivi in ſcriptis PP. FF. Belleli & Berti, Ordinis Eremitarum S. Auguſtini*. Inſuper *D. Joan. Joſeph Languet*, Senonenſis Archiepiſcopus, paullo ante an. Chr. 1756. Theologica opera Belleli & Berti documento quodam, ſeu judicio paſtorali damnavit. Praeterea ceterae Scholae, etiam tuentes Gratiam ex ſe efficacem, ac inevitabiliter victricem, Bertianum Syſtema acriter explodunt. Ut demum ceteros praeteream, ipſum editis ſcriptis ſpeciatim confutarunt *Franciſcus Ant. Zaccharias* (p), *& Joſeph Carpani* [q], uterque S. J.

Enimvero & Bertius, & cum ipſo alii ſuam doctrinam ab objectis telis vindicarunt. Primum enim Bertius utriuſque Gallicani Archipraeſulis ſcripta commentariis totidem confutavit: ſcilicet Viennen-

(o) Tract. ſingulari de Gratia, parte dogmatica.

(p) Tom. 2. Hiſtor. liter. Italiae l. 1. c. 2. n. 4. ac ſaepius ejuſdem hiſtoriae decurſu.

(q) Differt. de delectationibus coeleſti ac terrena, ob graduum ſuperioritatem trahentibus ſecum infallibiliter id quod magis delectat.

nenſis apologema opere inſcripto, *Auguſtinianum Syſtema de Gratia, ab iniqua Bajani & Janſeniani erroris inſimulatione vindicatum*, ſive &c. Romae 1747. ac Senonenſis proſcriptionem quadam ſui Documenti *aequiſſima expoſtulatione*, Liburni 1756. Deinde, ſi eodem *Bertio* in primo ſuo laudato commentario ſit fides, praeter Cenſores alios Romanos, multi Pariſienſes Doctores, ac inter ipſos, Cardinalis quiſpiam, ſuam doctrinam pridem adprobarant.

Inſuper doctiſſimus *Boucatius* [r] Janſenianam inter & Bertianam doctrinam magnum intereſſe diſcrimen, conatu ardenti defendit. Ipſam denique nova Schola Auguſtiniana impune ac praefervide propugnat, promovetque. Quin immo ingenioſe ſuſtinet cum Bertio, Bajanum Syſtema inficiari poſſibilitatem purae naturae ſtatus, quod ſuperna dona primitus Adae conceſſa, fuerint ipſi naturaliter debita, non autem propter Creatoris decentiam, ut ipſa cum Noriſio argumentatur: tum unicum Janſeniſmi characterem eſſe, quod indifferentiae libertatem, & Gratiam ſufficientem e medio tollat; a quibus tamen haec Schola penitus abhorret. Quocirca Bertiano-Noriſianum Syſtema Catholico-Scholaſticum vulgo audit; tametſi non rari ſint, qui ſolidam ei, piamque probabilitatem pluribus, nec levibus quidem, momentis abjudicare contendunt.

Jam vero haud ſingularis alia e Scholaſticis Controverſiis maximopere memoratu digna inpraeſentiarum occurrit.

Et haec de adumbrata compendio Scholaſtices Hiſtoria. Nec plura, ne bis in idem redeat ſermo. Ipſam porro ceteris deinceps producendis uberius, ac nitidius illuſtrabimus.

(r) Tract. de Grat. Diſ. 3. art. 4. ſect. 1. §. 2. ſub finem.

CAPUT II.

Scholaſtice perplurimis titulis commendatur.

ARTICULUS I. *Scholaſtices dignitas ex ejus Objectis, & muneribus.*

TANTA eſt hujuſce ſacrae Scientiae Dignitas, quae primo obtutu eam ſpeculanti ſeſe objicit; ut fere ſupparem non reperiat. Ipſam vero ex ejuſdemmet Scientiae natura & indole luculenter addiſcamus, oportet. Cui nempe Objectum, quod directum vocant, Deus; & indirectum creaturae, qua divinum quidpiam ſapiunt, protendunt, aut reſpiciunt: materia, doctrina ſacra, ex revelatis veritatibus rite deducta, dialectica methodo digeſta, ſubtilibus quaeſtionibus communita: finis varius; & fidei dogmatum ſub momentis hinc inde veroſimilibus elucidatio, qua illa creditu faciliora reddantur; & expoſitio Scientiae Religionis, quae e ſacris dogmatibus, aut certis aliis principiis deſcendat; & ſubtilis ingeniorum exercitatio ad haereſum contra fidem cavillos data occaſione revincendos.

II. *Scholaſticis praeluſit Auguſtinus.*

Huic tam eximiae indolis Facultati cumprimis praeluſiſſe videtur *Auguſtinus*, ob ſubtiliſſimam mentis aciem ingeniorum Aquila nuncupatus. Principio enim illam ſummopere commendavit Scientiam, *quae ſua Doctrina fidem ediſſerat, gignat, nutriat, roboret, ac defendat* [*s*]; & ea quidem attributa, ſeu munera nemo unus ſciens & prudens Scholaſtice abjudicaverit. Idem inſuper mere ſpeculativas de rebus ſupernis quaeſtiones, praeter alias de utroque Teſtamento fere ducentas, ſubtilioribus ingeniis tradidit ventilandas: quibus plane Scholaſticis facem praetulit; adeo ut nonnemo jure dixerit, Auguſtinum, & Scholaſticum, & Scholaſticorum Anteſignanum praefulſiſſe.

III. *Et praeluſerunt generatim vetuſtiores Eccleſiae Patres.*

Quid vero deinceps Dionyſium Areopagitam commemorem, utrumque Cyrillum, Tertullianum, Hilarium, Athanaſium, Hieronymum, Ambroſium, Baſilium, ternos Gregorios, Caſſiodorum, Iſidorum Hiſpalenſem, Bedam, Rabanum, Rupertum, Bernardum, Hugonem Victorinum, & priſcos alios Patres, qui Scholaſtices Conditoribus praeivere? Singuli eorum in ſcriptis ſuis Diſputationes ſpeculativas, quibus fidei dogmata vel elucidarent, vel omnimodis communirent, aut obiter, aut ex profeſſo ventilarunt: & ex ipſis quidem, quaſi in unum doctrinae corpus methodice congeſtis, adſpectabilis undequaque Scholaſtice enata eſt [*t*].

Neque

(*s*) Lib. 14. de Trin. c. 1.

(*t*) Eas Quaeſtiones paſſim allegant *Magiſter* in IV. libb. Sent., *S Thom.* in Summa Theologica, & in Summa contra Gentiles, & in qq. diſputatis, & alibi; ceteri *Scholaſtici*, ac fortaſſe praeceteris luculentius *Suarez*, *Vazquez*, *Ruiz de Montoya*, *Petavius*.

IV. *Scholaſtice Theologiae Moralis Mater & ſplendor.*

Neque tamen haec ſibi duntaxat nata, ut ſterile germen, ſed tanquam ingentis plurium Theologiarum prolis Genitrix fecundiſſima. Ipſa enim imprimis Ethicae ſeu Moralis Theologiae Mater extitit, Dux & ſplendor. Nec ſecus opinantur Docti quique ac Eruditi, cum *Franciſco Antonio Zaccharia* [*u*]. Equidem a prioribus uſque Eccleſiae Seculis haud alia habebantur pro dirigendis in Poenitentiae foro documenta, quam aliquot Poenitentialia, Ritualis quidam liber, certus Canonum Codex; quibus nempe continebantur plurium Summorum Pontificum, Conciliorum, Patrumque Canones & ritus pro injungendis delinquenti poenitentiis obſervandi [*x*]: ea tamen pene cuncta potius pro foro publico, quam pro ſecreto Poenitentiae ſacramentalis inſerviebant.

Etvero in tanta doctrinae inopia opem praeſto tulere Scholaſtici praenobiles, utpote recentis Scholae methodo imbuti, luminibuſque perfuſi; omnium videlicet primo, ac Duce *Lombardo*, qui de praecipuis Theologiae Ethicae argumentis multa ſyſtematice diſſeruerat [*y*]. Nec vana loquor. Etenim ſi vel ipſum I. Seculum Scholaſticum percurramus, non unus erit obviam ex primoribus Scholaſticis Magiſter, qui in re morali perdocte mundum inſtituerit.

Imprimis autem *Bartholomaeus*, ex primaevis Scholaſtice alumnis in Academia Oxonienſi, & deinde Praeſul Oxonienſis, ſcripſit Poenitentiale morale omnibus Sacerdotibus neceſſarium, ex SS. Patribus deſumptum [*z*]. Deinde *Odo de Cheritona* ſeu *Ceritona*, ejuſdem Academiae acutiſſimus Scholaſticus, concinnavit Summam de Poenitentia, cum pluribus ad Decalogum & peccata lethalia pertinentibus [*a*]. Praeterea *Petrus* cognomento *Cantor*, Scholae Theologicae Pariſienſis Rector, & Scholaſticus celeberrimus, magnam Summam de Sacramentis exaravit [*b*]. Demum *Robertus de Flamesburia*, inter eoſdem primaevos Scholaſticos haud infimus, conſcripſit Morale Poenitentiale IV. libris amplum & praenobile (*c*).

Ubi obiter adnotavero communem errorem plurium adſerentium, primam omnium Moralis Theologiae Summam fuiſſe *Raymundinam*, quam nempe lucubravit *S. Raymundus de Peñafort* poſt an. Chriſti 1235., vita functus 1275.; cum conſtet ex nuper adſertis, alias longe prius fuiſſe ab Scholaſticis concinnatas. Quod ſi iſtae latuerunt Mſſ. in Bibliothecarum ſcriniis ſaltem uſque ad poſtremos annos Seculi proxime praeteriti, ut affirmare videtur *Oudinus*, ſcribens an. Chr. 1686., etiam Raymundina Summa latuit Mſ. uſque

(*u*) Diſſertat. prolegomena praefixa poſterioribus *La-Croixii* editionibus, & poſtremae Cl. *Alphonſi de Ligorio*, parte I. hiſtorica cap. 6. n. 1.

(*x*) Eos adſert laudatus *Zacchar.* a cap. 1.

(*y*) Praeſertim l. 2. Sentent. a diſt. 34. & l. 3. a diſt. 35. & l. 4. a diſt. 1. ad 42.

(*z*) Teſte *Caſimiro Oudino* in ſupplemento de Scriptor. Eccleſ. a Bellarmino omiſſis, ad an. 1180.

(*a*) Apud ipſum *Oudin.* ad an. 1184.

(*b*) Ex *Oud.* laudato ad an. 1197.

(*c*) Ap. *Oudin.* cit. Hos omnes ſupra commemoravimus Cap. I. ubi de Scholaſticis I. Seculi.

ad an. Chr. 1603. quo primum typis excuſa eſt [*d*]. Scholaſtici itaque in re morali Doctores Primicerii ſunt.

Quod ſi pro ulteriore confirmatione ad poſteriora Secula libeat tantiſper divertere, perplurimos illa dabunt ex Schola Theologos, qui rem moralem commentariis illuſtrarunt. Perpauci plurium exemplo ſunt *Alexander Alenſis* (*e*) qui ſane plurima eam rem ſpectantia luculenter ſtilo ſcholaſtico primus omnium diſputavit [*f*]; *Robertus Sorbona*, Collegii Sorbonae Pariſienſis Inſtitutor, qui fl. an. 1230. (*g*); *Albertus Magnus* (*h*), *S. Thomas* (*i*), *S. Bonaventura* (*k*), *Franciſcus Mayronius* (*l*), *Nicolaus Liranus* (*m*), *Henricus de Haſſia* (*n*), *Joannes Gerſon* (*o*), *S. Joan. a Capiſtrano*, percelebris Scholaſtices Magiſter, qui deceſſit an. Chr. 1456. (*p*), *Silveſter Prieras* (*q*), *Thomas de Vio Cajetanus* [*r*]: quibus adde *abſolutos* quoſque Magiſtri & S. Thomae Summarum *Commentatores*.

Ipſi inſuper Authores Theologi, qui Scholaſticen Recentem & Noviſſimam excoluerunt, nova methodo, nervoſiſque pluribus regulis, diſputationibus, authoritatibus, & momentis Theologiam Ethicam in optimo lumine collocarunt; & illi quidem praeſtantius, qui potiſſimum in Scholaſtice floruerunt: ut e. g. *Ludovicus Molina*, *Leonardus Leſſius*, *Dominicus Soto*, *Gabriel Vazquez*, *Franciſcus Suarez*, *Joannes & Thomas Sanchez*, *AEgidius Coninch*, *Carmelitae Salmanticenſes*, cùm Scholaſtici, tùm Morales, *Ferdinandus a Caſtropalao*, *Joannes Delugo*, *Joannes Cardenas*, *Claudius La-Croix*, *Dominicus Viva*, alii pene innumeri. Hi nimirum mutuatis ab Scholaſtice ſplendoribus ſunt Ethicae ſummum decus; & pro re morali, quam ipſi ad ſeveriorem trutinam plerumque revocant, adſcitis e Jure Canonico teſtimoniis, primi Duces, & Coriphaei, quos conſulamus.

V. *Scholaſtice Theologiae Dogmatico-Polemicae, dialetica methodo digeſtae ac ordinatae Mater & altrix.*

Nec abſimili plane ſenſu atque ſplendore Scholaſtice noſtra Theologiae Dogmatico-Polemicae, dialectica methodo digeſtae ac ordinatae dubio procul inclyta Parens eſt. Equidem *Magiſter*, *Alenſis*, & *S. Thomas* primi ſunt, qui perplures dogmaticas & polemicas quaeſtiones ſtilo ſoluto a Patribus confectas, Scholaſtica methodo concinnatas in Summis tradiderunt. Ipſos deinde multi Scholae Theologi imitati ſunt in haereſibus ſub eadem, vel paullo immutata methodo confutandis.

Sic,

(*d*) Ap. *Poſſevin.* in Appar. ſacro in Raymundo de Peñafort.

(*e*) Summa de virtutibus, quam ipſi adſcribunt *Bellarm.* de Script. Eccleſ. ad an. 1245., *Poſſev.* appar. ſac. in Alexandro Alenſi, *Wading.* de Script. Ord. Minor; refragante *Jacobo Quetif* Biblioth. Dominicana tom. 1.

(*f*) In Summa Theol. p. 2. & 3.

(*g*) Tr. de conſcientia & confeſſione.

(*h*) Libro uno & Enchiridio altero de virtutibus.

(*i*) Qui Ethicam fere univerſam in Summa complexus eſt:

(*k*) Tract. de tribus ternariis peccatorum, de ratione confitendi &c.

(*l*) Tr. de virtutibus & vitiis capitalibus &c.

(*m*) In expoſitione X. Praeceptorum &c.

(*n*) Tr. de regulis ad diſcernendum peccatum lethale a veniali.

(*o*) Tr. de contractibus &c.

(*p*) Speculum conſcientiae &c.

(*q*) Summa caſuum conſcientiae.

(*r*) Summa caſuum conſcientiae in compendio.

Sic, e. g. confutavit inſigniter Waldenſes Ven. *Moneta*, Dominicanus, qui fl. circiter Chr. 1240., tum *Raynerius* ex eodem Ordine, qui fl. circiter Chr. 1254: convellit Saracenos, eorumque Alcoranum *Raymundus Martinius*, Catalanus, etiam ex Ord. Praedic., qui deceſſit circiter 1278.: confregit Armenorum errores *Richardus Radulphus*, Armachanus Archiep. & olim in Oxonienſi Academia Scholaſtices Profeſſor & Cancellarius, qui ob. 1359: retudit ementita Graecorum, Neſtorianorum, Jacobitarum, aliorumque infidelium dogmata *Raymundus Lullus*, Martyrio coronatus 1315. [Balearium opinione.]

Wiclefum inſuper vix emergentem conſimiliter oppugnarunt perplures Anglicani Scholaſtici ex Oxonii & Cantabrigiae Univerſitatibus, inter quos hi ſpeciatim ad an. Chr. 1371. cum laude referuntur: *Joan. Mayronius*, *Richard. Lavinham*, *Joan. Kyningam Strodus*, *Guillelmus Berto*, *Joan. Gaſcoin.*, *Simon Sotray*, *Thom. Aſcheborn*, *Richard. Maydeſton*, *Calterus Diſſa*, *Robert. Humbleton*, *Joan. Mark*, *Thom. Wynterton*, *Joan. Tyſſigron*, *Gulliel. Wodfordus* [*f*]. Ac ipſos quidem pugiles, nulli ſecundus, paullo poſt aemulatus eſt conterraneus alter Scholaſticus, *Thomas Valdenſis*, acerrimus Wiclefitarum & Huſſitarum expugnator, qui ob. an. Chr. 1430. [*t*].

Quod ſi ad aetates Valdenſem ſubſequentes orationem perducamus, plane frequentiſſimus eſt, quem ne quidem indicare vacat, Scholaſticorum numerus, qui methodicis tractatibus adverſus haereſes, aut denuo emergentes, aut etiam debacchantes, Polemicam Theologiam locupletarunt. Exemplo nonnulli ſint, & ipſi quidem praeclariſſimi.

Alfonſus Toſtatus, Salmantinus Theologiae Doctor, & Abulenſis Antiſtes (*u*), *S. Antoninus*, Florentiae Archiepiſcopus (*x*), *Joan. de Turrecremata*, Cardinalis (*y*), *Franciſc. Ferrarienſis*, Bononienſis Scholaſticae Profeſſor, & Ord. Praedic. Magiſter Generalis (*z*), *Joannes Fiſcherus*, Epiſcopus Roffenſis in Anglia, martyrii laurea inſignitus an. Chr. 1535. (*a*), *Joan. Faber*, Epiſc. Viennenſis in Germania, qui deceſſit 1541. (*b*), *Joan. Cochlaeus*, Germanus, qui ob. 1552. (*c*), *Guillelmus Lindanus*, Lovanienſis Theologus, qui deceſſit 1588. (*d*), *Roberus Bellarminus*, Italus, S. J., Cardinalis, qui Lovanio, ubi Scholaſticen ſummo plauſu ſexennio docuerat, a Gregorio P. XIII. Romam evocatus, ab eo primus Magiſter praefectus eſt primae Con-

(*f*) Apud *Genebrard.* Chron. ad an. Chr. 1371.

(*t*) In Doctrinali fidei antiquae, Scholaſtica methodo digeſto tomis III.

(*u*) Tract. contra Judaeos &c.

(*x*) In Summa Theologiae dogmatico-polemica ſparſim.

(*y*) Tr. contra Huſſitas & Bohemos. Summa de Eccleſia &c.

(*z*) In luculentiſſimis commentariis Summae S. Thomae contra Gentiles.

(*a*) Tr. contra 41. articulos Lutheri &c.

(*b*) In malleo haereticorum &c.

(*c*) Tr. contra Lutherum &c.

(*d*) In Panoplia evang. &c.

Controverſiarum Cathedrae, quam idem Pontifex in Romano Collegio Societatis erexit (*e*). (*)

Quibus jure addito illos omnes, qui Scholaſticis diſputationibus Polemicam ex integro, ſeu magna ex parte commiſcentes, hanc egregie praeditarunt: puta *Gregorium de Valentia*, *Vazquium*, *Suarezium*, *Thomam de Lemos*, *Didacum Ruyzium*, *Petavium*, *Thomaſſinum*, *Tournelyum*, *Simonnetum*, alios, quos ſparſim recenſemus (*f*).

Ita ſane doctiores Theologi, Scholaſtices methodo, acumine, dialectica innutriti ac exculti, methodicam Polemicam invenerunt & illuſtrarunt: immo rariorem in iſta excellentem videris, qui prius in illa non eminuerit, aut ſaltem pluſquam mediocriter non profecerit: adeo ipſius Scholaſtice Fundamentum & Altrix eſt.

VI. *Scholaſtice Parens Theologiae Poſitivae ſeu Biblicae, Myſticae, ac Marianae, prout ſtilo ac methodo Scholaſticis digeſtae ſunt & concinnatae.*

At enim id ipſum Scholaſtice merito adſcripſerim & vendicarim quoad ternas illas Theologias; Poſitivam ſeu Biblicam, Myſticam, & Marianam, methodo ac ſtilo ſcholaſticis digeſtas & concinnatas; prout in aliquot Academiis, privatiſque Regularium, Secularium Lyceis tradi pridem conſuevere. Licet enim ipſae ſingulae a priſcis Eccleſiae Patribus originem, & a Sapientibus aliis Recentioribus luminis plurimum acceperint; at ſcholaſticum ſtilum, coordinationem, methodum in uno doctrinae corpore, vel ſyſtemate excogitando, tradendoque, cum clariſſimis itidem incrementis, non niſi ab Scholaſtice, Viriſque in ipſa peritiſſimis mutuatae ſunt.

Itaque pro Biblica imprimis inſtituenda, multa ſparſim dedere *Magiſter* in ſua Epitome, ac *Alenſis* in Summa, ubi de plurium Sacri Codicis textuum expoſitione diſputant. Ac deinde pro Mariana nonnulla controvertit idem *Alenſis* parte 3. Summae qq. 9. & 10.

At

(*e*) In Controverſiis dogmaticis: ubi quae plurimi in ſui temporis haereſes controverſa ediderant, in unum corpus digeſta, Scholaſtica methodo primus vulgavit; inſertis perpluribus Quaeſtionibus mere Scholaſticis.

ADNOTATIO.

(*) ETiam inter Authores Scholaſticos jure recenſendus Bellarminus, qui ſub an. 1576. ad finem Octobris in eodem Collegio initium docendi fecit. Conf. *Alegamb.* de Scriptor. Soc. in Bellarmino, & *Petram Sanctam* in vita Bellarmini, ubi addit inſignem commendationem, quam *Gabriel Vazquez* de Bellarmini peritia in acutis etiam Scholaſtices quaeſtionibus publice fecit.

Et hinc obiter obſervare licet, quantum a vero aberret, Scholaſtice injurius, *Conſtant. Grimaldi*, ubi in reſponſo ad primum Aletini Apologum pro Scholaſtice, cap. 217. & 218. quaſi ex tripode definit, ad eam Controverſiarum Cathedram, quam pro debellanda Haereſi inſtitutam putat in Collegio Germanico, non aliquem ex primoribus Scholaſticis, qui tum temporis eminebant, praeelectum fuiſſe, ſed unum *Bellarminum*, in variis facultatibus, Scriptura, Patribus & Linguis verſatum. Ipſum ergo, vel dolo, vel inſcitia ſubticet, etiam in Scholaſtice ſumma laude verſatiſſimum.

(*f*) Infra Cap. IV. in poſtremis Seculis Scholaſticis ex Syllabo III.

At inſimul pro tribus hiſce Theologiis prae ceteris copioſius ac luculentius *Angelicus Doctor* in Summa quaſi fundamenta jeciſſe videtur, ubi ſecundum uniuſcujuſque materiam Quaeſtiones accomodas ſcholaſtice diſputavit. Videlicet pro Biblica diſſeruit Parte I. de Sacrae Scripturae metaphoris, ſenſibuſque q. 1. art. 9. & 10., ac de pluribus Sacroſancta Biblia concernentibus paſſim. Pro Myſtica ſeu Arcana, Parte 2. 2. a q. 171. ad 182. de donis gratis datis, tum de vita contemplativa, & activa. Pro Mariana, Parte III. a q. 27. ad 30. & inſuper q. 35. de SS. Virginis myſteriis, donis, attributis, virtutibus: & haec omnia abſoluti quique Summae Commentatores perſequuntur, elucidant, amplificant.

Sed & alii deinceps perinſignes e Schola Theologi eas ſingulas praenobilibus Regularum, diſputationum, acuminum acceſſionibus, aut quaſi denuo erexerunt, aut erectam nobilitarunt. Quid Lectorum faſtidio ampliſſimos ſingulorum ſyllabos heic contexam? perpauci plurium exemplo ſatis ſunto.

Equidem Biblicam illuſtrarunt *Alphonſus Toſtatus* [g], *Sixtus Senenſis*, Dominicanus, qui ob. 1569. [h], *Joan. Driedo*, Lovanienſis Theologus Profeſſor, qui fl. 1540. [i], *Benedictus Pererius*, S. J. in Romano Collegio Scholaſtices Profeſſor, qui deceſſit 1610. [k], *Alphonſus Salmeron*, S. J. & C. Tridentini Theologus, qui ob. 1585. [l], *Joan. La Haye*, Minorita, qui fl. 1660. (m), *Joſeph Maria de Turre*, Dominicanus, Theologiae Magiſter, qui fl. 1711. [n], *Didacus de Quadros*, Complutenſis Scholaſtices Profeſſor [o].

Myſticam exornarunt *Henricus de Langenſtein*, Auguſtinianus, Academiarum Sorbonae, & Viennae in Auſtria Scholaſticus Profeſſor [p], *Joannes Taulerus*, Dominicanus, clarus Theologus, qui fl. 1350. (q), *Joan. Gerſonius*, [r], *Henricus Harphius*, Belga, Minorita, Paulli P. II. Theologus an. 1470 [s], *Philippus a Ss. Trinitate*, Carmelita Excalceatus, denatus 1671. (t), *Michael Godinez*, in Mexicano SS. Petri & Paulli Societ. J. Gymnaſio praeclarus Scholaſtices Profeſſor, qui deceſſit ante 1681. [u], *Emmanuel Ignatius de la Re-*

(g) Permultis Quaeſtionibus in Pentateuchum &c.

(h) Bibliotheca Sancta in VI. libris prioribus, & alias.

(i) Lib. de Eccleſiaſticis Scripturis & Dogmatibus.

(k) Diſputatſones criticae in Geneſim, Danielem &c.

(l) Tom. 1. de Prolegomenis & reliquis tomis 11. qq. Evangelicarum.

(m) In Prolegomenis ad Bibliam Maximam.

(n) Inſtitut. ad Verbi Dei ſcripti intelligentiam, tomis IV.

(o) Palaeſtra Biblica tom. IV.

(p) De Contemplatione & anima contemplativa libri II. &c.

(q) De novem rupibus ſive gradibus chriſtianae perfectionis &c.

(r) Tr. de myſtica Theologia ſpeculativa, & de myſtica Theologia practica, & de elucidatione Scholaſtica myſticae Theologiae &c.

(s) Myſtica Theologia lib. III.

(t) Summa Theologiae Myſticae ad mentem SS. Patruum, praecipue Thomae, Tereſiae, & Joannis a Cruce.

(u) Praxis Theologiae Myſticae, vere aurea.

la Reguera S. J., Vallisoletanus Scholastices Professor, qui vitam degebat 1727. [*x*], *Joseph a Spiritu S.*, Boeticus, Carmelita Excalceatus, fato functus 1739. [*y*].

Marianam locupletarunt, ut fere innumeros praetermittam, *B. Albertus Magnus* [*z*], *Henricus Gandavensis* [*a*], *Nicolaus de Nisse* (*b*), *Petrus Canisius*, Belga, conspicuus S. J. Theologus, qui decessit 1597. [*c*], *Martinus Becanus* S. J. (*d*), *AEgidius a Praesentatione*, Augustinensis (*e*), *Franciscus Guerra*, Hispanus, Minorita, Episc. Gadicensis, qui fl. 1659. [*f*], *Theophilus Raynaudus*, S. J. [*g*], *Georgius Rhodes*, S. J. (*h*), *Silvester Saavedra*, Hispalensis, Mercedarius, qui fl. 1620. [*i*], *Joan. Cardenas*, S. J. qui fl. 1660. [*k*], *Jacobus Platelius*, S. J. (*l*), *Franciscus Bonae-spei* Carmelitanus, Lovanienſis Academiae Scholasticus Professor, qui fl. 1665. (*m*), *Thomas Francès de Urrutigoiti*, Minorita, Episcopus Barbastrensis, ni fallor, qui fl. 1653. [*n*], *Christophorus de Vega*, S. J. [*o*], *Franciscus Garau*, Gerundensis, S. J., Barcinonensis Scholastices Professor, qui fl. 1670. [*p*], *Didacus de Quadros* (*q*), *Nicolaus Segura* [*r*], *Benedictus Plazza* (*s*), *Carolus del Moral* O. M. complutensis Theologus, qui clar. 1740. (*t*), *Virgilius Sedlmayr* Ord. Bened. (*u*).

Haec ergo non ullis intermoritura seculis digna laus Scholastices; quod nempe quantumcumque utiliter ac glorioſè quintuplex haec Theologia inservierit, & pro dirigendis moribus ac conscientiis, & pro debellandis haeresibus, & pro exponendis Sacris Bibliis, & pro dignoscendis vitae Mysticae arcanis, & pro Ss. Deiparae laudibus exornandis; id omne Scholastice, tanquam earum Parenti ac Illustratrici referamus acceptum.

VII. *Magna Ecclesiae* Neque vero minima est, quae Ecclesiae utilitas provenit ab Scholasti-

(*x*) Commentarii Scholastico-mystici in Theologiam mysticam Godinezii, tomis II fol. praegrandibus.

(*y*) Cursus Thologiae Mystico-Scholasticae, tomis VI.

(*z*) Tr. de laudibus Ss. Virg. libris XII.

(*a*) Quodlibeto 15. quaest. 13.

(*b*) In Theol. Sholast. tr. 4. p. 1. a cap. 248. ad 252.

(*c*) Lib. de laudibus Deiparae.

(*d*) In Summa Scholastica tr. de Incarnat. Verbi cap. 28.

(*e*) De Immaculata Deiparae Concept. libris IV.

(*f*) De Ss. Deipara Scholasticae Dissertationes, tomis II. fol.

(*g*) In vii. operum tomo, Diptycha Mariana part. 1.

(*h*) In Theol. Scholast. tom. 2. tr. 8. Disp. unica de Deipara.

(*i*) De sacra Deipara Scholastice tomo 1. fol.

(*k*) Geminum sidus Mariani diadematis.

(*l*) In Synopsi Theologiae Scholasticae p. 2. c. 2. §. 3. a n. 65.

(*m*) Visio Eliae de Immaculata Conceptione &c.

(*n*) Certamen Scholasticum pro Deipara tomis III. fol.

(*o*) Teologia Mariana Scholastica, tomis II. fol.

(*p*) Deipara elucidata tom. 1. fol.

(*q*) Tract. de Verbi Incarnatione: ubi pleniſſime de Ss. Deipara.

(*r*) In Disput. selectis Scholasticis tomo I. tract. 1.

(*s*) In Causſa Immaculatae Conceptionis Deiparae.

(*t*) In Fonte illimi Theol. Marianae Schol. tomis II.

(*u*) In Theologia Mariana.

laſtice, ob ſacrorum dogmatum, quam iſta perhibet, explanationem. Equidem mera Fidei dogmata, quae ex munere ſuo Dogmatico-Polemica Theologia adſerit, urget, ac vindicat, Scholaſtice ex proprio inſtituto quaeſtionibus ſuis ampliſſime explicat, nitideque elucidat. Illa nimirum myſteriorum fidem unice reſpicit; haec autem eorumdem intelligentiam, &, quantum fas eſt, penetrationem: illa fidem gignit; haec ipſam nutrit. roborat, illuſtrat, amplificat: efficit illa ut credas; haec ut quae credis capias, ac lubentius teneas.

utilitas ab Scholaſtice, ob ſacrorum dogmatum, quam haec perhibet, explanationem.

Porro illa docet fundatiſſime, e. c. Divinarum Perſonarum Trinitatem, Verbi Incarnationem, realem Chriſti Domini in Ss. Euchariſtia praeſentiam; at nec ultra progreditur: haec vero, ſuppoſitis jam fide certa Myſteriis, fuſe exponit Perſonarum identitatem, diſtinctionem, ſubſiſtentias, proceſſiones, relationes, cetcraſque proprietates; tum Hominis-Dei libertatem, meritum, ſanctimoniam, titulos, ceteras theandricas dotes; modum denique, quo Chriſtus ſub ſpeciebus Euchariſticis continetur, vitam, qua fungitur, effecta quae digne accedenti liberaliter impertitur.

Ex iis profecto non pauca ut certa ab Scholaſticis vulgo habentur, uti proxime a revelatis deducta; plurima vero, quae longius a traditione diſtant, in mera opinione ſita ſunt, nec raro inter eoſdem acriter controverſa: verum quid amabo plus certum expetas, ubi nec a Fide, nec ab evidentia, nec a communi Doctorum ſenſu ullum pro adſerto ſuppetit teſtimonium? *Si jam Fidelis*, perſcite inquiebat *Auguſtinus* (x), *rationem poſcat, ut quod credit intelligat, capacitas ejus intuenda eſt, ut ſecundum rationem redditam ſumat fidei ſuae quantam poteſt intelligentiam*: Theologo igitur adnitendum eſt, ut de creditis arcanis, pro auditorum captu, quantam poſſit ingerat intelligentiam: quid vero ſi certum non faveat documentum? nefas ne dixeris probabili, ſeu gravi ratiocinio uti?

Et vero ex laudati *Auguſtini* regula (y) *de credendis nulla infidelitate dubitemus; de intelligendis nulla temeritate adfirmemus: in illis authoritas tenenda eſt; in his veritas exquirenda*: dum ergo Scholaſtici ad intelligentiam Myſteria verſant; fat erit nihil de illis temere, vel abſque gravi fundamento adfirmare, ac in ipſis opinionum ductu veritatem exquirere: ſubindeque ſatius erit auditoribus Scholaſtica ejuſmodi adſerta tanqnam graves, piaſque opinationes animis retinere.

VIII. *Potiſſima Scholaſticorum authoritas Scholaſtices dignitatem ſummopere extollit.*

Quin & aliud graviſſimum pro Scholae Theologia momentum minime praetereundum. Et ipſum quidem a potiſſima Scholaſticorum Doctorum authoritatae petitum, quae non raro in ſacrae Traditionis partem adſciſcitur. Equidem ubi in fidei ſeu morum materia concors eſt omnium Scholae Theologorum ſententia, haec vel fidei proxima jure exiſtimatur; adeo ut illam abſque piaculo ut

(x) Epiſt. 122. ad Conſentium. (y) Lib. 9. de Trinit. c. 1.

minimum auſus temerarii, proximique haereſi rejicere nefas ſit? Sicut enim per vetuſtiores Eccleſiae Patres, etiam aliquando Modernos ac recentiſſimos, qui Eccleſiam ſua doctrina paverant, divinarum revelationum traditio adſervata eſt; ita poſterioribus temporibus per Scholae Theologos, tanquam per Eccleſiae Doctores ipſa eſt illibata penitus cuſtodita.

Nec enim alios poſtremis hiſce Seculis Doctores habuit Eccleſia, quam aut Scholae Magiſtros, aut alumnos in Schola enutritos, aut alios, qui in rebus gravioris momenti circa fidem & mores Scholae Praeceptorum ſenſa, doctrinamque ſectarentur. Hoc ſenſu *Remigius Autiſſiodorenſis*, qui vitam degebat an. 880., Eccleſiam alloquebatur illo Davidico effato, *pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii*, pſ. 40. 17., *quia*, ut ipſe explanabat in Pſalmorum Commentariis ad hunc locum, *pro Apoſtolis nati ſunt Gregorius, Auguſtinus & ceteri plures*: quibus & nobis adjicere licet; *quia pro Gregorio, Auguſtino, ceteriſque Sanctis Patribus nati ſunt Lombardus, Alenſis, Albertus, Thomas, Bonaventura, Scotus, aliique Scholaſtici*.

Sunt etenim Scholae Theologi *Doctores* illi, quos ex Epheſ. 4. 11., praeter Apoſtolos, Prophetas, Evangeliſtas & Paſtores, dedit Eccleſiae Deus, eam in vera fidei, morumque ſcientia contra quoſvis doctrinae errores erudituros: divinam vero Providentiam dubio procul ſpectat, nunquam ſinere, eos Doctores, ubi una articulum, tanquam fidei, ſeu morum dogma certum edocent, una omnes errare; eſto ob fines ſuos, Doctores nonnullos, ac etiam Paſtores ſaepe alias erraſſe permiſerit.

Nec inſuper TO *qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit* ex Luc. 10. 16. ad primos duntaxat Theologos, aut Apoſtolos Chriſtus retulit, ſed ad Doctores etiam in Eccleſia futuros, ſaltem ubi uno omnium conſenſu, producto dogmate in ſcientia & doctrina oves paſcerent: quiſquis igitur ejuſmodi Scholaſticorum deſpicit dogma, & Chriſtum ejuſque doctrinam deſpicit temerarius, haereſique proximus. Hinc ſcite apud nonneminem ortum duxere Wicleſi, Lutheri, Calvini & adſeclarum haereſes, ex deſpectu ſcilicet Scholaſticorum, ipſorumque doctrinae; hac enim contempta, facile in antiquae Traditionis, Patrum, Conciliorum, Sacri Codicis authoritatis contemptum prolapſi ſunt. Adeo nequit eſſe minima Scholae authoritas, quam nemo abſque fidei diſcrimine parvi pendere poſſit. Mitto cetera, quae de hoc argumento fuſe, nervoſeque alii perſequuti ſunt, cum *Melchiore Cano* (*z*), *Dominico Bañez* (*a*), *Franciſco Annato* (*b*).

IX. *Summa apud*

Merito quidem ex hucuſque praelibatis tanta apud Chriſti Eccleſiam Scholaſtices Authoritas, tantaque de Theologicis Scholarum meri-

(*z*) De locis Theol. l. 8. c. 4. concl. 3.
(*a*) In 1. p. S. Th. tom. 1. q. 1. art. 8. concl. 2. & 3. verſus finem.
(*b*) In catholica Diſceptatione de Eccleſia praeſentis temporis.

meritis existimatio! Porro a Lombardiana aetate ad usque labentis Seculi Scholastici V. finem, una haec in totius Latini & Catholici orbis Scholis Theologia obtinuit; nec nisi Scholastici, Theologi jure ac consuetudine audiebant; nec aliis prima Ecclesiae eruditendae, popugnandaeque cura committebatur.

Christi Ecclesiam Scholastices Authoritas, ac de Theolog. Scholae meritis existimatio.

Ipsis Dignitates sublimiores decorandae, perpetuum Sacri Palatii Pontificii Magisterium obeundum, S. Fidei Inquisitionis Tribunalia administranda demandabantur. De perantiqua Romanae Curiae consuetudine, quod Scholasticos spectat, haec protulit *Joannes Bachonius*, qui fl. Seculo Scholastico III. an. Chr. 1346. (c) *Modus Curiae Romanae est, quod Ecclesia ea, quae in dubium, vel errorem versa fuerint, & per Theologos exquisite disputata fuerint & determinata, eorum sententiam Decreto & Statuto confirmet, ut patet de Summa Trinitate & Fide catholica* cap. *Damnamus* &c. Quin & ipsi, quod caput est, ab Scholastico pulvere ad sacros Synodorum consessus, quibus interessent, doctrina & eruditione illustrandos, perpetuo advocati sunt. Ecquis vero singula hocce postremum caput concernentia edisserat, quin pene sit infinitus? Paucis dixerim quae Historia summo cum Scholastices, ejusdemqre Alumnorum decore contestatur.

X. *Romana Curia in negotiis spectantibus Religionem stat a sententia Scholasticorum.*

Principio Gregorius X. in maximum Concilii *Lugdunensis II. Oecumenici*, Seculo Scholastico II., an. Chr. 1274. 7. Maji coacti, decus & praesidium, duo ad ipsum potissima Scholastices Lumina, Angelicum *Thomam*, & Seraphicum *Bonaventuram* arcessivit: tametsi ob praematuram utriusque mortem, saltem quod Angelicum spectat, consilium optimum penitus sine suo fructu fructratum est.

XI. *Gregorius P. X. in maximum decus & praesidium Concilii Lugdunensis, in illud Scholasticos Thomam & Bonaventuram arcessit.*

Deinde Seculo Scholast. III. in *Oecumenico Viennensi*, an. Chr. 1311. 1. Novemb. inchoato, quo, praeter alia, gravissima Templariorum Caussa decreta est, Fraticellorum haeresis profligata, & gratiae informantis, una cum supernis Virtutibus in Baptismate infusio, ut probabiliori Patrum, Modernorumque Theologorum opinioni conformior, definita; primas absdubio quoad doctrinae authoritatem partes egit praeclarissimus ille *Scholasticus Durandus a S. Portiano*, eo temporis Aniciensis Antistes,

XII. *In Viennensi Concilio, quoad doctrinae authoritatem primas partes egit Durandus.*

Insuper Seculo Scholast. IV. in *Oecumenico Constantiensi*, quod an. Chr. 1414, 5. Novemb. coeptum est, quid non egerunt Scholastici quoad decreta fidem, moresve spectantia? Immo quid, quaeso, sacer Antistitum coetus definiit, quod primum ab Scholasticis in privatis consessibus ventilatum non fuerit atque decisum? Iidem ipsi, inter quos eminebant notissimus *Gersonius*, necnon *Jo. Zacharias*, subtilissimus Augustinensium Scholasticus, & *Martinus de Praga*, frequentibus exactis consultationibus, multis editis commentariis, plurimis declamationibus recitatis, Venerandos Patres, praeter alia, induxerunt, ut sententiam ab Oxonienſis, Pragensis, ac Parisiensis Academiarum Scholasticis in plurimos Wiclefi errores latam con-

XIII. *In Constantiensi Scholastici pene summam rerum spectantium religionem procurarunt.*

(c) In 4. Sent. dist. 2. q. 4. art. 3.

firmarent; utque novae adversus eundem Wiclefum, Joannem Hussium, Bohemos adseclas, Hieronymum Pragensem sententiae sponte subscriberent.

XIV. *In Basileensi Scholasticis Bohemorum errores propalam expugnatunt.*

Tum etiam eodem Scholast. Seculo in *Basileensi*, an. Chr. 1431. 7. Decembr. congregato, Scholastici egregii, qui cum celeberrimo *Turrecremata*, Apostolici Palatii Magistro, tum intererant, theses IV. dolosas & erroneas, quas Bohemorum Oratores retulerant, & tanquam fidei dogmata venditabant, disertis, invictisque declamationibus confutarunt. Nimirum adversus primam declamavit octo diebus coram Synodo *Joannes de Ragusio*, Dalmata, ex Ord. Praedic., postmodum Argensis Episcopus & Cardinalis: contra secundam quatuor diebus *AEgidius Carlerius*, Collegii Navarraei Parisiensis socius, plurium operum Author: contra tertiam tribus diebus *Henricus Kalteisen*, Dominicanus, apud Coloniam fidei Quaesitor, & deinceps Nidrosiensis & Caesareensis Archiantistes: contra quartam tribus aliis diebus *Joannes de Polemàr*, Archidiaconus Barcinonensis & Apostolici Palatii caussarum Auditor (*d*).

XV. *In Florentino Scholastici subdolos Graecorum errores evicerunt.*

Praeterea Seculo eodem Scholast. in *Oecumenico Florentino*, Ferrariae coepto an. Chr. 1438. 8. Octobr., & Florentiae continuato ac absoluto 1439. 24. Mart., Latini Scholastici frequentibus, nervosisque, tum privatis tum publicis de re polemica concertationibus cum Graecis, illud omnibus optatissimum summa cum laude obtinuerunt: ut nempe Graecam Ecclesiam a Romana Latina tamdiu dissitam, cum ista, saltem quoad fidei dogmata, sollemni nexu reconciliarent. Celebriores vero Scholastici (ut alios insignes Praesules praeteream) adversus doctissimos Graecos coram Synodo Concertatores, ii cum nominis fama recensentur. *Petrus Perquerius*, Minorita; *Joannes de Sancto Thoma*, Augustinianus; *Joannes de Monte Nigro*, Ord. Praedicatorum in Lombardia Provincialis, qui ceteris frequentius, subtiliusque disputavit; propterea vulgo *Theologus* antonomastice salutatus.

XVI. *In Tridentino Scholastici adversus emergentes haereses declamarunt, & ad sacra statuenda dogmata mirifice juverunt.*

Demum Seculo Scholast. V. in *Oecumenico Tridentino*, omnium celeberrimo, Tridenti coepto an. Chr. 1545. 13. Decembr. & 1563. 4. Decembr. terminato, frequentissimo eorum numero, qui intererant, scilicet & Patrum Majorum, seu Episcopali vel Cardinalitia dignitate fulgentium, & Patrum Minorum seu Theologorum Conciliarum, maxima ex parte Scholastici erant egregii & acutissimi: e Schola prodierant, Scholasticen cum laude excoluerant, ejusque principiis, phrasibus, methodo innutriti, solidam in disputando subtilitatem retinebant.

Hi ergo e Schola Viri, quos ex omni gente ac populo Latino catholico pene centenarios dixeris, tot consultis, pronuntiatis, editisque

(*d*) Integras Kalteisenii & Polemaris Orationes primus ex Mss. edidit *Henricus Canisius* in antiquae Lectionis tomi IV. parte II.

tisque fidei definitionibus, quot ejusdem Synodi Acta, germanaeque historiae praeferunt, haereses pene cunctas debellarunt & proscripserunt; adeo ipsi alterum ex praecipuis Scholastices finibus, ab speculatione ad praxim persecite descendentes, obtinuerunt. Videlicet Minores Patres in privatis confessibus materias sibi propositas hinc inde maturo examine ventilatas decidebant; addentes saepenumero in decisionum confirmationem, & commentarios editos, & publicas Dissertationes coram Synodo recitatas: quibus deinceps omnibus auditis, Patres Majores in generalibus sessionibus fidei, morumque decreta inerranter pronuntiabant. Haec e Schola Theologi, & in publicis Academiis, & in privatis Regularium Gymnasiis innutriti ac exculti.

XVII. *Recensentur aliquot e clarioribus Theologis Scholasticis, qui Tridentino praecipua nomiuis laude interfuere.*

Jam vero ex iis Patribus, quod Minores seu Theologos Conciliares spectat, nonnulli speciatim singulari apud Synodum doctrina & eruditione floruisse feruntur. Ex. gratia *Jacobus Lainez*, hispanus, secundus Societatis Jesu Praepositus Generalis, ut plura praeteream, tribus continuis horis e sublimiori suggestu de Ss. Missae sacrificio peroravit (*e*). *Petrus Jaonnes Villetanus*, hispanus, Barcinonensis Episcopi Theologus, plures, perdoctasque Dissertationes dogmaticas coram Synodo pronuntiavit. *Joannes de Ludeña* Matritensis, Dominicanus, Theologus Doctor, Seguntini Episcopi Procurator, coram Patribus recentes Lutheranos coelibatum sastidientes egregia oratione perstrinxit. *Joannes Baptista Burgos*, hispanus, Valentinae Academiae Doctor Theologus & J. C., habuit ad Patres pereruditam Orationem de quatuor extirpandarum haereseωn praecipuis remediis.

Petrus Fontidonius, hispanus, Salmanticensis Doctor, deinceps Albae Archidiaconus, pluribus singularis ingenii, doctrinae, eruditionis, acuminis, eloquentiae specimen dedit; dignus propterea cui, ex Synodi sententia, una cum *Michaele Medina*, Minorita, Pius IV. & Pius V. praescripserint ut adversus Magdeburgenses Centurias, quae tum octo prodierant, calamum sumeret, acueretque. [*f*]. *Gaspar Cardillus Villalpandus*, hispanus, Theologus Pontificius, praeter alia, inter Conciliares disputationes edidit gravissimam Apologiam Indictionis Concilii Tridentini, a Pio P. IV. constitutae, adversus Joannem Fabricium Montanum, a Patribus summo plausu receptam (*g*).

XVIII. *Referuntur non-*

Quanti vero fuerint perplurimi alii e Scholasticis Tridentinis, ex vulgatis eorumdem conjicito lucubrationibus, quibus deinceps ut

(*e*) Apud *Biner* in apparatu eruditionis p. 3. c. 4. n. 159.

(*f*) Fontidonii opera, una cum eorum judicio & Authoris vita prelo propediem commitet, novus Editor, Cl. V., plurium probatissimus Author, Cervariensis Civis & *Dr. Franciscus Xavier Elias*, Barcinonensis S. Philippi Nerii Congregationis Presbyter.

(*g*) Plura dabunt ejusdem Synodi historiae ap. *Pallavicinum*, *Espencaeum*, *Labbeum*, *Martaeneum*, *Petrum Mazoleni*, *Coletum*, *Mansium*.

nulli ex Tridentinis Scholasticis, qui praeclaros de re polemica commentarios publici juris fecerunt.

ut plurimum afflictam haeresibus Ecclesiam sublevarunt. Quid singulos recenseam? exemplo sint quos subjicimus.

Melchior Canus, hispanus, ex Ord. Praedic., (*h*), *Ambrosius Catharinus*, Senensis, Minorensis & Compsanus Antistes, ex eodem Ord., qui ob. 1554. (*i*), *Alphonsus de Castro*, hispanus, Minorita, qui decessit 1558. (*k*), *Ruardus Tapperus*, jam laudatus (*l*), *Petrus de Soto*, Cordubensis (*m*), *Franciscus Vita Polynthius*, Siculus, Minorita Conventualis, qui fl. 1564. (*n*), *Franciscus Horantius*, hispanus Minorita, qui clarebat 1565. (*o*) *Franciscus Sonnius*, Belga, Doctor Lovanienſis, & Antuerpiae Praesul, qui ob. 1574. (*p*), *Jacobus de Paiva de Andrada*, Lusitanus, qui decessit ante 1578. (*q*), *Stanislaus Hosius*, Polonus, Episcopus Varmiensis, Cardinalis, ac Tridentini Praeses, vita functus 1579. (*r*), *Michael Medina*, hispanus, Minorita, qui ob. circiter 1580. (*s*), *Alphonsus Salmeron*, jam laudatus; *Franciscus Turrianus*, hispanus, S. J. vita functus 1584. (*t*), *Gaspar Casal*, Lusitanus, Augustinensis, Conimbricae Antistes, qui fato cessit 1585. [*u*], *Claudius Sanctesius*, Gallus, Episcopus Ebroicensis [*x*], *Andreas Vega*, hispanus, Minorita, fato functus 1560. [*y*]

XIX.

Scholastice Ecclesiae Propugnaculum & Praesidium, praesertim in Sacris Conciliis.

Haec itaque Scholae Theologiae Authoritas, quam non unquam Christi Ecclesia reverita non suspexit: hic Scholastices fructus, quae adversus Ecclesiae hostes leones parturit, lactat, innutrit. Neque vero quoad ceteras particulares Synodos iis multum similia non repereris testimonia, qui uberiora Chronica de Conciliis evolveris. Semper enim & ubique Scholastice nostra Ecclesiae Propugnaculum, & Praesidium fuit.

XX.

Scholastici adversus impios errores mirifice saepenumero egerunt.

Quod si id ipsum, adeo multis hucusque demonstratum, pluribus libeat confirmari; ad ea brevi periodo orationem convertamus, quae Scholasticae aliquot Academiarum Facultatis cunsulto, seu decreto, pro nitore fidei, pietatis, morumve dogmatum retinendo, saepenumero constituta sunt. Ac ne videamur historias contexere, paucula perplurium exemplo sufficiat delibare.

XXI.

Scholastici Parisienses zelo catholicae doctrinae ac puritatis e-

Primum equidem Scholastica *Facultas Parisiensis* singulis quibusque Seculis praecipuos erumpentes errores editis Statutis perstrinxit; nec raro errones quoquo modo ad se spectantes ad revocationem coegit. Nimirum. Seculo

(*h*) Tractat. aureus de locis Theologicis.

(*i*) Libri V. adversus Martinum Lutherum &c.

(*k*) Adversus omnes haereses libri XIV. &c.

(*l*) Explicatio circa dogmata controversa, cum objectionum solutionum tomi II. fol. &c.

(*m*) Tract. contra Joan. Brentium &c.

(*n*) Tract. de Eucharistica Veritate &c.

(*o*) De locis catholicis adversus Calvinum.

(*p*) Tract. VII. de VII. Ecclesiae Sacramentis &c.

(*q*) Orthodoxarum explicationum libri X. &c.

(*r*) Confutatio Prolegom. Brentii &c.

(*s*) De recta in Deum fide lib. VII. &c.

(*t*) Libri adversus Sadeelem, Andream Volanum &c.

(*u*) De Coena & Calice Domini libri III. &c.

(*x*) Repetitiones de rebus Ss. Eucharistiae controversis &c.

(*y*) De Justificatione lib. XV. &c.

Seculo II. Scholaſtico proſcripſit errorem *Almarici*, Carnotenſis, ſuae Academiae Scholaſtici [*z*]: tum binos alios cujuſdam *Guillelmi* Franciſcani: decem denique ab *Authore Anonymo* Pariſiis evulgatos (*a*). *xaeſtuantes, errores plurimos proſcripſere.*

Seculo III. damnavit ſuperſtitionis multos errores denuo exortos [*b*]: deinde quoſdam articulos, a *Joanne de Mercuria*, Ciſtercienſi, propoſitos (*c*); alios a *Nicolao de Ultricuria* (*d*); alios a *Guidone* Auguſtiniano [*e*]; alios a *Joanne de Calore* [*f*]; alios a *Dionyſio Soulechat* (*g*); alios a *Joanne de Monteſono*, Dominicano (*h*): impias tandem Wicleſi theſes, in Anglia pervulgatas, reprobavit (*i*).

Seculo IV. confutavit plura, quae de Tyrannicidio inepte effutierat *Joannes Parvi*, Pariſienſis Theologus (*k*), paullo poſt, Petro Alliacenſi, & Gerſone procurantibus, a Conſtantienſi Concilio nota haereſeos inuſta: tum nonnulla in Eccleſiae poteſtatem prolata a *Joanne Sarraceno* (*l*): alia itidem a *Joanne Angelo* adſerta (*m*).

Seculo V. *Lutheri* dogmata ab eodem Haereſiarcha ad Facultatem emiſſa, tanquam heterodoxa reprobavit; tum *Calviniana*, ac etiam quae *Michael Bajus* evulgarat.

Seculo VI. confixit erroneas theſes, ab *Edmundo Richerio*, ejuſdem Facultatis Doctore, ac Syndico, in libro de Eccleſiaſtica & Politica poteſtate adſertas, ac deinceps revocatas: tum illas v. famoſas *Cornelii Janſenii junioris*: alias demum permultas erroneas & captioſas, quibus poſteriores *Janſeniſtae* deſertam ſui Janſenii cauſſam per fas nefaſque tutari nitebantur; nonnullos inſimul ex iis ab albo Doctorum Facultatis expugnens, uti olim Seculo II. *Gullielmus de S. Amore* Pontificio juſſu expunctus fuerat.

Seculo VII. demiſſe accepta an. 1729. tanquam dogmatico judicio, Clementina Conſtitutione *Unigenitus*, ab ipſa ad futurum Concilium Adpellationem ut illiciram & temerariam exploſit: tum propoſitiones plurimas, excerptas e libris de Populo Dei, ab *Iſaaco Joſepho Berruyer* S. J., conſcriptis, variis inuſtas cenſuris confixit (*n*).

XXII.

Ita more ſuo, catholicae doctrinae puritatis aſſiduo zelo exaeſtuans, praenobilis haec, & fecundiſſima Scholaſticarum omnium Facultatum Parens & Magiſtra: ea inquam Orbi notiſſima Academia, de qua ſic fatus eſt *Deſiderius Eraſmus* an. 1520. tum quum Coloniae atque Lovaniae Univerſitates de novis Lutheri paradoxis judicium tulerant: *expectabatur* [inquit Deſiderius in Epiſtola ad Laurentium *SS. Joannes de Matha, Bonaventura, Thomas, Ignatius a Loyola, & Franciſc. Xave-*

(*z*) An. circiter 1204.
(*a*) 1240.
(*b*) 1318.
(*c*) 1347.
(*d*) 1348.
(*e*) 1354.
(*f*) 1363.
(*g*) 1365. & 1369.
(*h*) Circiter 1387.
(*i*) Circiter 1376.
(*K*) Circiter 1408.
(*l*) 1429.
(*m*) 1482.
(*n*) Plura ſparſim *Launoius* in lib. de Scholis c. 60. fuſiuſque *Bulaeus* in Hiſt. Univerſit. Paris. tomis VI. fol. ac demum *D' Argentrè* in Collect. judiciorum &c. ſparſim.

rius in Pariſ. Acad. laureis donati.

tium Campegium Lovanii data] *ſententia Pariſienſis Academiae, quae ſemper in re Theologica non aliter principem tenuit locum, quam Romana Sedes Chriſtianae Religionis principatum* (*o*). Ea propter plane digniſſima, quam frequentarint, inſigneſque ab eadem Laureas obtinuerint Sanctiſſimi juxta ac ſapientiſſimi Doctores *Joannes de Matha* (*p*), *Bonaventura* (*q*), *& Thomas*; (*r*) quibus adde *Ignatium Loyolaeum*, una cum Apoſtolo *Xaverio*, ceteriſque octo prioribus Sociis (*s*), ad Societatem Jeſu inſtituendam ſibi adſcitis (*t*).

XXIII. *Pariſienſis Academiae Scholaſticorum Zelum extera perplura Gymnaſia aemulantur.*

Parentem aliae Facultates in nonnullis aemulatae ſunt. Exemli cauſſa *Oxonienſis*, & *Cantabrigienſis*, cùm catholice ſentiebant, *Wicleſi* haereſes reprobarunt: *Colonienſis*, *Lovanienſis*, *Duacenſis*, errores *Lutheri*, *Calvini*, *Baii*, *Janſenii*, *reflexorum Janſeniſtarum*, *& Appellantium* cenſuris acerrimis perſtrinxerunt. Ceterum pro facultatibus *Italis*, *Hiſpanis*, *Luſitanis*, rem perpetuo fecerunt Tribunalis Fidei *Quaeſitores*, perdocti Scholaſtici plerumque; quibus nempe & notis inurendi errores, & ſupplicio errones afficiendi provincia demandata eſt; dum interea Scholaſticae Facultates illibatam fidei, morumque doctrinam ſervant, & fovent, ac data opportunitate ſtrenue vindicant, atque propugnant.

XXIV. *Singulare Zeli pro Catholicae doctrinae puritate facinus Scholaſticorum Salmantinorum & Oxonienſium.*

Unum, nec vulgari quidem praeconio dignum, de ardenti zelo Salmantinae Facultatis pro integra & illibata Fidei doctrina, memoria proditum eſt. Quod nempe vix lata eſt ſententia, primum ab Archiepiſcopo Toletano, poſt Complutenſis Facultatis judicium, ac deinde a Sixto P. IV., adverſus errores libri, a *Petro Oxomenſi*, Salmanticenſi Theologo Profeſſore, vulgati; quamcito & Petri librum & Cathedram in media Schola ardenti rogo tradiderit (*u*). Id quod ſub eiſdem fere temporibus *Oxonienſis Facultas* pari exemplu & laude executioni mandavit; quae nempe impios *Reginaldi Pekopii*, Wicleſiani olim Liceſtrenſis Epiſcopi, libellos in theatro ſuo flammis addixit (*x*).

XXV. *Sedes Apoſtolica in magni momenti rebus ſaepe Scholaſticos*

Auxiliares Eccleſiae copias Scholaſticas haſce Facultates jure nuncupaveris, maximeque Sedis Apoſtolicae; quippe quae in gravioris momenti negotiis, & eas conſulere conſuevit, & ab earum judicio in rebus Religionem ſpectantibus ut plurimum ſtare. Novimus

(*o*) Conf. *Bulae.* in Hiſt. Univ. Par. Seculo VIII. ad ann. 1520. p. m. 116. tomo 6.

(*p*) Si fides ſit ejuſdem Sancti Biographis, ita vulgo teſtantibus.

(*q*) Ex *VVading.* Annal. Minor. t. 3. ad ann. 1253. n. 26. in Bonaventura, ex noviſſima editione, quam pluribus auxit *Joſ. Maria Fonſeca ab Ebora* an. 1732.

(*r*) Ex laudato *VVading.* & *Eccard.* Biblioth. Domin. in Thoma, poſt citatum *Bulae.* tom. 2. p. m. 345. & inſuper tom. 3. in catal. illuſtr. Academicor. lit. T.

(*s*) Inter eos non connumerandus *Jacobus Lainius*, quippe qui conſimilem lauream in Complutenſi Academia obtinuit.

(*t*) Conſtat. de laudatis S. Ignatii & Sociorum Laureis ex authentico quodam Catalogo, reperto & Romam miſſo a Dionyſ. Petavio an. 1635. 28. Jul. ap. *Bollandianos Biographos* in Vita S. Ignatii, in comment. praevio n. 168.

(*u*) An. Chr. circiter 1478.

(*x*) Apud *Harpsfeld.* hiſtor. VViceleſi c. 16.

vimus enim, ut cetera praeteream, Salmanticenſes Scholaſticos ab Apoſtolica Sede conſultos fuiſſe ſuper ſchiſmate inter Urbanum VI. & Clementem, Seculo III. Scholaſtico; ac Seculo V. ſuper Henrici VIII. Angliae Regis & Catharinae Hiſpaniae Regum filiae matrimonio (*y*): tum deinde Seculo VI. ineunte, ante an. Chr. 1603. plures Deſiderii Eraſmi Commentarios de Religione tractantes, tamdiu emanaſſe a Sede Apoſtolica prohibitos, quamdiu ab utralibet, ſeu Pariſina, ſeu Lovanienſi Facultate, non manifeſtarentur expurgati [*z*].

Coetus conſuluit; nec raro ab eorundem judicio ſtetit.

Quae cum ita ſint, mirari quidem non ſubit, Theologiam noſtram ab aequis rerum aeſtimatoribus tot, tantiſque praeconiis evehi, atque vindiciis propugnari. Porro quot fuerunt hucuſque cùm publicae, tùm privatae Scholae, quae illam excoluerunt, quotque graves Authores, qui Scholaſticis Commentariis illuſtrarunt, totidem illi ſunto praeſtantiſſima encomia, auro, cedroque linenda. Quod ſi mentem conjiciam in graviſſimos illos Encomiaſtes, qui ipſam data opera profuſis laudibus ac vindiciis exornarunt, me dies deficiet, ſi velim cunctas eorum penegyres heic referre: immo vel ne multiplex pagina ad ſingulorum cenſum nominum ſatis erit. Ne vero, cuncta praetereuntes, ſacrae Scientiae injurii videamur, liceat ac ſufficiat e tanto numero ſelectum promere Indiculum, quem ſubinde recitamus.

XXVI. *Majora ſunt & copioſiora Scholaſtice attributa praeconia, quam valeant brevibus terminis circumſcribi.*

XXVII. *Recitatur Indiculus aliquot inſignium Virorum, qui data opera Scholaſticen laudibus exornarunt.*

SCHOLASTICES ENCOMIASTAE, A C VINDICES.

ALEXANDER ALENSIS (in Summa par. 1. quaeſt. 1. de Doctrina Theologiae fere tota, ubi Scholaſtices, quam elucidandam aggreditur, attributa ac dotes ritu ſcholaſtico exponit.) Alenſis.

S. BONAVENTURA (in expoſitione Magiſtri quaeſt. 2. prolog. 1. Sent.) Et Seraphicum Doctorem vulgo ſequuntur & exponunt eo loci *Interpretes*, cum *Fragoſo* & *Gaudentio* Capucinis. S. Bonaventurâ & Interpretes.

S. THOMAS (in Summa par. 1. quaeſt. 1. fere tota, ubi ſimiliter differit de Scholaſtice proprietatibus.) Ac ipſum generatim ſectantur ejus *Interpretes* ſuper laudatam quaeſtionem. S. Thomas & Interpretes.

EMMANUEL CALECAS, ſapientiſſimus Graecorum Theologus, qui fl. circiter an. 1280. (*a*), vel 1375. (*b*), (lib. de elementis Catholicae Calecas.

(*y*) Apud *Andream Mendo* tr. de Jure Academico l. 1 q. 7. § 2. n. 141. ex *Genebrardo* in Chron. ad an. 1378. & ex ejuſdem Salmanticenſis Academiae Scriniis.

(*z*) Ap. *Peſſèvinum* Appar. ſacro, in Deſiderio Eraſmo.

(*a*) Ex *Petavio* in Prolegom. Theol. dogm. c. 5.

(*b*) Ex *Bellarm.* de Script. Eccleſ. ad eum annum.

licae Fidei, adducto a *Nicephoro* (*c*): ubi adsumpto Latinae Sholastices patrocinio, eam praecipue quoad subtiliorem quaestiones versandi methodum, eximiis laudibus extollit; immo Ecclesiae non modo utilissimam, sed & necessariam esse demonstrat.).

Picus. JOANNES PICUS MIRANDULANUS Comes, ingeniorum miraculum merito nuncupatus, vita functus an. Chr. 1494., aetatis 31. (Epistola ad Hermolaum Barbarum.)

Gersonius. JOANNES GERSONIUS, saepe laudatus (Tract. de Theologia Speculativa, & alibi saepius.)

S. Ignatius Loyolaeus. S. IGNATIUS A LOYOLA, hispanus, Societatis Jesu Institutor, vita functus 1556. 31. Julii, aetatis 65., (Libro aureo Exercitiorum spiritualium, in Regulis ad verum Militantis Ecclesiae sensum retinendum, Regula XI. injungit studium, amorem & laudem erga Scholasticam Doctrinam, quam Magister, Thomas, Bonaventura & alii tradiderunt; utpote quae plurimum illis temporibus accomoda esset ac opportuna ad Fidei dogmata definienda & explananda, necnon ad omnes eis adversos errores ac dolos detegendos & confutandos.) Integer ille Libellus a Sede Apostolica saepe cum laude adprobatus est (*d*).

S. Carolus Borromaeus. S. CAROLUS BORROMAEUS Mediolanensis civis & Archiepiscopus, omni laude major, fato functus 1584. 3. Novembris (in Epistola ad Andraeam S. R. E. Cardinalem, quae extat in Libello, praenotato *Pastorum Instructiones .. a S. Carolo Borromaeo editae &c.*) [*e*]

Canus. MELCHIOR CANUS, alias laudatus, (Tract. aureo de Locis Theolog. lib. 8. de Authoritate Doctorum Scholasticorum; & lib. 12. de locorum usu in scholastica disputatione, & alias.)

Soto. DOMINICUS SOTO, Dominicanus, Tridentinus Theologus, (in celebri ac nervosa Responsione in Tridentinis confessibus privatis exhibita ad Cassinensem quemdam Abbatem, qui speculationes Scholasticorum Cavillationes appellarat [*f*]: tum lib. de Natura & Gratia, in nuncupatoria ad sanctos Patres Tridentinae synodi Praefatione.)

Horantius. FRANCISCUS HORANTIUS, Hispanus, Minorita, egregius Tridentini Concilii Theologus (in nunquam satis laudato Commentario de locis theologicis contra Calvinum, l. 5. c. 3. circa medium, ubi Scholastices praestantiam & utilitatem perinsigniter commendat & probat.)

Stapletonus. THOMAS STAPLETONUS, civis & Canonicus Anglus, deinde Regius

(*c*) Lib. 10. hist. c. 8.

(*d*) Scilicet a *Paullo* III. Const. *Pastoralis Officii*. 1548. 13. Jul., & *Alexandro* VII. literis datis in forma brevis 1657. 12. Octob.

(*e*) Verba Epistolae haec sunt: „ Finem „ faciam, si illud addidero, ut Theologiae „ Scholasticae, operam omnino naves; est „ enim necessaria iis, qui accuratam Sacrae „ doctrinae Scientiam consequi studeant, nostris praesertim temporibus, quibus eam „ Haeretici reprobare omni ratione tentant. „ Hac de causa oportebit te habere domi „ Doctorem doctrina aeque ac moribus gravem D. Thomae sectatorem, a quo certis horis Theologiam audias quotidie. „

(*f*) Ap. *Pallavic.* hist. Trident. l. 7. c. 5. n. 3.

gius Duaceſis & Lovanienſis Theologiae Profeſſor, an. circiter 1597. fato functus, (in Apologia pro Theologia Scholaſtica.)

HIERONYMUS VIELMIUS, ex Ord. Praedic. Epiſcopus AEmoniae, qui vitam agebat 1575. [Oratione apologetica in Theologiae Scholaſticae Obtrectatores.] Vielmius.

LUDOVICUS CARBO A COSTACIARO, in Peruſino Gymnaſio Theol. Profeſſor, qui claruit 1589., (in Introductione in ſacram Theologiam, l. 1. c. 10. & 11. & l. 4. c. 6. & 7.) Carbo.

GREGORIUS DE VALENTIA, [in Commentariis Scholaſticis tomo 1. diſputat. 1. quaeſt. 1. tota, ac praeſertim puncto 2., ubi agit de Theologiae neceſſitate.] De Valentia.

DOMINICUS BAÑEZ (in 1. par. S. Tho. quaeſt. 1. artic. 8. dubitatione ultima circa tertium locum, aduſque finem.) Bañez.

GABRIEL VAZQUEZ, S. J., (in 1. p. S. Tho. quaeſt. 1. diſputatione 3.; ubi nervoſe & critice, more ſuo.) Vazquez.

ANTONIUS POSSEVINUS, Mantuanus, S. J., obmortuus an. Chr. 1611., aetatis 78., (in Bibliotheca ſelecta to. 1. lib. 3. de ſtudiis Theologiae Scholaſticae cap. 3.) Poſſevinus.

DIONYSIUS PETAVIUS, S. J., (de Theologicis Dogmatibus to. 1. in Prolegomenis ſparſim, & ſignanter capp. 4. 5. 6.) Petavius.

RAPHAEL AVERSA A SANSEVERINO, Clericorum Regularium Minorum magnum decus, (in Theol. Schol. tom. 1. quaeſt. 1. ſect. 1. §. *Dico ſecundo*.) Averſa.

MAXIMILIANUS SANDAEUS, Germanus S. J. qui clarebat 1647., (in Comment. de Theologiae Scholaſticae Prolegomenis, l. 1. commentatione 4.; qua praecipue pro Scholaſtice fuſe, nervoſeque decertat.) Sandaeus.

LUDOVICUS BANCEL, Ord. Pr. (in Theologiae curſu l. 1. quaeſt. 1. praeambula art. 1. & 2.; quibus Scholaſtices utilitatem ac neceſſitatem mirifice promovet.) Bancel.

JOANNES MARTINON, S. J., (in Apologia ſuae Scholaſticae Theologiae, primo tomo praefixa.) Martinon.

JOANNES BAPTISTA GONET, Praedicat. Ord. Theologus, (in Clypeo Thomiſticae Theologiae, Diſp. prooem. art. 11.) Gonet.

SFORTIA PALLAVICINUS, S. J., Cardinalis, (in Hiſtoria C. Tridentini lib. 7. c. 14. a n. 4., & Apologia pro Societate Jeſu, & ſeape alibi.) Pallavicinus.

LEO A SANCTO JOANNE, Gallus, Carmelitani Ordinis Ornamentum (in Contextu Scientiae-Divinae, ſummam Theologiae Chriſtianae repraeſentante; in Diſſertatione aditiali, ubi peregregie de Scholaſtices praeſtantia & neceſſitate.) A S. Joanne.

TOBIAS LHONER, S. J. (in quintuplici Theologia, tract. iv. de Thelogia Scholaſtica.) Lhoner.

FRANCISCUS VAVASSOR, patria Burgundus, S. J. Theologus, Criticus, Rhetor, Poeta clariſſimus, denatus Pariſiis 1681. 14. Decembris, (in Oratione x. quid Scripturae Interpretes Scholaſtice juvet Vavaſſor.

vet : ubi praecipuas Scholaſtices dotes exponit, & magnopere extollit.]

Mabillon. JOANNES MABILLON, Monachus Benedictinus e Congr. S. Mauri, vir literatiſſimus & adprime criticus, denatus 1707. [Tract. de Studiis Monaſticis par. 2. cap. 6., ubi Monachis ſuis ad Scholaſticen addiſcendam, prout a Magiſtro & S. Thoma tradita eſt, prudentes regulas praeſcribit; ac dum Pſeudo-Scholaſticorum vitia increpat, eorum Facultatem ſummopere commendat.]

De Benedictis. JOANNES BAPTISTA DE BENEDICTIS [in Epiſtola ad Aloyſium Oligorium, ſcilicet ſub ficta perſona & nomine, quod ſonat *aſpernatorem*, in Scholaſtices defenſionem: tum altera pererudita ac nervoſa Apologia pro eadem Scholaſtice, ſub nomine Epiſtolae ad Conſtantinum Grimaldum.]

Gotti. VINC. LUDOV. GOTTI [in Theol. Scholaſtico-Dogmatica tom. 1. tr. 1. Iſagogico, dub. 3. §. 2. an. 12.]

Tournelyus. HONORATUS TOURNELYUS, [in to. 1. de Praelectionibus Theologicis Sorbonicis, diſput. praevia de ſacra doctrina ſeu Theologia, qua egregie Scholaſticen vindicat, ejuſque dotes exponit.]

D'Argentrè. CAROLUS DU PLESSIS D'ARGENTRE', Tutelenſis Antiſtes, [in Tract. de Elementis Theologicis Cap. 1. quaeſt. 17.]

Maſchius. LUDOVICUS MASCHI, Ord. Praed. [in Opere Theologico-Thomiſtico to. 1. par. 1. tr. 1. de Theologia & Univerſitatibus, praeſertim c. 7. & 8.]

Calatayud. VINCENTIUS CALATAYUD, Hiſpanus, Valentinae Eccleſiae Praepoſitus, & Congreg. S. Philippi Nerii Presbyter, doctrina & eruditione clarus [in Diſſertationibus Theolog. Schol. Dogmat. Myſtic. Doctrinal. tom. 1 Proleg. 2. ubi copioſiſſime & authoritatum & rationum momentis pro Scholaſtice pugnat.]

A S. Joſeph. MICHAEL A S. JOSEPH, hiſpanus, Ord. Excalceatorum SS. Trinitatis Generalis Miniſter, & Epiſcopus Guadicenſis, denatus circiter 1750. in tract. veteris & novae critices; tum Bibliographia Critica ſacra & prophana, tomo 1. in Praefatione a num. 28. & tom. 4. ſub articulo *S. Thomas Aquinas* : ubi Scholaſticen impenſe vindicat & extollit.]

Charmes. THOMAS EX CHARMES, Capucinus [in Theologiae univerſae tom. 1. de Prolegomenis, Diſſert. 2. concl. 3.]

Boucat. ANTONIUS BOUCAT, Minimus, [in Commentariis Tgeologicis tom. 1. Diſſert. praeambula Concl. 2. ubi Scholaſtices utilitatem pluribus adprobat.]

Perrimezzius. JOSEPH MARIA PERRIMEZZIUS, ex eadem Minimorum familia, Archipraeſul Boſtrenſis, qui fl. 1739., [in Theologiae parte 5. Diſſert. 294. qua Scholaſtices dignitatem & utilitatem enixe tuetur.]

Berti. JOANNES LAURENTIUS BERTI, Auguſtinenſis, (in Prolegomenis Theologicis Cap. 2. prop. 4. & 5. ac. deinde toto inſequente Cap. 3., ubi ſtrenuum pro Scholaſtice Apologetam agit.)

Mannhart. FRANCISCUS XAVERIUS MANNHART, Germanus, Jeſuita, Theol. Doctor.

Doctor. & Profeſſor, (in Diſſert. Theologica de natura & indole Theologiae, typis excuſa 1750 : tum in Bibliotheca domeſtica tom 8. Cap. 1., ubi de indole, dotibus, ac varietate Theologiae : & quidem utrobique Scholaſticen acerrime vindicat.)

Josephus Gautier, Germanus itidem & Jeſuita, qui fl. 1755., (in Prodromo ad Theologiam Dogmatico-Scholaſticam Diſſert. 1. c. 4., ubi & Scholaſtices pretium pluribus effert, & varios ejuſdem hoſtes egregiis Vindiciis convellit.) (*) Gautier.

Martinus Gerbert, Germanus quoque; Benedictini Ord. Congregatione S. Blaſii in ſilva nigra, qui in vivis agebat 1763., (in Opuſc. de recto & pravo Scholaſtices uſu: ubi, praeter alia, ſacerrimae Scientiae attributa plurimum evehit Cap. 2., necnon ea, quae ſua opinione ſunt Scholaſtices vitia, nova eam tradendi perdiſcendique methodo adlata, penitus eliminanda contendit a Cap. 3. & deinceps) Gerbert.

Thomas M. Mamachius, gente Graecus, profeſſione Ord. Praed. Magiſter (& Scholaſticen & Scholaſticos Theologos magnopere commendat in Comment. recens edito Romae 1766. de Animabus Juſtorum in ſinu Abrahae ante Chriſti mortem expertibus beatae viſionis Dei, lib. 1. c. 4. §. 5 & 6. a. p. m. 462. & alias.) Mamachius.

Recenſentur Sublimia Summorum aliquot Pontificum de Scholaſtice judicia.

Hos itaque, pluresque conſimiles Panegyriſtas, ac Vindices Scientia noſtra paſſim refert. Ergone iis tanta laude productis, ſat eam, ſuperque dixeris commendatam ? Sed nondum ſatis : ſupereſt enim poſt remus, ac potiſſimus Titulus ex Summorum Hierarcharun Oraculis repetendus; quo nempe poſito, nec unus ad ſummam ejus commendationem ſuperſit.

Equidem principio Innocentius III. (*g*) in Lateranenſi Concilio, coacto Seculo II. Scholaſtico, an. Chr. 1215. praecepit tanquam quid Eccleſiis valde utile, decorum, ac neceſſarium, ut in ſingulis Cathedralibus Scholaſtices, vix tum enatae ac excultae, Magiſter adſignaretur, qui eam ſedulo ſuos Clericos edoceret. Innocent. III.

Deinde Honorius III. (*h*) ubi profeſſionis Theologiae, quae tunc temporis non alia erat quam Scholaſtica, ſtudium commendarat, Praelatis ſubinde atque Capitulis injungit „ ut ad illud aliqui „ docibiles deſtinentur, qui cum docti fuerint, in Dei Eccleſia ve„ lut ſplendor fulgeant Firmamenti, ex quibus poſtmodum copia „ poſſit haberi Doctorum, qui velut Stellae in perpetuas aeterni- „ tates Honorius III.

ADNOTATIO.

(*) POST priorem noſtri commentarii editionem in laudatam doctiſſimi *Gautierii* Diſſertationem incidi, & ea quidem magnopere delectatus ſum; quippe qua mihi videbar hujuſce meae ſplendentiſſimum Prodromum nactus.

(*g*) Relatus Cap. *Quia nonnullis*, de Magiſtris.

(*h*) Laudatus Cap. *Super Specula*, de Magiſtris.

„ tates manſuri, ad juſtitiam valeant plurimos erudire. „ Idem inſuper dum Albigenſium haereſis Toloſanam Provinciam miſerrime devaſtaret, haud alios pro opportuno remedio aptiores, quam Scholaſticos, ei cenſuit opponendos: quippe per literas Pariſienſem Academiam hortatus eſt, ut ſelectos e ſuo gremio Doctores illuc mitteret „ qui cauſſam Dei agentes, ex animo lectioni, praedicationi & „ exhortationi vigilanter inſiſterent [*i*].

Alexand. IV. Tum ALEXANDER IV. ubi praegrandibus encomiis Pariſienſem Academiam aduſque Coelos evehit [*k*], in Scholaſtices tum maxime florentis ſtudium, & mentis & laudis aciem potiſſime intendit, inquiens: „ Ibi praecipue dat Dominus Sponſae ſuae os & ſapien„ tiam ac linguam myſticis eloquiis eruditam, cui reſiſtere nequit „ omnis adverſitas reproborum [*l*]. Ac deinde (*m*) Hinc procedit „ inclyta Doctorum proſapia; hinc alta progenies provenit perito„ rum, quibus Chriſtianus illuſtratur Populus, & Fides Catholica ro„ boratur.

Innocent. VI. Inſuper INNOCENTIUS VI. in erectione Theologiae Cathedrae in Bononienſi Academia hoc exordio ſuam Conſtitutionem praemunit: „ „ quaſi lignum vitae in Paradiſo Dei & quaſi lucerna fulgens in domo „ Domini eſt in ſancta Dei Eccleſia Facultatis Theologcae (*hoc eſt „ Scholaſticae, quae una tum temporis obtinebat*) diſciplina. Ipſa „ velut fecunda eruditionis mater ad irrigandam ſterilem orbis faciem „ fluvios de pectore Salvatoris emittens, humanum genus originalis ignorantiae caecitate deforme per infuſionem veritatis ad viam „ reducit juſtitiae vitae, vivificat animas, eaſque ad exaltationem „ catholicae fidei & exterminium haereticae pravitatis, & cuncto„ rum infidelium & adverſus etiam inviſibiles poteſtates armis inexpu„ gnabilibus munit, & fortiſſimas conſtituit bellatrices. „ (*n*) Et Huic quidem accedit par omnino Conſtitutio totidem fere verbis profecta ab *Urbano V.* in erectione ſimilis Cathadrae in Academia Patavina. (*o*)

Sixtus V. Preterea SIXTUS V. dum cauſſas recenſet, ob quas Scholaſticum Bonaventuram Sanctorum Doctorum coetui adnumerandum conſtituit, haec quoad noſtram Scholaſticen, nec uno apice praetereunda, mirabili eloquio declamat (*p*).

„ Denique movet nos Eccleſiae univerſalis utilitas, quae ex „ tanti Doctoris eruditione ſemper major & uberior capi poteſt; „ praeſertim cum haereticorum inſidiae, & diabolicae machinatio„ nes, quibus ſacram Theologiam, quae Scholaſtica adpellatur, „ hoc luctuoſo Seculo oppugnant, vehementiſſime nos magnopere ad„ moneant, ut eandem Thelogiam, qua nihil Eccleſiae Dei fructuo„ ſius, omni ſtudio retineamus, illuſtremus, propagemus. „

„ Divi-

(*i*) Ap. *Natal. Alexandrum* Hiſt. eccleſ. Seculo 13. art. 2. n. 3. in Honorio III.

(*K*) Duabus literis ad eam miſſis an. 1255. & 1256. ap. *Spondanum* ad an. 1255. ex *Wadingo*.

(*l*) In priori epiſtola.

(*m*) In poſteriore.

(*n*) Dat. Avenione 1360. 12. Jun.

(*o*) Conſt. *Sane dum.* 1363. 14. Apr.

(*p*) Conſtit. *Triumphantis* 1588. 18. Mart. §. 10. *Et quamvis*.

„ Divino enim illius munere, qui ſolus dat Spiritum Scien-
„ tiae, & intellectus, quique Eccleſiam ſuam per ſeculorum aeta-
„ tes, prout opus eſt, novis beneficiis auget, novis praeſidiis in-
„ ſtruit, inventa eſt a Majoribus noſtris Sapientiſſimis Viris Theo-
„ logia Scholaſtica, quam duo potiſſimum glorioſi Doctores Ange-
„ licus S. Thomas, & Seraphicus S. Bonaventura, clariſſimi hujus
„ Facultatis Profeſſores, primi inter eos, qui in Sanctorum nume-
„ rum relati ſunt, excellenti ingenio, aſſiduo ſtudio, magnis la-
„ boribus & vigiliis excoluerunt, atque ornarunt, eamque optime
„ diſpoſitam, multiſque modis praeclare explicatam poſteris tra-
„ diderunt.

„ Et hujus quidem tam ſalutaris Scientiae cognitio & exerci-
„ tatio, quae ab uberrimis divinarum Literarum, Summorum
„ Pontificum, Sanctorum Patrum, & Conciliorum fontibus dima-
„ nat, ſemper certe maximum Eccleſiae adjumentum adferre potuit;
„ ſive ad Scripturas ipſas vere & ſane intelligendas & interpretan-
„ das, ſive ad Patres ſecurius & utilius perlegendos & explican-
„ dos, ſive ad varios errores & haereſes detegendas & refellendas.

„ His vero noviſſimis diebus, quibus jam advenerunt tempo-
„ ra illa periculoſa ab Apoſtolo deſcripta, & homines blaſphemi,
„ ſuperbi, ſeductores proficiunt, in pejus errantes, & alios in er-
„ rorem mittentes; ſane catholicae Fidei dogmatibus confirmandis,
„ & haereſibus confutandis perneceſſaria eſt: & profecto rem ita ſe
„ habere, ipſimet veritatis inimici ſunt judices, quibus Theologia
„ Scholaſtica maxime eſt formidoloſa; qui profecto intelligunt, apta
„ illa & inter ſe nexa rerum & cauſſarum cohaerentia, illo ordi-
„ ne & diſpoſitione, tanquam militum in pugnando inſtructione,
„ illa argumentorum firmitate, & acutiſſimis diſputationibus, lucem
„ a tenebris, verum a falſo diſtingui, eorumque mendacia, mul-
„ tis praeſtigiis & fallaciis involuta, tanquam veſte detecta patefie-
„ ri ac denudari.

„ Quanto igitur magis illi hanc munitiſſimam Scholaſticae Theo-
„ logiae arcem oppugnare & evertere conantur, tanto magis nos
„ decet hoc invictum Fidei propugnaculum defendere, & heredi-
„ tatem Patrum noſtrorum conſervare & tueri, & acerrimos veri-
„ tatis defenſores meritis honoribus quantum poſſumus decorare.„
Quid pulchrius & ſublimius, ac pro re noſtra praeclarius?

His forte quiſpiam ſuperaddenda deſideret Oracula, quibus Benedictus XIII. (*q*), & Clemens XII. (*r*), Thomaſticam Scholaſticam Theologiam, quam PP. Dominicani in Gymnaſiis praelegunt, haud mediocribus laudibus adprobarunt; rurſus item Oracula, quibus

Benedict. XIII.
Clemens XII.

(*q*) Brevi ad PP. Dominicanos dato 1724. 6. Novemb. & Conſtit. *Pretioſus.* 1727. 26. Jun.

(*r*) Conſt. *Verbo Dei.* 1733. 28. Auguſt. & Brevi dato 2. Octob. ejuſdem anni.

Plures alias laudati.

Rursus Clemens XII.

bus permulti Pontifices [s], Scholasticam Doctoris Angelici Summam ad Coelum usque summis encomiis evexerunt; Oraculum praeterea, quo CLEMENS idem XII. [t] Scholasticen in Catalonica Academia Cervariensi praelegendam, excolendamque Apostolica authoritate adprobavit; clarissima demum praeconia, quibus BE-

Benedict. XIV.

NEDICTUS XIV. Scholasticen ipsam non semel exornavit [u]; praeterquam quod cum adhuc Bononiensem Archiepiscopatum regeret, inter cetera saluberrime statuit „ ut Theologiam Scholasticam per „ tres saltem annos excolat qui satis ingenio praeditus est, antequam „ sacerdotio initietur. „ Frustra tamen indicata Oracula quaeras: ea quippe, pluraque Sixtinum Oraculum effuderat, ubi praelaudatas periodos, immortali coelandas aere, pronuntiavit.

Ergo portentose insipiens esto, impudenter temerarius, omnique consilio destitutus turpissime vecors, quicumque tot, tantisque obauditis Oraculis, ceterisque retro adductis pro Scholastices praestantia & utilitate momentis rite perpensis, audeat insuper eam despicere ac vallicare. Verum enim vero plurimos nihilosecus hostes, ac obtrectatores Facultas dignissima passa est, ac hodiedum sustinet; quos nullo tamen negotio fortasse liceat confutare: immo eorumdem arma objecta proderunt; ex quibus nempe ad fusius & nitidius explanandas sacerrimae Scientiae dotes materiem uberem deducamus.

CAPUT

(s) Eos supra dedimus Cap. I. ubi de Controversiis Scholasticis, Controv. II.

(t) Const. *Imperscrutabilis*. 1730. 4. Decemb. Titulo 11. §. 12.

(u) Tom. 3. Instruct. Pastoralium, Instructione I. quam idem allegat in Praefat. in commentaria de J. C. Matrisque ejus Festis, quae habetur ad calcem Ecclesiasticarum ejusdem Institutionum.

CAPUT III.

Scholaſtices Obtrectatores refutantur.

ARTICULUS I. *Multiplicis generis Hoſtes adverſum Scholaſticen.*

TAM porro in Oriente Seculo Scholaſtico III. in odium Latinorum primus omnium oppugnavit, Vir ex Graeca factione celebris, *Nicephorus Gregoras*, qui an. Chriſti 1328. ſuos inter Sapientes magni fama nominis efflorebat: & ipſe quidem ſubtiliorum praecipue diſceptationum, ac Dialecticae uſum in rebus Theologicis probri loco Latinis objecit (*x*).

Nicephoro in Anglia eodem vertente Seculo crudelior ſucceſſit hoſtis, *Joannes Wiclefus*; quippe qui Collegia & Univerſitates *Caſtra Cainitica* compellabat, & Gradus in Scholaſtica Theologia eſſe *geniliter* introductos adſerebat (*y*); ac ipſi quidem, a Conſtantienſi Concilio jam exploſo (*z*), quoad Theologicum Gradum perridicule ac impie poſtmodum conſenſit *Cinglius*, etiam Haereſiarchas [*a*].

Nec imparibus alii Novatores conviciis Seculo V. Scholaſtico ſacram ipſam Scientiam laceſſiverunt. *Lutherus* enim eam vocavit *ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam* [*b*]; tum Academias, ubi docetur, *Antichriſti Lupanaria* [*c*]: *Philippus Melanchthon* eam dixit *prophanam, Pariſiiſque natam obſcuraſſe Evangelium & Fidem extinxiſſe* [*d*]: *Joannes Calvinus* adſerere non dubitavit, *Scholaſticos Theologos velut obducto velo Chriſtum texiſſe, & plurima mala illis accepta ferri debere* [*e*]. Quin & paſſim ctteri ſectarii cane pejus & angue Scholaſticen oderunt, eam errorum & abominationum ſentinam ac lernam oeſtro perciti vocitantes (*f*).

Horum veſtigia Seculo VI. quodammodo calcarunt *Joannes Vergerus*, vulgo *Abbas San-Cyranus*, ſibique addictiſſimus alumnus *Cornelius Janſenius* junior, Epiſcopus Iprenſis, quorum primus obiit an. Chr. 1643., alter vero 1638. Hi enim & Scholaſticen ut inutilem rejiciebant, & ejus Profeſſoribus non uno modo ſubſannabant. Speciatim Vergerus *S. Thomam & Scholaſticos reliquos acriter fugillabat, quod humanis ratiociniis & argutiis philoſophicis ſanam Theologiam depravaſſent* (*g*).

(*x*) In Hiſtoria lib. 10. c. 8.

(*y*) Ap. *Valdenſem* tom. 1. l. 2. doctr. fidei cap. 67. & ſeqq.

(*z*) Seſſione 8. qua inter alios VVicleſi articulos hic proſcribitur, *Univerſitates, Studia, & Collegia vana gentilitate introducta ſunt*.

(*a*) Epiſtola ad Bugenhagium ap. *VValterum* de ſtatu Doctorum c. 3.

(*b*) Lib. contra Latomum.

(*c*) Lib. de abrogandâ Miſſa privata.

(*d*) Apologia adverſus Pariſienſes.

(*e*) Lib. 3. Inſtit. c. 2. §. 2. ubi agit de fide.

(*f*) De iis plura in Prodromo III. in Proluſione hiſtorica de Scholaſtices Hoſtibus.

(*g*) Ita *Joan. Joüaudus*, Abbas Petrierenſis, in teſtimonio lato de ſenſibus Sancyrani, ap. *Authorem* Veritatis Conſilii Burgofonte initi demonſtratae part. 2. art. 5.

Janſenius vero (*h*) prolixa paraphraſi confirmatam poſteritati reliquit illam Lutheri theſim, nempe *Scholaſticam Theologiam exulem feciſſe veram Theologiam*, quam pridem ſacra Facultas Pariſienſis *ut falſam, temerariam, ſuperbe adſertam, & ſanae doctrinae inimicam* condemnarat. Atque ipſe alias tanquam ex tripode definierat, Scholaſticos *multum ab Auguſtino, atque adeo a veritate aberraſſe, amore philoſophiae naturalis ebrios*) quae nempe indifferentiae libertatem edocet (*& de Schola Babylonem quamdam feciſſe, cymmeriis tenebris ac confuſione turbatam*. Ita Doctores iſti ſua opinione ſapientiſſimi, omniumque Magiſtri.

Noſtro demum Seculo VII. moroſi Critici, Grammatici, & Rhetores, plurium antiquorum placita fere toto Catholico-Latino orbe vulgo ſectantes, in Scholaſticen una voce conclamitant, ſuiſque ſat levibus argutiis prorſus Scholis, & prelis omnibus valedicere jubent.

II. *Singuli ordine audiuntur, ac refutantur.*

Age vero, & ordine ſingulos audiamus, illico revincendos. Principio enim ubi Gregoras a Theologicis de dogmate diſputationibus omnem ingenii ſubtilitatem, omnemque Dialectices artem & doctrinam exulare jubet, haud ſatis apte philoſophari videtur. Ecquid etenim, ſi ſophiſticus adverſarius technas, ac theſes obſcuras & captioſas, non niſi ſubtiliori acumine retundendas, obtrudat? Ecquid, ſi tu ipſe, cum tuae factionis Graecis, ut Spiritus Sancti a Filio proceſſionem liberius oppugnes, doloſas obtenderis doctrinas, corruptos Scripturarum, Conciliorum, Patrum adduxeris textus; dubia, doloque obvoluta teſtimonia iniquus objeceris?

III. *Objectio Nicephori Gregorae convellitur.*

Igitur ne Scholaſticus Latinus tecum contendens in pugna miſere ſuccumbat, ſubtilioribus quaeſtionibus jure primum exultus, ſolido ingenio evanidum tuum acumen repellat, oportet. Ergo tui ac conſimilium veritatis hoſtium gratia, Scholaſtice potiſſimum inventa eſt & exculta. Nec ipſi vero ubi veſtra adſerta promovere contenditis, ulli argutiarum ac ſophiſmatum generi parcitis, quo & ipſa defendatis, & oppoſita labefactetis.

Nec meliori inſuper conſilio Dialectices Artis, & Doctrinae, ſeu principiorum uſum inſimulat. Nam nihil ad veritatem inveniendam accomodum magis & opportunum, quam argumentationis ſyllogiſmus ac enthymema: his etenim obſcuriora elucidantur, paralogiſmi diluuntur, invicta demonſtratio obtinetur, res tota conficitur; nec artem aliam pro veritatis criterio repereris aptiorem.

Nonne vel ipſa hominum inter ſe colloquia id ſuapte natura exiguunt, ut, unum ex altero colligentes, argumententur? Nonne paſſim Scripturae ita argumentando colloquuntur? Nonne Servator noſter frequenter argumentis aut illationibus uſus eſt; ut, aliis praetermiſſis, haec proferens, *porro ſi in digito Dei ejicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei*, Luc. 11. 20. & *ſi autem & Satanas in ſe ipſum diviſus eſt, quomodo ſtabit regnum ejus?* Luc. 11. 18.

Immo

(*h*) Libro ſuo Prooemiali c. 28.

Immo cum *Clemento Alexandrino* concludimus, *philoſophandum eſſe vel ſi minime philoſophandum eſt* (*i*); nec enim ipſe Nicephorus, nec alii, quibus in Theologia argumentari diſpliceat, id quidem abſque argumentatione perſuadere valebunt.

Quod vero ſpectat naturalia Dialectices principia, quis jure ambigat, ea ad theologicas quaeſtiones, non modo utiliter, verum etiam neceſſario ſaepeſaepius revocari; immo ex ipſis plurium quoque dogmatum intelligentiam & explanationem pendere? Unde enim deducimus, Divinum Filium eſſe Patri conſubſtantialem, niſi ex eo quod qui ab alio gignitur ejuſdem ſit cum generante ſubſtantiae? Unde novimus binas in Chriſto naturas cum unica perſona, niſi petito argumento a naturae, perſonaeque in creatis notione? Et, ut plura reticeam, cum ex Chriſti placito Sacramentorum materia ſit ut plurimum naturalis, aegre permultas theologicas difficultates ex iſta emergentes reſolveris, ſi ejuſdem materiae naturam, naturaeque proprietates & attributa haud probe percallueris.

Porro veteres Patres in polemicis quaeſtionibus Dialectices artificia reſpuebant. Quid tumvero? Illis abutebantur Gentiles & Novatores, ſubjicientes nempe rationi fidem, & ex principiis naturalibus eam, quae omnem rationem ſuperat, oppugnantes: verum Scholaſtici rationem nonniſi fidei famulantem admittunt & arceſſunt, cum *Juſtino* M. (*k*) *Clemente Alexandrino* (*l*), *Ambroſio* (*m*). *Auguſtino* (*n*), *Cano* (*o*), *Socrate* (*p*).

IV. *Hetherodoxi multiplici ex capite Scholaſticen inſimulant.*

Sed en poſt Orientalem Schiſmaticum Haereticorum Occidentalium Turbam, aculeatis potius unanimi ſenſu ac furore conviciis obarmatam, quam pungentibus telis. Plane ſiquidem (*q*), *connexae ſunt ac fuere ſemper poſt natam Scholam Scholae contemptio & haereſum peſtes*. Sic illa multimodis decertat. Scholaſtice imprimis nihil aliud eſt, quam veritatis ignorantia & inanis fallacia, quam praecavit Apoſtolus Coloſ. 2. 8. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam*; omnia quippe ejus adſerta dubia ſunt, ſub opinione involuta, inutilibus juxta ac ſubtilibus quaeſtiunculis exornata, e quibus nullus ad fidem fructus, nullus ad mores, ad eccleſiaſticam eruditionem nullus.

Ipſa deinde tot technis triciſque diſputationum, quae uonniſi ad petulantem ingeniorum oſtentationem inventae ſunt ac excultae, Evangelium obſcuravit, atque fidem extinxit; quemadmodum ex iis plurimis, in quibus Peripatetico-Scholaſtici Tridentini peccarunt, nimium liquet: quo illud ſpectat Sancyrani judicium de Patribus ac

(*i*) Lib. 6. Stromat.

(*k*) Apologia duplici pro Chriſtiana Religione.

(*l*) In Protreptico, & Paedagogo, & libris Stromat. ſparſim.

(*m*) Tract. de Sacramentis.

(*n*) De civit. Dei libris XXII. ſparſim.

(*o*) De locis Theol. lib. 9. ubi hoc argumentum egregie perſequitur.

(*p*) Lib. 3. hiſt. Eccleſ. c. 16. ubi explicat diligenter ſcientiae naturalis uſum in Theologiae tractatione.

(*q*) Teſte *Cano* de loc. Theol. l. 8. c. 1.

Theologis Tridentinis; quibus nempe probro vertebat, quod ob Patrum, Conciliorum, & Eccleſiaſticae antiquitatis ignorantiam, ſimulque nimiam in ſubtilius ſub peripateticis principiis argutando libertatem, plura fidei dogmata vel extinxerint, vel denſioribus tenebris offuderint [r].

Quin etiam Deſiderius Eraſmus, Vir apprime doctus, eruditus & criticus, plures cum ſibilis recenſuit quaeſtiones ab Scholaſticis ventilatas, non modo ſupervacaneas, ſed propemodum impias [s].

Ex eo inſuper objurganda Scholaſtice & deſpectui habenda, quod perplures verſet pueriles diſputationes, videlicet mere philoſophicas & metaphyſicas; rariſque utatur Conciliorum, Patrum, & literalis Scripturarum ſenſus teſtimoniis, quae dumtaxat apud Theologos obtinere debent.

Praeterea Facultas adeo recens, quae in Lombardiano Seculo nata eſt, commendationem minimam promeretur.

Tandem eo ex capite Scholaſtice repudianda, quod Scripturae & Patres in univerſum improbent ſtudium inquirendi humano judicio plura de rebus fidei, quàm ipſa fides declarat; quod ſane eſt ſtudium Scholaſticorum. Equidem ſi SS. Scripturas evolvas, dicitur Provarb. 25. *Sicut qui multum mel comedit, non eſt ei bonum; ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur a gloria*; & Eccleſ. 3. *Altiora te ne quaeſieris*; ac rurſus, *In pluribus operibus Dei ne fueris curioſus*. Quibus accinunt plerumque Patres; volentes utique nos ſimplici fidei acquieſcere; vetanteſque humano ſenſu de rebus divinis ratiocinari: uti plurium exemplo ſunt *Baſilius* [t], *Epiphanius* (u), *Hieronymus* (x). Sic hoſtes heterodoxi.

V. *Retunduntur ſingula inſimulationis Capita.*

At non ita tamen haec jacula feriunt, ut ſanguinem eliciant. Haec ipſi ut plurimum acceperunt a Luthero, & Melancthone. Ex iis autem Lutherus adeo in Scholaſticen excanduit, quoniam probe norat, nullum eſſe praeter Scholaſticos Doctores, qui ſuis denuo inventis, aut recoctis erroribus obſiſteret; atque adeo ut eos mordicus retineret, ſuum eſſe putavit Scholaſticen exſibilare: Melancthon vero, etſi ceteroqui temperatus, ita debacchandum cenſuit adverſus Scholaſticos Pariſienſes, ut ab eis ſuum Magiſtrum acrius vindicaret; illi enim inter alios Lutheri errores, tres iſtos cenſuris variis perſtrinxerant: I. *Theologia Scholaſtica eſt falſa Scripturae & Sacramentorum interpretatio, & exſulem nobis fecit veram & ſinceram Theologiam*; II. *Quo tempore coepit Theologia Scholaſtica, id eſt illuſoria, eodem evacuata eſt Theologia Crucis, ſuntque omnia plane perverſa*; III. *Libidinem corrumpendae Scripturae jam ferme trecentis annis patitur Eccleſia incomparabili damno ſuo a Doctoribus Scholaſticis*. Ambo tan-

(r) Conf. *Stephan. Dechamps* de haereſi Janſeniana l. 2. Diſp. 1. c. 1. n. 2.

(s) Super cap. 1. Epiſt. 1. ad Timoth.

(t) Concion. de Natal. Chriſti.

(u) Haereſi 76. in confutatione 7. cap. Aëtii.

(x) In cap. 31. Hieremiae, ubi inquit, *de verbis Dei humano ſenſu argumentari ſacrilegium eſſe*.

tandem cum ſuis, ceteriſque infidelibus gregibus ita deblaterant & in Scholaſticen furunt, quia haec ipſis ex laudato Sixtino Oraculo, *maxime eſt formidoloſa*.

Jamvero ſatis calumnioſis objectis faciundum. Et primo quidem laudatus Apoſtolus Dialecticen perſtrinxit, & inanem illam fallaciam, qua Simoniani, Cherintiani & aliae hujuſcemodi peſtes fidelium animos in errorem trahere conabantur; non illam vero, qua Scholae Theologi utuntur, ut fideles adverſus haereticorum ſophiſmata praemuniant.

Deinde Scholaſtice ex ſuorum Conditorum placito, diſputatrix eſt, vel argumentativa, ut cum Angelico loquamur, (y) nec ſua probat principia, quae in fidei articulis ſita ſunt; ſed iis poſitis, alia opinando quaerit, quibus eoſdem articulos elucidet: quare agit ex ſuo munere de veritate inquirenda, minime de jam obtenta. Hinc, adſertis aliquot exceptis, quae ſunt apud omnes communia ſeu certa, pleraque tamen in incerto poſita ſunt, hinc inde probabilibus momentis controverſa; quoniam pro neutra parte adfulget demonſtratio, ſeu indubitata Eccleſiae definitio; ſubindeque adhuc veritas ignoratur, & partis alicujus opinio plane fallit.

Quid tum? Indene fallax dicenda eſt, ac proculcanda Scholaſtice? At eodem tamen jure fallacia dixeris ac deſpicienda quaecumque ſub opinione probabili & Patres omnes, & univerſi Doctores, & ceterae facultates, quae in ſuum ſcopum non tendunt evidenter, & ipſae quoque Heterodoxorum Scholae adſeruerunt. Quae quidem quam abſurda ſint, nemo eſt qui non videat.

Speculationum inſuper, & quidem ſubtiliorum, ſuapte natura fecundiſſima eſt Speculatrix Theologia; quibus nempe, ut non ſemel protulimus, aſſueti Theologi, data occaſione, veritatis hoſtium praeſtigias & ſubdola effugia ſcite convellant: illa itaque ampliſſima ſublimium quaeſtionum copia Scholaſtices excellentiam & ubertatem protendit. At nullus, inquis, ex eis fructus ad fidem, ad mores, ad ſacram eruditionem. Plane falleris; ipſae namque fidem claritate, quae in opinabilibus enitere poteſt, elucidant; pro dirigendis moribus regulas figunt; ſacram eruditionem adlatis ſparſim Conciliorum, Scripturarum, Patrum, Doctorum, eventuum documentis memoria produnt. Ad hunc igitur multiplicem fructum, non igenii oſtentandi gratia, credimus ejuſmodi multis, ſubtilibuſque diſputationibus fuiſſe Scholaſticen locupletandam.

Evangelium, ajunt, Scholaſtice obſcuravit & fidem extinxit. Fateor. Quondam vero Evangelium? Non Chriſti, ſed Lutheri, Calvini, ceterorumque Proteſtantium, qui nempe illud ſuis erroribus temeratum greges ſuos erudiunt, ſeſe propterea Evangelicos inique cognominantes (z). Et quam inſupet fidem? Non plane Catholicam

(y) I. par. q. 1. art. 8.

(z) Ut eis egregie ac facere expro- brat *Becanus* opuſc. de Titulis Calviniſtarum, ſub Titulo *Evangelici*.

cam, radicem dumtaxat bonorum operum, quae ad ſalutem neceſſario conferunt; ſed Proteſtanticam, quae contra omnem Catholicae Eccleſiae, rationiſque ſenſum, ſola abunde ſufficit ad ſalutem.

Hoc impium Evangelium obſcuravit Scholaſtice, hanc ſtultam fidem extinxit per Tapperum, Canum, Catharinum, Vegam, Sotum, Caſtrum, Sonnium, Salmeronem, Turrianum, Sancteſium, alioſque ſtrenuos Fugiles. Hos equidem ipſa, multoſque pares in ſuis Lyceis excoluerat olim & inſtruxerat, ejuſcemodi aliquando haereſes debellaturos, cum ſacroſancto Tridentino, cujus inerrantes definitiones impii peccata vocant, cum noviſſimo *Petro Courayer* (*a*); ſed eas tamen alii Scholaſtici vindicarunt, cum Cardinali *Pallavicino* (*b*), *Stanislao Hoſio* (*c*), *Jodoco Raveſtein Tiletano* (*d*), *Gaſpare Villalpando* (*e*), *Petro Fontidonio*, (*f*) *Joanne Cochlaeo* (*g*), *Jodoco Clichtoveo* (*h*), *Alberto Pighio* (*i*), *Thoma Stapletonio* (*k*), *Stephano Dechamps* (*l*), *Auguſtino Redingio* (*m*), *Natali Alexandro* (*n*).

Acerbam Abbatis Sancyrani invectivam quod ſpectat, venerandi Patres Tridentini ſua duntaxat vindice authoritate ſat ſuperque reſpondent, eamque confodiunt. Quis autem niſi de fide ſuſpectus, aut ab ipſa deficiens, qualis fortaſſe Sancyranus pluribus evincitur [*o*], in univerſam Chriſti Eccleſiam in Tridentinis Patribus, non modo juridice, ſed etiam eximie repraeſentatam, adeo imprudenter debaccharetur? Quis inter catholicos, niſi ſtultus & inſanus, illis ſapientiſſimis Praeſulibus, ſociiſque Theologis adfixerit ignorantiam perpetuae ac antiquiſſimae Traditionis Eccleſiae; cujus equidem penitiſſima cognitio ipſis perneceſſaria erat ad tot de fide, de moribus, de diſciplina, de ritibus Eccleſiaſticis dogmata, praeceptaque conſtituenda? Eſto fuerint & ipſi Scholaſtici; univerſi, Theologi, ſi placet, e Schola prodierint; at hinc tamen in eorum perplurimis ſubtilius eminebat profunda eruditio, qua praeſtabant, & univerſalis Polemica, qua praepollebant.

Porro acriter & ſubtiliter ſaepenumero a Concilii Theologis, nec raro in generalibus conſeſſibus ab eiſdem Patribus diſceptatum eſt, priuſquam ad definitiones etiam ſacratiores deveniretur: at quis jure vitio verterit eas concertationes, quibus & ſeveriſſimo examini, & critice ſubtiliſſimae definienda dogmata ſubjicerentur? Nec ſane

(*a*) In notis ad Tridentini hiſtoriam Petri Soavis.
(*b*) Hiſtor. Tridentini.
(*c*) Lib. 2. contra Brentii prolegomena.
(*d*) In defenſione Concil. Tridentini.
(*e*) Diſputationibus IX. pro Tridentino.
(*f*) Comment. pro C. Trident. contra Fabricium.
(*g*) L. de Conciliis
(*h*) In Concil. Senonen.
(*i*) L. 6. Hier. Eccleſ. 61.
(*k*) Tom. 1. l. 7. c. 8.
(*l*) De haereſi Janſeniana l. 2. Diſp. 1. c. 1.
(*m*) In Vindiciis pro Tridentino tomis V. fol.
(*n*) Tom. 9. Hiſt. ad Seculum XVI. Diſ. 12.
(*o*) Apud *Author.* Conſilii Burgofonte iniri veritatis demonſtratae parte 2. tot. & appendice ad partem 4.

ſane quiſpiam cordate dixerit, ſubtiles cogitationes, quibus mens & plura videt & perſpicacius, ex conſilio Patrum, quos Divinus Spiritus dirigebat, vel ne minimum dogma extinxiſſe, vel obſcuraſſe.

Do equidem, ſcientiſſimos illos Patres Peripateticiſmo imbutos, ſecundum Ariſtotelea principia, quibus ſua Scholaſtice nitebatur, ſacra dogmata definiiſſe, vel ut caſtigatius loquar, propoſuiſſe. Quid inde tamen? Fuerintne propterea illae explanationes & propoſitiones minus veraces, minus catholicae? Extinxerint, aut obſcurarint divina dogmata, utpote redolentes principia Ariſto elea, quae nemo hucuſque ex ſubtilioribus Adverſariis falſitatis convicit? Sed apage quicumque de dogmatis ab Oecumenica Synodo poſt diligentiſſimum examen propoſitis, & ab univerſa Eccleſia receptis, ita ſiniſtre ſenſeris & obloquaris.

Quid tamen eſt, repones, quod Synodi Patres injunxerint Theologis, ut in ſuis privatis confeſſibus abſtinerent a ſuperfluis & inutilibus quaeſtionibus, & a protervis contentionibus, teſte magno Scholaſtico *Pallavicino* (*p*)? At hoc eis ſemel injunctum eſt, una cum brevitate, pro confeſſu, quo exagitandae erant x. dogmaticae haereticorum theſes ſuper Ss. Euchariſtiam: tunc enim ſupervacaneum erat ac inutile quidquid praeter Scripturam & Traditionem in medium adferretur.

Sed jam ad reliqua objecta ſophiſmata revincenda progrediamur. Et quidem quaſtiones, quas ſupervacaneas adpellavit Eraſmus, alii dicunt ſuperabundantes, in ampliſſima tamen Scholaſtices ſphaera comprehenſas; tumque utiles pro acuendis ſaltem ingeniis ad ulteriora ſubtilia in obſequium fidei aliquando penetranda & diſſolvenda. Eas abunde vindicavit *Petavius* (*q*). Quas vero adinvenit impias, oculatiſſimi Tridentini Patres non videre: quippe qui dum de dogmaticis agerent, haud ſemel proteſtati ſunt, nolle adſertum quodpiam ex iis, quae in Scholis tunc temporis vulgo tenebantur, vel nequidem leviter perſtringere (*r*). Ergo ne Deſiderius, Tridentini Scholaſticis piae mentis acie perſpicatior?

Inſuper tametſi philoſophica principia multo ſunt Scholaſtice adjumento; qui tamen ab ipſa quaeſtiones pueriles, ac mere philoſophicas adſerit relegandas, verum dicit: quod ſi ejuſmodi in Scholaſticis commentariis quandoque reperiantur, non Scholaſticae, ſed Pſeudo-Scholaſticorum inordinate agentium vitio tribuendae. Porro Angelicus in Summa quaeſtiones philoſophicas ſaepe verſat, quia enim ſicut ibi non Scholaſticum modo ſed etiam Polemicum & Moralem agit, ita & Philoſophum; at ubi jam mera Scholaſtice traditur ſeorſim ab aliis Theologiis, ceteriſque facultatibus, ipſam ejuſmodi impertinentibus quaeſtionibus infarciri piaculum eſto.

Quoad

(*p*) Hiſt. Trident. l. 12. c. 1. num. 3.
(*q*) De dogmat Theol. tom. 1. in Prolegomenis.
(*r*) Hiſtor. Trident. ap. *Pallavic.*

Quoad adlegationes vero ſacri Codicis, Conciliorum, Patrum; ſuum inter Scholaſticos diſcrimen eſt; illis alii ſaepius utuntur, rarius alii: attamen [exceptis illis nullius fere nominis Theologaſtris, quibus & nos cum *Cano*, *Mabillonio*, ceteriſque bene ſapientibus exprobramus] nullus oſtendi poteſt, qui data opportunitate perſaepe non utatur, ut cuiquam ſingulos evolventi innoteſcet.

Praeterea Facultatem noſtram tanquam novam & recentem Melanchthon objurgavit. Enim vero ſi quaecumque nova & recens doctrinae methodus proculcanda, cum omnis omnino methodus nova & recentiſſima aliquando fuerit, nulla non deſpectui habenda. Nec inſuper ſacrae noſtrae Facultatis methodus penitus nova dicenda eſt; nam licet a Lombardo in formam quamdam perfectiorem, quam & poſteri ulterius perfecerunt, redacta fuerit, ipſa tamen magna ex parte Veteres Patres, ut fidem adſererent, uſi ſunt. Ipſi etenim quaeſtiones quandoque proponebant & explicabant, ut Auguſtinus, Baſilius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Theodoretus: compendiis interdum utebantur, ut Cyprianus, Epiphanius, Maximus: contra falſas Philoſophorum opiniones ex principiis etiam verae Philoſophiae differebant, ut Juſtinus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Athanaſius, Lactantius, Auguſtinus: praenotabant, definiebant, dividebant, argumentabantur, objecta ſolvebant, ut paſſim omnes. Inepte igitur ſugillatur methodus, quae perantiquum illum & venerandum uſum recepit, perfecitque.

Demum nec Scripturarum, nec Patrum adlegata teſtimonia improbant ſtudium, quo Scholaſtici, mente prorſus confirmata in fide, & eo conſilio, ut fidem cùm opus fuerit defendant, plurima de ſacris fidei arcanis inquirunt; ſed illud dumtaxat dubium, quod ſuſcipitur ex dubitatione quadam & animo examinandi ratiocinio naturali, num res fidei ita ſe habeant necne, atque adeo rationem humanam eidem fidei praeferendi. Id quod nitide deducitur ex ratione, quam perhibent laudatae Scripturae, cur indicata curioſitas vitanda eſt; *Non eſt enim*, fertur immediate Eccli. 3. 33., *tibi neceſſarium ea quae abſcondita ſunt videre oculis tuis*: & rurſus ℣. 26., *Multos quoque ſupplantavit ſuſpicio illorum* [hoc eſt dubitatio] & *in vanitate detinuit ſenſus illorum* (*s*).

Nec aliud quidem intendere laudatos Patres, ut ſibi conſtent, exinde colligimus, quod & ipſi more plurium, multa paſſim ſubtiliter de fide contra legis adverſarios diſputent. Quid vero? Adlegatus Baſilius eos perſtringit, qui Dominicae Incarnationis Myſterium aut minime, aut male credebant. Epiphanius exagitat Aëtium, qui aeternam Divini Filii generationem humanis argumentis evertere nitebatur. Hieronymus, qui alias in divinarum rerum explicatione ſcientiarum naturalium uſum commendarat [*t*], ubi producitur

(*s*) Videſis ſacros Interpretes in eum locum, praeſertim *Cornel. Alapide*, & *Auguſtin. Calmet.*

(*t*) Epiſt. ad Magnum,

ducitur designat, in sacri Codicis locis non esse curiose ac supervacanee indagandos divini eloquii sensus, qui ab ejusdem Interpretibus varie exprimi potuerint. Et hunc nos animum sapientissimi Doctoris colligimus ex iis, quae ipe ibidem disputat de illa Scripturae Editione, quae ante ipsum Hieronymum *Vulgata* dicebatur. Et haec satis de congressu cum Fidei hostibus.

VI. *Nostrae aetatis Aristarchi, morosique Critici pluribus ductis momentis Scholasticen objurgant; & quoad singula explodduntur.*

Postremo tetrici Aristarchi, morosique nostrae aetatis Critici, ex dominante Seculi ingenio, non modo Scholasticen flocci faciunt, sed etiam omnino despiciendam fore & exsibilandam perplurimis hinc inde petitis, ingeminatis, detortis argumentis contendunt. Et ipsis quidem Duces permulti, ceteroqui clari nominis Viri, praeivere, inter quos, ut alios praeteream, ii potissimum recensentur.

SCHOLASTICES ADVERSARII.

VII. *Momentum I. petitum ab authoritate plurium, qui Sacram Facultatem despectui habuere.*

Gualterus, Parisiensis San-Victorini Coenobii Prior, (In libro Ms. adversus IV. Franciae Labyrinthos, alias laudato.)

Matthaeus Paris, Ord. Bened. clarus Historiographus (Ap. *Trithemium* lutheranum de DD. Schol. c. 17.)

Nicolaus Clemangius, Baiocensis Ecclesiae Cantor, non Archidiaconus, ut contra Trithemium notavit Joan. Albertus Fabricius in bibliotheca Latina medii aevi, in Clemangio, [in lib. de studio Theologico ad Joan. de Pedemontio, quem primus edidit *Dacherius* in Spicil. tom. 7. a p. m. 149.] fatis functo circ. 1440.

Paullus Langius (in Chronico Citizensi.)

Joannes Aventinus (In Annalibus Baioariae lib. 1.)

Ludovicus Vives, de quo alias. (De caussis corrupt. Artium l. 5. & in libros XXII. S. Augustini de Civ. Dei, centies.)

Cardinalis Norisius (in Vindiciis Augustinianis, sparsim.)

Anonymus Author methodi studiorum (cap. 7.)

Martinus Dorp, Lovanienſis Theologus (Orat. in Praelect. Epist. S. Pauli.)

Joannes Opstraet, Belga (in Theologo Christiano p. 2. §. 4. alias.)

Anonymus Author (in lib. de Hussii doctrina & rebus gestis, c. 4.)

Joannes Trithemius, Ordinis Benedictini magnum decus. (De Script. Eccles.)

Joannes Saresberiensis (in Metalog. l. 1. c. 3.)

Caesar Egassius Bulaeus, Parisiensis Academiae Eloquentiae Professor & Rector, (in Hist. Univ. Paris. tom. 1. p. m. 348. & 511. [*])

ADNOTATIO.

(*) Laudati *Saresberiensis* & *Bulaeus* scommota sua in Scholam praelombardianam, seu ante Lombardum enatam referunt: quo videlicet tempore effervebant Berengarianorum, Nominalium, Realiumque Disputationes, e quibus illi Scholastices initium repetendum esse duxerunt.

Antonius Godeau, Epiſcopus Gallus [in Praefat. voluminis 1. Hiſt. Eccleſ.]

Ludovicus Le Gendre [in Tract. de moribus & conſuet. Gallorum.]

Conſtantinus Grimaldus, Neapolitanus [in Apolog. contra Defenſionem Scholaſtices, vulgatam a *Joan. Bapt. de Benedictis* ſub larva *Benedicti Aletini*.]

Oliverius Legipontius, Germanus, Ord. Bened. (in Hiſtor. de re literaria Ordinis Benedictini, edita 1754. tom. 1. c. 1. p. m. 65., & alias.)

Juſtinus Febronius J. C. larvatus Author, (in lib. de Statu Eccleſiae & legitima poteſtate Romanis Pontificis, Cap. 1. num. 5.)

Bernardinus Veſtrinus, Scholarum Piarum Sodalis (in Literis dogmaticis l. 1. in Praefat.)

His vero alii accenſentur a laudato Grimaldo; & ipſi quidem ex parte antiquiores & graviores. Videlicet

B. Simon de Caſſia, doctiſſimus Auguſtinenſis, vita functus A. C. 1348. [in lib. de Vitiis Cap. 23.]

Ambroſius Quiſtellus, etiam Auguſtinienſis, perinſignis Eccleſiaſtes Patavinus, denatus 1549. (in Tract. adverſus Philoſophos.)

Cornelius Muſſus, Bituntinus Antiſtes, claruſque Tridentinae Synodi Pater, fato functus 1574. [in Tract. de Eccleſia Catholica.]

Cardinalis Perronius, qui clarebat ineunte Chriſtiano Seculo XVII. [in libello praenotato *Perroniana*.]

Gregorius P. IX. ac *Joannes* vulgo XXII. qui nempe datis ad Pariſienſes Academicos literis ſacrae Facultatis Scholaſticos graviter perſtrinxere, quod ſupervacaneis ſubtilitatibus ac philoſophicis quaeſtionibus ſacram Theologiam adulterarent. [*u*]

Clemens itidem P. VI. qui Pariſienſes Scholaſticos aliquando probri loco *phantaſticos* adpellavit. [*x*]

Et hoc quidem ejuſmodi factionis primum validumque momentum, utpote tot illuſtrium Virorum authoritate munitum.

Depellitur ut inane.

Sed ex perexigua tamen virtute leve auxilium: quoniam quanta quanta fuerit haec decantata authoritas, porro ab oppoſita, quam ſupra repetivimus ex tanto Heroum numero, qui Scholaſticen praeconiis & vindiciis commendarunt, eliditur penitus ac diſſipatur. Quid? Quod laudati Authores majori ex parte ſacram Scientiam dumtaxat obiter traducunt, aut potius non de ipſa nec de omni Schola male ſentiunt, ſed ut ſummum de nonnullis Pſeudo-Scholaſticis, qui eam ſiniſtro fato excoluerint aut ſint commentati; quorum

(*u*) Gregorius dedit literas an. 1228. Joannes vero 1317. Legi poſſunt ap. *Raynald.* ad citatos annos.

(*x*) De Clemente VI. in Mſ. Hiſtoriae Caroli VI. Regis Galliae, quod in Bibliotheca Thuanea adſervabatur, ita legitur: „ cum vir praepotens ei Nepotem commendaret, quod Theologiae Pariſiis ſtuderet „ *quid*, inquit, *fatuitatis fuit ad hoc amicum dilectum adplicare, cum illi Theologi ſint phantaſtici homines reputandi.*

rum plane conſimiles ceteris quibuſque Facultatibus permultos liceat adjudicare: hoc enim pacto Summorum Pontificum Gregorii ac Joannis correptio, tum Clementis effatum erga ſingulares quoſdam Pariſienſes, nec ſacram Scientiam, nec Scholaſticos ceteros reſpicit, aut offendit: quin immo & idem Joannes de Angelico Doctore dixerat, tot patraſſe miracula, quot in Scholaſtica Summa articulos conſcripſerat; & alii Pontifices cum Honorio III. & Alexandro IV. alias ejuſdem Academiae Scholaſticos profuſis laudibus exornarant.

Quiſtellus inſuper Adverſariis nequicquam favet; laudato enim tractatu in Philoſophos dumtaxat invehitur, qui adſerunt, divinam Scripturam nonniſi ab iis percipi poſſe, qui bonam vitae partem in Ariſtotelis, aliorumque Philoſophorum lectione contriverint. De adducta demum Perronii authoritate vehementer dubitamus; novimus enim ex ejuſdem vitae Authore, perinſignem illum Cardinalem fuiſſe Doctori Angelico addictiſſimum, cujus nempe Summae Lectioni ſuam e Calviniſmo ad Fidem Chriſti converſionem magna ex parte referebat acceptam. Quin etiam *Perronius* idem[y] de Scholaſtice cum honore diſſerit, diſerteque indicat verum & ſacrum finem, ob quem a primaevis Inſtitutoribus condita eſt. Reſtat ergo indubius minimus Doctorum numerus, nec ipſe quidem ſummae authoritatis, qui data opera & malevolo animo Scholaſticen ſugillarit.

VIII. *Momentum II. ductum ab uſu & aſſociatione Philoſophiae Peripateticae cum Scholaſtice, ſimulque a litibus Scholaſticorum.*

Inſurgunt II. Scholaſtica Theologia a Roſcelino, Petro Abailardo, Gilberto Porretano, idque genus aliis inventa, ſimulque Pagani Ariſtotelis principiis & axiomatibus innixa; nec inſtituta videtur, nec exculta indagandae reperiendaeque veritatis gratia, ſed ut Schola dumtaxat quaelibet ſuum Ducem & Syſtema pervicaciter tueatur: quin immo Scholaſtici ad lites modo, jurgia, & contentiones nati videntur; & rarus eſt qui adverſae Scholae momentis etiam qua gravioribus cognitis ſeſe convictum oſtenderit: penitus ergo repudianda.

Evertitur ut elumbe, ſimulque ut unum falſum, at aliud perridiculum ſupponens.

Duo ſupponit Objectio. Primum, quod Scholaſtices Conditores fuerint, non illi, quos a Majoribus noſtris accepimus, ſed Roſcelinus & Abailardus plane haeretici, & Porretanus de haereſi aliquando ſuſpectis. Haec tamen ſuppoſitio, ab *Adamo Tribeccovio* Lutherano Saxo-Gothano deſumpta (z), cachinno potius deridenda, quam argumentis confutanda. Eſto quidem, tradiderint ipſi primi Scholaſtica methodo theologicas quaeſtiones; at falſam, aut dubiam; nec prorſus Catholicam Theologiam tradidere: ac eos propterea Scholaſtici, nec ut Conditores, nec ut cognatos aeſtimarunt.

Neque vero ex eo quod Lombardus noſter Introductionem Theologiae a Petro Abailardo concinnatam frequenter prae manibus ha-

(y) In Comment. de Ss. Euchariſtia l. 3. cap. 2.

(z) Ex additionibus ad Tridentini hiſtoriam Petri Soavis.

buerit, ut Author eſt Joannes Cornubienſis, Lombardi diſcipulus & Magiſtro vehementer infenſus, (a) deduci legitime poteſt, quod ab eo ſuam Lombardus Theologicam epitomen fuerit mutuatus; quamobrem Scholaſtices Parens ac prima origo Abailardus ſuſpici jure debeat. Ut quid enim damnatae memoriae Authoris paginas aſſiduus evolveret Lombardus, niſi ut ejus errores aſſiduus fugeret aut confutaret? Tum etiam Abailardi Introductio, Lombardique Summa quoad methodum, ſtilum, rerumque delectum & copiam toto Coelo differunt. Immerito igitur definieris Lombardum Scholaſticen ab Abailardo derivaſſe [b].

Quin etiam potiori jure deſpiciendi ſunt qui, adducti, nec rejecti ab *Oliverio Legipontio* [c], Petro Abailardo Lombardianam Summam ceu Authori legitimo, adjudicarunt: etenim, aliis praetermiſis, ipſo teſtante Abailardo in ſuae fidei confeſſione, *nunquam liber aliquis, qui Sententiarum dicatur, a me ſcriptus reperietur*: ac inde quidem Andreas Quaercetanus D. Bernardum carpit, quod in Epiſtola 189. Abailardo ſententiarum librum adtribuerit (d).

Alterum vero eſt, quod uſus Ariſtoteleae Philoſophiae, utpote ab Authore Pagano acceptae, ſit Scholaſtice probroſus. Ubi duo implicite carpunt; uſum nempe rationis, aut naturalis ſcientiae, ac uſum ſcientiae ſpeciatim, quae ab Authore Pagano deſumpta eſt. At in primis non omnis modo Scholaſtice ipſa utitur Philoſophia, ex ſuperius adſertis (e). Stulte deinceps Scholaſtice probro vertitur, quod ab Ethnico naturalis rationis principia deprompſerit; nam & Auguſtinus aliique Patres ſecta Platonici, ſacram doctrinam ſecundum naturalia Platonis dictamina expoſuerunt; & Angelicus Thomas una cum aliis Doctoribus univerſam pene de moralibus virtutibus & vitiis materiem ex Ariſtotele, Epicuro, Varrone, Tullio, Seneca, aliiſque ethnicis Authoribus exſcripſere. Sed unde tamen in Scholaſticen qua Peripateticis inſiſtentem dogmatis tantus livor? Nonnemo putavit, eum ab Haereticis Parentibus ortum ducere, quod humanae libertatis dogma ſecundum Peripateticam doctrinam fuerit a Tridentino conſtitutum: id autem Criticos vere Catholicos non contingit.

Neque praeterea Philoſophiae uſus in Scholaſtice poteſt merito redargui; quippe qui ad tres potiſſimum fines [praeter alias indicatos] utiliſſimus eſt, I. videlicet ad infidelium ſectarum errores evincendos: II. ad enodanda ſophiſmata, & paralogiſmos, qui fidei chriſtianae tanquam impoſſibilia Myſteria credenti objectantur, ut diſerte tradit *Mabillonius* (f): III. ad plura ſolide comparanda, quae nem-

(a) In Eulogio ad Alexandrum Papam ap. *Andraeam Quercetanum* in notis ad Hiſtoriam Calamitatum Petri Abailardi.

(b) Plura de ſimili argumento *Oudin.* in Comment. de Scrip. Eccl. ad ſec. XII. Diſſert. de Petro Lombardo c. 2.

(c) In Hiſt. de re literalia Ord. S. Bened. par. 4. c. 1. ſec. 3. in Petro Abailardo.

(d) In Notis proxime laudatis, p. m. 1160.

(e) Cap. I.

(f) Tract. de ſtud. monaſt. par. 1. cap. 9. ſub init.

nempe ſaepenumero ex compactis fidei, naturaeque veritatibus velut ex praemiſſis deductae concluſiones adquiruntur. His autem & aequiſſimis aliis de cauſſis optimo conſilio Doctores Scholaſticen eum Philoſophia connexam aſſiduo tradiderunt. Haec de ſuppoſitis.

Objectio tamen uno verbo evaneſcit. Quia ſcilicet hoc vitium, ſi quod eſt, non Scholaſtices, ſed morum eſt: nec illud potius in Scholaſticis carpendum, quam in Philologis, Hiſtoricis, Chronologicis, Medicis, Criticis, ceteriſque Facultatum profeſſoribus; qui nempe ſinguli ubicumque gravis utrinque affulget quaeſtio, aſſiduis invicem jurgiis digladiantur. Circa mere probabilia ſuum cuique jus eſt partem quamlibet prout libuerit tueri. Porro ejuſmodi quaeſtiones in Scholaſtice, quemadmodum in reliquis Facultatibus, in veritatis inveſtigandae ac reperiundae obſequium inſtitutae creduntur: atvero cum ibi veritas in obſcuro profundiſſime lateat; cumque aliunde tot, tamque diverſa ſint hominum ingenia, mirum non eſt, quod tam ſaepe, tamque oppoſitis animorum ſententiis pro ſuis adſertis Syſtematibus ardenter congrediantur. Scholaſticis amabo parcite, qui vitium haud diſſimile ceteris Facultatum profeſſoribus benigne condonatis.

Quid? Quod ex iis tenacioribus Scholaſticorum pugnis fructum ſuum ſperare potueris: illi enim pro mere plerumque probabilibus in Scholaſtico pulvere patienter adſueti, pro fidei dogmate, data occaſione, tenacius adverſus haereticum uſque ad triumphum concertabunt. Nec putes paradoxon me loqui; id enim feliciter praeſtitit, ut alios praeteream, egregius ille Theologus, qui Scholaſticen Pariſiis nova digeſtam methodo, prout ratio temporis expetebat, ſummo plauſu tradiderat, *Joannes Maldonatus*. Hic nempe Sedani cum Sectariis Calvinianis congreſſus, Capellum, Holinum, Loqueum, cum viginti aliis eorum Miniſtris, conſtanter palaeſtram ſuſtinens, ſuis argumentis proſtravit; & duos alios Launeum & Henricum Peñeterium ad Catholicam Fidem reduxit [g].

IX. *Momentum III. deſumptum ab intemperanti rationis uſu in Scholae quaeſtionibus nimium ſubtilibus & ſpinoſis.*

Inſurgunt III. Intemperans rationis naturalis uſus in quaeſtionibus nimium abſtractis, ſpinoſis, & abſtruſis vergit in abuſum & deſpectum ſacrae doctrinae, quae non niſi ſacri Codicis, Conciliorum & Patrum teſtimoniis debet elucidari. Ut quid autem terendum tempus in diſputationibus, quae ex aranearum fibriculis totae pendent; e. g. num Deo inſit Scientia Media directa de extremis diſparatis vel inconnexis, ac etiam Scientia Media reflexa; num Verbum divinum irrationalem naturam adſumere potuerit; num Gratia Juſtificans influat phyſice in actum pro inſtanti determinato praeceptum; & id genus innumera, e quibus haud fructus alius, quam ſtulta capitis pro re leviſſima, ſeu nulla defatigatio: quo plane ingenia maxime laſſantur, & ad graviora poſtmodum gerenda, tum

(g) Ap. *Alegambe & Sotuel.* Biblioth. Scriptor. Societatis Jeſu in Joan. Maldonato, ex *Genebrardo*.

tum ad utiliorum difficultatum diſcuſſionem, nauſea & pigritia correpta penitus impediuntur.

Porro Patrum Regula ex *Gregorio Nazianzeno* (*h*), *Hilario* (*i*), *Cyrillo Alexandrino* (*k*), *Auguſtino* (*l*), *Gregorio Magno* (*m*) deſumpta, haec eſt; ut in Theologicis diſputationibus modus ubique teneatur, ac vitetur penitus nimis enucleata & anxia inveſtigatio; praeſertim ajente Apoſtolo Rom. 12. *Non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere adſobrietatem*. Quid? Quod illiuſmodi inanibus ſubtilitatibus non clareſcit veritas, immo potius obſcuratur, ex *Cano* (*n*).

Refellitur exemplo Patrum, praeſertim Auguſtini: exponiturque modus, qui in ejuſmodi diſputationibus tenendus eſt.

Et vero ſingulorum objectionis capitum confutationi exemplo ſuo praeeat Auguſtinus. Hic enim, teſte *Claudiano Mamerto*, aliis *Mamerco*, Eccleſiae Viennenſis in Gallia Presbytero, qui clarebat an. Chr. 460. (*o*), ob ſubtiliſſimum ingenii acumen, quo diſputabat, ab ipſis aevi ſui Epicureis *Spiritualis Sophiſta* adpellabatur, Chryſippo argumentandi virtute, ac Zenoni ſenſuum ſubtilitate comparatus: quocirca Acatholici ejus adverſarii ipſum velut hominem dialecticum merito fugiendum potius & cavendum, quam refellendum revincendumque cenſebant; ut & idem Auguſtinus fatetur (*p*). Laude igitur & imitatione digna eſt ingenioſa in diſputando ſubtilitas; qua nempe & divina Myſteria clarius, praeclariuſque exponantur, & ipſorum hoſtes convicti penitus obmuteſcant.

Fateor equidem, perplures Scholaſticas quaeſtiones abſtruſas eſſe, captuque perdifficiles: quidni tamen, cum circa Myſteria adeo magna, & difficilia, uti ſunt Dei Trinitas, Libertas, & id genus alia, verſentur? At illas tamen tenetur Theologus, non modo fide credere, ſed etiam naturalis rationis ſubſidio, quoad liceat, explanare; ut ſpeciatim de Trinitatis Myſterio Conſentium inſtruens adſerebat *Auguſtinus* (*q*), ſubjungens appoſite, eam de Myſteriis fidei intelligentiam quemlibet debere adquirere, ut *pro captu ſuo ad cognitionis plenitudinem, perfectionemque* pervenire contendat. Hoc autem pacto Joan. 8. 39. Scripturas perſcrutari praecipimur, ſcilicet *perſcrutatione ſtudioſa*, ut expoſuit *Bonaventura* [*r*], ſeu ex animo ſacram veritatem quantum fas ſit, intelligendi.

Licet itaque, decet, ac praeſtat, humili, modeſtoque ingenio divina arcana, ſecundum datam cuicumque facultatem, ſubtiliter inveſtigare, ac momentis quidem non modo ab authoritate, ſed etiam a naturali ratiocinio petitis. Tunc autem rationis uſus erit intemperans, cùm quis ultra metas propriae mentis aciei praefixas ad arcana ſuperna convolare nitatur: qua de cauſſa crediderim, *Antonium Perez*, S. J., qui Theologus *mirabilis* proxime elapſo Seculo

(*h*) Orat. 34.
(*i*) L. 10. de Trinit.
(*k*) In Proſphonetico ad Theodoſ. Imperat.
(*l*) De Civit. l. 12. c. 15.
(*m*) 14. Moral. c. 12.
(*n*) De Loc. Theol. l. 9. c. 1.
(*o*) Lib. 2. de ſtatu animae cap. 9.
(*p*) Lib. 1. contra Creſconium Grammaticum.
(*q*) Epiſt. 122. ad Conſentium.
(*r*) In 1. ſent. q. 2. ſuper Prooem.

lo audiit, ſua egregia opera Scholaſtica ſolis Magiſtris ac mentis acie praepollentibus propoſuiſſe.

Non ita ex aranearum fibriculis pendent probri loco objectae diſputationes, ac perplures aliae, quas Schola exagitat: ſuis unaquaeque innititur fundamentis, quibus rite perpenſis, in altera tandem contradictionis parte tanquam probabiliori plerumque mens conquieſcit. Nonne ſimilium quaeſtionum veritas, nobis occulta, Deoque nota, ſuperna eſt, & a Beatis in Verbo cognita? Digniſſima ergo erit, quam in via Theologus, quantum liceat, capere intendat. Hinc Critico-Scholaſticus *Petavius* de ſimilibus cum priſcis Patribus plura differit: e. g. de divinorum Attributorum diſtinctione (*s*), num genere ac differentia conſtet Deus (*t*), num potuerit a Deo fieri, ut quod factum eſt infectum fuerit (*u*), & id genus alia ſparſim.

Neque vero hoc ſubtiliorum ſpeculationum exercitio adeo defatigantur & nauſeant ingenia, ut nequeant ad ſeveriora negotia lubenter ac expedite ulterius progredi; immo potius ad cetera citius expedienda comparantur; ingenium namque *vires adquirit eundo*; quod quidem millenis datis exemplis demonſtrari poſſet.

Quod ſi objectionis argutias audiamus, quis eas non rideat? Plane permultis de objecto mere phyſico quaeſtionibus inſudant & cruciantur ingenia; e. g. de Continuo, de Infinito, de vi magnetica, de fluxu refluxuque maris, de lucis & coloris natura: quis autem ex iis pugnaciſſimis juxta ac ſubtiliſſimis contentionibus fructus, ubi adeo obſcura veritas deliteſcit? Et tamen ipſae placent, cum plauſu recipiuntur: ac quaeſtiones deinde Scholaſticae, ſuperno ſcopo gaudentes, quia ſubtiliter procedunt, exſibilantur. Fac ſaltem, gaudeat unaquaeque jure ſuo Facultas; & da Scholaſtico, quod ex munere ſuo quadam veluti anatomica ſpecnlatione, naturae rerum Opificem, fide duce, ſub opinione rimetur.

At in Theologicis maxime diſputationibus, ex laudata Patrum regula, modus ſervandus, nimia ingeniorum ſubtilitas temperanda, nimis enucleata & anxia inveſtigatio cohibenda, nec ſapere pluſquam oportet ſapere: tum quia divina humiliter, reverenterque pertractanda; tum quia ſi inter quaeſtiones theologicas error incidat, intolerabilis eſt: quae tamen circa mere phyſica & naturalia non recurrunt. Ita reponant Adverſarii.

Facile tamen ſuum acumen retundimus. Modus ille plane ſervandus, nimietas illa interdicenda. At quaenam, precor, hujuſce nimietatis natura, qua pluſquam oportet ſapere ſubtiliſſimus Scholaſticus ſapiat? Nonne Patres ipſi, ex quibus lata regula a *Petavio* deſumpta eſt (*x*), ſubtiliſſima de divinis loquuntur, ac etiam ſubtiliſ-

(*s*) De Theologicis dogmatibus l. 1. a c. 8. aduſque 11.
(*t*) Lib. 2. c. 5.
(*u*) Lib. 5. c. 7.
(*x*) In laudatis Prolegomenis cap. 6.

tiliſſime; ubi praeſertim profundiora arcana elucidare plurimis aggrediuntur, ac perdifficiles textus biblicos quoad ſpeciem pugnantes exponunt, atque conciliant? Nonne Auguſtinus prae ceteris nunquam ſeſe ingenioſiſſimum non demonſtrat? Nonne idem Petavius ea in ſuis Dogmatibus profunda fulget ſubtilitate, quae noſtram in ſe rapit adminiſtrationem? Et inſuper nonne divina attributa, immo quodvis ſupernaturale creatum fundamento ſunt magnis ingeniis ad ſublimiores & praeſtantiſſimas quaſque ſpeculationes? Quaenam ergo temperanda ſpeculationum ſubtilitas?

Dicam paucis, prout affectus ſum ac ſentio. Illa quae temere & abſque fundamento quidquam adſerere nititur: quae cum nequeat ferme repere, volare contendit: quae metas ingenio ſuo a naturae Authore praefixas aggreditur tranſilire. Ejuſmodi ſubtilitas parvis ingeniis plane congenita, ut evanida, inutilis, temeraria cohibenda; non illa vero, qua magna ingenia ad ſublimiores cogitationes idonea effulgent; immo quod iſta clarius, ſubtiliuſque capiunt, minoribus ingeniis ob mentis imbecillitatem lux non eſt, ſed caligo, ad mentem ſubtiliſſimi Cani; ipſis enim minus ſapere oportuit.

Neque tandem in ſubmiſſionem & debitam reverentiam peccat, qui de divinis, ſuperniſve creatis magnificentiſſime ſentit, aut ſubtilius diſputat ax animo inveſtigandi, ſuſpiciendique veritatem aeternam. Quod ſi in ſubtiliore diſputatione, inicio invincibiliter diſputante, error inciderit, cum hic haud quaquam circa fidem aut mores verſetur, non ille minus erit tolerabilis, quam qui in mere phyſicis concertationibus ſaepe occurrit.

Id quod egregie dudum definierat *S.* ille *Ephraemus*, Gente Syrus, Orientis primum Comes renuntiatus, deinde Theopolitanus Patriarcha, in libro altero ex iis, quos legit *Photius*, cenſuitque (*z*): ibi enim agens de quaeſtione tum controverſa, an Joannes Evangeliſta una cum Henoch & Elia adhuc in corpore ſuperſtes extet, ſic ad rem noſtram pulchre differit: „ illud vero patet, praeſentem „ quaeſtionem, quamvis a veritate abhorret [*melius* aberret] non „ adferre animae periculum. Fidei enim inveſtigatio, veritatem „ tranſiliens, magnum animae naufragium creat; ideo quoque vel „ brevis ſyllaba, quae ad veritatem conferat, defendenda eſt. Quae„ ſtio vero problematum contra pietatem (*rectius* erga), pulchrum „ quiddam eſt, ſi ad veritatis finem perveniat; ſi vero ab ea aber„ ret, non pulchrum quidem, tamen perniciem animae non adfert.„ Haec perſcite Ephraemus (*y*).

Abeant

(*y*) Ap. ipſum *Photium* Codice, ſeu Capite 228. p. m. 799.

ADNOTATIO.

(*) PRro *Petavius* in Proleg. c. 6. n. 3. paullo aliter de Ephraemo loquitur, & hunc textum Photianum latine recitat: nos vero eum damus ex Photio, prout a *Davide Hoeſchelio* graece editus, notiſque illuſtratus eſt, tum ab *Andrea Schotto* latine redditus, & Scholiis auctus.

Abeant ergo ingenio rudes ac hebetes, minuſque diſciplinis theologicis inſtructi; perſpicaces vero e Schola Magiſtri audeant animoſe abſcondita Dei arcana, quantum licuerit, authoritate ac ſolida ratione ducibus, reverenti modeſtoque animo penetrare; ipſis enim ingenioſa ſubtiliorum Patrum veſtigia prementibus, hoc ſapere ad ſobrietatem tanquam ſingulare donum datum eſt.

X. *Momentum IV. Relatū a Grammaticis & Rhetoribus ex ſtili inelegantia & barbarie in Scholae velitationibus; quin etiam in Summa D. Thomae.*

Inſurgunt IV. cum Grammaticis ac Rhetoribus ex *Deſiderio Eraſmo*, Canonico Regulari Auguſtinenſi, vita functo Baſileae an. Chr. 1536. & vetuſtiore *Laurentio Valla*, Canonico Romano Lateranenſi, qui ob. circiter 1459; viris utriſque dubiae Fidei & Religionis, necnon apud nonnullos Atheis Clancullariis. Sermo, ſtilus, modus, quibus Scholaſtice ſacram doctrinam explicat, ſunt prorſus inelegantes, inornati, inconcinni, ruſtici, aridiſſimi, barbariſmis & ſoloeciſmis paſſim ſcatentes; nati potius ad faſtidium loquentibus & audientibus creandum, quam ullum oblectamentum: quid enim voluptatis capias, dum in Schola perpetim audis, *Probatur*, *Confirmatur*, *Objicies*, *Nego*, *Diſtinguo*; tum illas inconditas voces, *aſeitas*, *eſſentia*, *ens*, *in eſſendo*, *volitus*, *ut quod*, & ſimilia? Et ea quidem accepit Schola a ſui Principis Doctoris Angelici Summa, quae, licet ceteroquin ſat nitida, quoad haec tamen minime commendanda.

Equidem priſci Patres, quos Thomas ſectari profitetur, ut Clemens uterque, Cyprianus, Tertullianus, Auguſtinus, aliique communius de divinis Theologiae rebus ſermone compto, eleganti, ornato, perpolitoque loquuntur. Quin & ex ipſis nonnulli in theologicis tractatibus elegantiam, ornatum, eruditionem ambiunt & commendant. Sic *Cyrillus* Alexandrinus Epiſc. (*z*); ſic *Clemens* Presbyter Alexandrinus (*a*); ſic *Origenes* (*b*); ſic *Hieronymus* (*c*); ſic *Auguſtinus* (*d*); ſic *L. Coelius Lactantius Firmianus* (*e*). Annon fas erit, facile, decens, pulchrum, jucundumque ſacram doctrinam ſtilo fluente, concinno, eleganti, erudito etiam ſub diſſertationibus explanare? At eam ita magno fructu, plauſuque explanarunt, praeter alios, Canarienſis Antiſtes *Canus* [*f*], profundiſſimus *Petavius* (*g*), eruditus *Calmetus* ab Illuſtriſ. & Clariſ. *Manſio* latine redditus (*h*). Suus igitur ſtilus, cum tot inconditis, barbariſque vocibus Schola penitus amandetur.

Enervatur ut tenue, ac fallax: faventque Patres. Commendatur ſtilus

Porro nimis incondite ſcioli iſti obgarriunt. Verum, ut lepidis Auguſtini verbis utar, *non timeamus ferulas Grammaticorum, dum tamen ad veritatem ſolidam & certiorem perveniamus* (*i*). Imprimis ejuſmodi ſtilus, quem ab Alenſi, Thoma, aliiſque primoribus

(*z*) Lib. 6. in Joannem.
(*a*) L. 6. Strom.
(*b*) Homil. 2. in Exodum.
(*c*) Epiſt. 34. ad Magnum.
(*d*) De Doctrina Chriſt. l. 4. c. 11.
(*e*) Lib. 5. divin. inſtit. c. 1.
(*f*) Tract. de locis Theol.
(*g*) Tomis V. de dogmatibus Theologicis, quem e veſtigio imitatus eſt *Thomaſſinus* tomis III. Theologicis.
(*h*) In egregiis Diſſertationibus Biblicis, quibus ipſe aemulatus eſt alios, ut *Abulenſem*, *Pererium*, *Salmeronium* &c.
(*i*) Enarrat. in Pſ. 36.

Summae D. Thomae, & usus vocum, quas dicunt faculativas, in Scholasticis disciplinis.

Theologis Schola didicit, utpote methodicus, brevis & nitidus, aptissimus est ad enodandas difficultates, ad veritatem investigandam, ad sacram doctrinam comparandam & memoria retinendam, ad detegenda sophismata, ad conclusionem demonstrandam, ad hostes brevius pressiusque convincendos; ubi tamen verborum lepores, lenocinia, phalerae, ambages, aut saepe orationem obscurant, aut victoriam retardant.

Et hoc prae ceteris ob formae Syllogisticae crimen, quam propterea exitialibus odiis Protestantes abominantur, ex quo Antesignani Lutherus & Oecolampadius illius vim persenserunt in prioribus post defectionem ab Ecclesia Catholica controversiis, quibus eos praestantissimus Scholasticus *Joannes Eckius* oppressit, & profligavit. At ipsi quidem Heterodoxi in Disputationibus habitis cum Catholicis, dum primum ornatam, elegantem & eruditam Rhetoricen spirantes, eloquuntur, ita rem suadent pro suo errore, ut fere persuadeant; ubi vero manus ad pugnam sub forma Scholastica conseruntur, ibi animo deficiunt, pavent, implicantur, evincuntur. Hinc Polemici Authores eamdem formam plerumque in suis Controversiis retinuerunt, ut *Bellarminus*, *Becanus*, *Natalis Alexander*, *Vitus Pichler*, & vulgo plurimi.

Deinde Angelici Summae stilus, quem sibi frequentius Scholastice vendicat, etsi delecto verborum ornatu, phaleris, elegantia, lepore careat; nec est propterea inconcinnus, nec horridus, nec barbarismis & soloecismis deformis: immo est ad rem aptus, videlicet nitidus, conspicuus, brevis, concisus, acutus, uno ictu rem conficiens vocibus, quas vocant facultativas; quibus nempe ablatis, aut aegerrime cito, aut serius nonnisi multiplici verborum circumplexu sensum tuum exposueris.

Haud professus est Angelicus rhetorica vocum elegantia lectorum animos captare; sed stilo plano, luculento, nervoso ad omnium captum accomodato quamlibet depellere obscuritatem: non optavit sensibus placere, sed mentes instituere: maluit rerum veritatem ostendere, quam verborum venustatem offerre; *Augustinum* imitatus, qui dixerat, *mundanis Scriptoribus cura est de verbis, nostris autem de rebus* (*k*). Stilum plane dixeris in suo genere eximium: dignum propterea, quem signanter collaudarit *Urbanus* P.V.[*l*], & Schola frequentius amplexa sit ac retinuerit. Atque haec ipsi quidem illustrior commendatio, quam quae a modernis sciolis, Criticis, & Grammaticis posset ei, si venustior esset, in laudem attribui, & plenis buccis decantari (*m*).

Nec idem insuper stilus tanquam Scholasticis aridus & injucundus jure traduci potest: quoniam exquirenti subtilius, non sensuum leno-

(*K*) Lib. contra Adimantium cap. 11.

(*l*) Agens cum Magistro Ordinis Praedicatorii de collocando S. Thomae corpore in Urbe Tolosate.

(*m*) Plura pro S. Thoma Clarus ejusdem Vindex *De Rubeis* in Dissert. criticis, praesertim Dissert. 30.

lenocinia, ſed ſacrae aeternaeque veritaris cum indagine obtentum, nihil amaenius, nihil floridius, jucundius nihil, quam profundum ſtudium, ſeria meditatio, accurata lectio, ſubtilior diſceptatio, quibus optatum finem adſequatur. Dum autem vocum venuſtas haeret in ſenſibus; veritas tamen de divino objecto ſubtilibus ſpeculationibus probabiliter comparata, toti animo inſidet, eum abunde reficit, ac mirabiliter recreat. Neque vero tot Scholaſtice ſub eodem ſtilo Commentariis exundaret, ſi eorum Authores quaeſtiones illas ſubtiliores magna animi voluptate affecti non lucubraſſent. Audias amabo de hoc argumento expertiſſimi Doctoris Angelici ſenſum: *Intellectus humanus magis deſiderat, & amat, & delectatur in cognitione divinorum, quamvis modicum quidem de illis percipere poſſit, quam in perfecta cognitione, quam habet de rebus infimis* (*n*).

Praeterea tametſi pervetuſti illi Patres, quos deinceps laudati Recentiores & alii ſunt aemulati, ſacram doctrinam ſoluto, fuſo, eleganti ornatoque tradiderint ſtilo, quoniam Scholaſticus eis ex integro nondum praefulſerat; de iſto tamen nequit jure quiſquam inficiari, quod ſit longe aptior, ſaltem pro addiſcendis in Schola, & agitandis Controverſiis ad theologicas Diſciplinas brevius, acrius, ſubtilius tenaciuſque comparandas. Da, quod Athanaſius cum Ario, Cyrillus cum Neſtorio, Auguſtinus cum Manichaeis, Hieronymus cum Pelagianis ſub forma Scholaſtica concertarint; & dixero confidenter, quod haſce cunctas impias turbas ſacri Pugiles citius ac vehementius confutaſſent & eviciſſent.

Quod ſi adducti Patres in divina Scientia tradenda cultum & ſplendorem praeſcripſerunt; at ex ipſis nonnulli alias, & cum eis alteri viceverſa ſimplicem potius dictionem amarunt, quemadmodum ea eſt, quae in ſacris literis, quarum noſtra Theologia eſt interpres, elucet; rati utique ſola verborum vi ac ſimplicitate, nulla vero aut ſecularis ſcientiae pompa, aut culti ſermonis adfectatione de divinis eſſe diſſerendum. Sic idem *Clemens* (*o*): ſic idem *Auguſtinus* (*p*): ſic *Leontius Byſantinus* (*q*): ſic *Cyprianus* (*r*): ſic *Gregorius M.* (*s*): ſic *Petrus Damianus* (*t*). Sed & pro omnibus unus iterum, quem nuper laudaveram, loquatur Auguſtinus: *Evidentiae*, inquit [*u*], *diligens appetitus aliquando negligit verba cultiora, nec curat quid bene ſonet, ſed quid bene indicet, atque intimet quod oſtendere intendit: unde ait quidam cum de tali loquendi genere ageret, eſſe in eo quandam diligentem negligentiam: haec tamen ſic detrahit ornatum, ut ſordes non contrahat.* Atque alias inſuper, *bonorum*, proſequitur [*x*], *indoles eſt, in verbis verum amare, non verba: quid enim prodeſt clavis aurea, ſi aperire quod volumus non poteſt? aut quid obeſt lignea, ſi hoc poteſt, quando nihil quaerimus, niſi patere quod clauſum eſt?*

(*n*) 3. Contra Gentiles c. 25.
(*o*) L. 1. & 2. Stromat.
(*p*) Lib. 5. Confeſſ. c. 6.
(*q*) L. 1. contra Neſtorium, & Eutychem.
(*r*) Epiſt. 2. ad Donatum.
(*s*) L. 12. Moral. c. 27.
(*t*) Opuſculo 6. c. 38.
(*u*) De doctr. Chriſt. l. 4. c. 4.
(*x*) Eodem l. 4. c. 17.

Praetereo, ne prolixior excurrat oratio, priſcos, eoſque praenobiles Philoſophos, qui vel indicarunt, vel praeceperunt, in diſciplinis tradendis potius ad rerum ſubſtantiam & ſententiarum energiam, quam ad vocum venuſtatem eſſe attendendum; inter quos jure recenſendi eſſent *Plato* (*y*), *Tullius* (*z*), *Quintilianus* (*a*), *Seneca*(*b*). Et pergant merito cum ſtilo ſuo Scholaſtici, contendentes apte potius, nitide, nervoſe & commode loqui, quam ornate atque venuſte. Temperent hi ſibi quidem a verbis abſurdis, quae ab idiomatis latini puritate procul exſulant; quandocumque vero innovatarum ab Schola vocum uſus aut neceſſarius, aut percommodus occurrerit, eum expedite ac libenter amplectantur; nec enim conſimilis uſus dandus ampliſſime eſt ceteris quibuſque Facultatibus, & ſuus uni Scholaſtice denegandus, ac immerito deridendus (*).

XI. *Momentum V. productum ab inſcitia amaeniorum utiliorumque Scientiarum, quam ingenerant Scholaſticae diſciplinae: ubi acriter carpuntur Vetuſtiores Scholaſtici, ac Noviſſimi Hiſpani.*

Inſurgunt V. Scholaſtice turpem fovet inſcitiam & ignorantiam utiliorum, amaeniorumque Scientiarum: e. g. Diſciplinae eccleſiaſticae, quam Patres & Concilia repraeſentant; hiſtoriae ac eruditionis ſacrae & prophanae, quae mentem illuſtrant & condecorant; Artis Critices, quae appoſitiſſimis inſtructa regulis, verum a falſo diſcernit. Et quidem ob hujus maxime imperitiam celeberrimi Scholaſtices Profeſſores, ut Alenſis, Aquinas, Bonaventura, Scotus, Bachonius, alii, ſaepenumero in errores prolapſi ſunt; laudando ſcilicet ſuppoſititios Patrum commentarios, illegitima Gratiani decreta, nothas hiſtorias, ementitas chronotaxes: quod plane evincitur ex accuratiſſima Critice, qua hoc prae ceteris eruditum Seculum incredibili

(*y*) Ap. *Clem. Alex.* l. 1. Strom.
(*z*) L. 1. de fine ſub initium.
(*a*) L. 8. Prooem. ſub finem.
(*b*) Epiſt. 16.

ADNOTATIO.

(*) PErbelle in hanc rem celeberrimus ille & Scholaſticus & Eruditus & Criticus *Sixtus Senenſis* in Biblioth. S. l. 3. de Scholaſtice, Methodo 23., quem quidem ſine piaculo praeterire non poſſim. Igitur poſtquam pro rhu, moreque diſputandi Scholae Theologorum nonnulla protulit, haec illico ſubjungit. „ quibus fit ut nonnulli Rhetorum eloquentiae addicti non ſolum ab ipſorum lectione abſtineant, ſed & ipſum Scholaſticum nomen ut barbarum, ineruditum, & nulla dignum exiſtimatione abhorreant: qui ſane mihi graviter in hoc videntur errare, & Ciceronis ſui judicium, quod tantopere admirantur, contemnere; is enim a philoſopho non eloquentiam, ſed eruditionem requirit; nam lib. 1. de finibus bonorum, & malorum Epicuri mentionem faciens, oratio me, inquit, iſtius Philoſophi non offendit, nam & complecturi verbis quod vult, & dicit plane quod intelligam: & tamen a Philoſopho ſi adfert eloquentiam, accipio; ſi non habet, non admodum flagitem. Cum igitur Cicero a Philoſophis eloquentiam minime expoſcat, non video, cur eadem tantopere a Scholaſticis Theologis exigi debeat: qui licet juxta Paulli ſententiam imperiti ſint ſermone, non tamen Scientia: ſed quantomagis elocutionis elegantia deſtituuntur, tantomagis eruditione praeſtant, proponentes, non picta, ſed ſolida, docentes quae maxime proſunt, & quae ad deſtinatum finem pertinent; & ita docentes, quemadmodum oportet, & cum rudibus, & cum eruditis „. Haec ille: & quam ſolide! quam vere!

dibili fere omnium Gentium ſtudio ac voluptate perfunditur & illuſtratur.

Hinc aevo noſtro una ferme Hiſpania, ceteroqui ſublimium ingeniorum feraciſſima, dum Scholaſticis Speculationibus adhuc penitus immerſa, aliud hodiedum non ſapere videtur adfectare; & amaeniorum diſciplinarum ignorantiae nebulis offunditur, & a reliquo ſubinde literatiſſimo Orbe parvipenditur & exſibilatur: videlicet tanquam miſera ſerva Majorum ſuorum, e quibus Seculo Scholaſtico V., duce Victoria, deplorandam Scholaſtices reſtaurationem excepit. Ita temere garriunt qui modo Criticos ac Eruditos audire jactant: incaſſum tamen; levi enim exſuflatione ipſorum impetum depellimus.

Revincitur vehementer, cum Apologematibus, & pro priſcis Scholae Ducibus, & pro amore rectoque uſu ſobriae Critices, & pro Hiſpanis.

Et imprimis ſicut *non omnis fert omnia tellus*, ita nec unaquaeque facultas ceterarum praecepta tradit, aut apices exponit. Suus cuique facultati ſcopus eſt, ſuaque media ad eum obtinendum; nec alio pervagatur, ne finis pereat. Hoc pacto Medicina e. g. intendit Medicum informare, non Juriſperitum; Matheſis Mathematicum, non Theologum. Si qua vero facultas cum alia connexionem praeferat, de ea quantum ſatis eſt ad ſua confirmanda dogmata, nec ulterius, deſumit; cetera vero obiter plerumque percurrit, adnotatis fontibus, unde valeant pro dignitate comparari.

Ita plane Scholaſtice, cum pluribus Scientiis connexa, cum iis praeſertim, e quibus ſua potiſſimum argumenta depromit; cujuſmodi ſunt teſtimonia Scripturarum, Conciliorum, Patrum, Philoſophiae, Hiſtoriae, Juris Canonici, ſacrae prophanaeque Eruditionis, ac ceterorum. Ergo ne illa jure objurganda tanquam inſcitiam ingenerans earum facultatum, quarum adſerta frequenter evolvit, laudat, exponit in Commentariis, in praelectionibus, in controverſiis?

At Critici non ſunt Scholaſtici, ſubindeque teſtimonia ab aliis facultatibus petita ſaepius cum Scholae Principibus ſuppoſita pro germanis obtrudunt. Hem quale, quantumque crimen, quod & inter eoſdem melioris notae Criticos aliis invicem alii perſaepe adfigunt! Criticus quiſpiam eſt, qui adſerat, inſignem Baronium in praeclaris Annalibus Eccleſiaſticis ſex mille perſpicuis erroribus adverſus Hiſtoriam & Chronologiam peccaſſe; & alii Critici ſunt, qui in Bollandianis Hagiographis, omni exceptione majoribus, plures conſimiles lapſus adnotarint.

Quot, quaeſo, Criticos circa multiplicis eruditionis materias, inter Catholicos, non exagitarunt Launoius, Raynaudus, Dupinius, Nicolaus Antonius, Aguirrius, Serrius, Graveſonius, Muratorius; & quot eoſdem alii viciſſim non refellerunt? Nec Sirmondo indultum, nec Raynaldo, nec Spondano, nec Petavio, nec Gretſero, nec Mabillonio, nec Renaudoto, nec Schelſtratio, nec Calmeto, nec Montfauconio, nec Marchioni Maffejo, nec Orſio, nec Papebrochio, nec Mayanſio, nec Zacchariae, inter priora Critices lumina reponendis.

E cla-

E clarioribus Conciliographis, & Binius, & Loayſſa, & Labbeus, & Coſſartius, & Bailius, & Joverius, & Baluzius, & Harduinus in multis peccaſſe nonnullorum opinione deprehenſi ſunt. In admittendis cunctis decretalibus Summorum Pontificum Epiſtolis a S. Petro aduſque Siricium, perpaucis exceptis, una omnes defeciſſe notati ſunt uſque ad celeberrimum Tarraconenſem Antiſtitem Antonium Auguſtinum, ſub Gregorio P. XIII. florentem, qui primus omnium errorem oſtendit ac elucidavit.

In adpellandis SS. Patrum Operibus, plurimiſque Operum textibus ſaepius erraſſe animadverſi ſunt Honorius Auguſtodunenſis, Trithemius, Miraeus, Sirmondus, Genebrardus, Bellarminus, Pamelius, Coquaeus, Poſſevinus, Gaulterius, Hervaeus, ac fere quotquot ſcripſerant aduſque Seculum proxime elapſum, quo Clariſſimi Maurinenſes Benedictini correctiſſimas & e pluribus Mſſ. caſtigatiſſimas Patrum editiones evulgare coeperunt. In laudandis confidenter Patrum, Summorum Pontificum, Conciliorum, Hiſtoriarum, Decretorum teſtimoniis e Gratiani Decreto, primum edito an. Chr. 1151. ſub Eugenio III., depromptis, univerſi fere peccarant, donec plurium falſitas cum multis inſuper Decreti naevis, ab Antonio Auguſtino, Bellarmino, Petro Pithaeo, Joanne Doujatio, Wan-Eſpenio, Joanne Giberto detecta eſt ac emendata.

Quid ergo? Ubi hiſce poſtremis Seculis tam copioſo lumine perfuſis tot, tantique eruditione praeſtantes viri circa memoratas materias de errore ſuſpecti ſunt, aut evicti; mirari minime iubit, quod Scholaſtices Principes & alumni adeo obſcuris retro aetatibus in eoſdem, aut pares fuerint humanitus prolapſi. Eo maxime quod ad Scholaſticen non ſpectat laudata teſtimonia diſcutere, & ad criticen revocare, ſed ipſa modo tanquam vera ſuppoſita ab alienis Scientiis ad ſuum uſum mutuari. Dum igitur illa ſuppoſititia ſunt, alienis potius Scientiis error, quam Scholaſtice adjudicetur. Hinc Recentiores e Schola Authores, ut Tournelyus, Cienfuegos, Simonnetus, Bertius, Serrius, Gottus, Navarrus, Manſus, Quadros, appoſitiſſime plerumque ſimilibus documentis argumentantur; quippe quae jam penitus emendata [ſi Superis placet] a locupletiſſima omnis generis eruditione depromere potuerunt.

At non proinde tameu modernam quamlibet Criticen laudaverim: non eam plane hoc aevo communiorem, cui novitas & intemperantia regula & finis eſt: qua nempe Authenticae ſacrorum Codicum Verſionis authoritas mille palam excitatis dubiis obſcuratur ac enervatur; qua tot Seculis commendata ſapientia Patrum infirmatur, & in multis deſpicitur; qua monumenta Eccleſiaſtica vel ſuſpecta redduntur, vel falſa declamantur; qua generales Traditiones dubiae fiunt, particulares vero generatim irridentur; qua piae fidelium opiniones pietatem confoventes nimia ſciendi libidine eliminantur; qua imminuitur Sanctorum gloria, eorumque clariora miracula tanquam ab Hiſtoriographis non Criticis conficta nullo jure

re

re refelluntur; qua pene omnia ridigiſſimo quodam Scepticiſmo in dubium revocantur: quis autem ſanae mentis catholicus ejuſmodi Pſeudo-Criticen cum laude amplectatur?

Illam vero ſobriam Criticen amo, & encomiis effero, quae diſertis addicta Regulis, certiſque prudenter limitibus circunſcripta, abſque ulla, vel ne quidem obliqua & remotiſſima Religionis jactura, verum a falſo longe probabilius, aut certo ſecernit, ſecretumque pervulgat: qualem nempe ſuis accuratiſſimis regulis praeſcripſere *Melchior Canus* (*c*), *Honoratus a S. Maria* (*d*), *Cherubinus a S. Joſeph* (*e*), *Ignatius Le Bruſſelius* (*f*), *Michael a S. Joſeph* [*g*], *Benedictus Feijoo* (*h*), *Hyacinthus Segura* (*i*), *Joſeph Gautier* (*k*), *Petrus Paganettus* (*l*), & alii ſimiles.

Enim vero quandoquidem Hiſpani, potius Fidei, & Religioni quam vel minimum apparenti impietati ex animo addicti, ſimul cum Scholae Theologia eamdem ſobriam veramque Criticen amant & excolunt, Pſeudo-Criticen autem toto corde abhorrent ac repudiant; ideo non niſi calumnioſa injuria ab hujus aevi Pſeudo-Criticis exprobrantur. Profecto Scholaſticen, ex quo eam ab indicatis Reſtauratoribus exceperunt, hucuſque praefervide frequetarunt; non autem ut illorum ſervi, ſed quia ſubtilibus ut plurimum ingeniis a natura inſtructi, gaudent ſubtilioribus meditationibus ſuperna Myſteria quantum liceat penetrare; tum quia probe noſcentes tantae Scientiae excellentiam & utilitatem, eam obſequio & ſtudio percolunt, uberrimos exinde fructus excerpturi. Nec ipſi plerumque Scholaſtici in alteras inſimul facultates ex profeſſo incumbunt, puta in Hiſtoriam, Eruditionem, Criticen &c., ampliſſima enim eſt & ſubtiliſſima haec Facultas, plurimoque indiget tempore ac ſtudio ut ad unguem comparetur & addiſcatur: & quidem *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*.

Attamen haud hiſpani omnes Scholaſtici ſunt. Ceteras, & plane florentes Facultates alii in publicis, privatiſque Lyceis uſque modo frequentant. Et, ut reliquas praetermittam, maxime Jus Civile & Criminale, tum Theologias Biblicam, Moralem, Myſticam, Marianam, quas permultis & egregiis commentariis locupletarunt; etiam hiſpani perplurimi tribus hiſce poſtremis Seculis Hiſtoriam, Chronologiam, omnigenam Eruditionem, accuratam ſanioremque Criticen florentiſſime profeſſi ſunt, perinſignibuſque lucubrationibus, etiam haud raro cum laude Exterorum, exornarunt. Equidem, ingenti numero praetermiſſo, perplurium inſtar, poſſent in medium ii nominatim haud exigua commendatione produci.

Innuuntur Hiſpani aliquot, politioribus Scientiis, tribus poſtremis Seculis inſigniter exculti.

HISPA-

(*c*) In Comment. de loc. Theol. ſparſim.
(*d*) Tr. de reflexionibus in ordine ad regulas & uſum Critices.
(*e*) Critica ſacra.
(*f*) Tr. de abuſu Critices in materia Religionis.
(*g*) Tr. Criſis de Critices arte.
(*h*) In Theatro Critico univerſali paſſim.
(*i*) In Cynoſura Critica ad Hiſtoriam.
(*K*) In Prodromo ad Theol. Dogmat. Scholaſt. Diſſert. 3. cap. 3. art. 2.
(*l*) Hiſtor. Eccleſiaſt. Liguriae, edita 1765. tom. 1. diſſert. 1. de Arte Critica.

HISPANI LITERATI.

E SECULO CHRISTIANO XVI.

SEC. SCHOL. V.

Nebriſſenſis. AELIUS ANTONIUS NEBRISSENSIS, vulgo DE LEBRIXA, e cognomine oppido, in aeſtuariis Boetis fluvii ſito oriundus, Theologus, Juriſconſultus, Mathematicus, Medicus, Philologus, Hiſtoricus, Criticus, Linguarum Latinae, Graecae, Hebraicae peritia celebratiſſimus: qui omnium primus Humaniorum Literarum Scientiam poſtliminio Hiſpaniis intulit. Evivis exceſſit 1522. 11. Jul. aet. 77. (Collationes Antiquitatum: Ecphraſes in Virgilii Opera: Dictionarium quadruplex: De bello Navarrenſi a Ferdinando Rege contra Joannem Regem Navarrae Hiſtoriarum libri II. &c.)

Canus. MELCHIOR CANUS, (Tr. de Locis Theol.)

Medina. MICHAEL DE MEDINA (Tr. de recta in Deum fide: De ſacrorum hominum continentia &c.)

Auguſtinus. ANTONIUS AUGUSTINUS, (De emendationibus Juris Civilis: De Iconibus, Inſcriptionibus, aliiſque Antiquitatibus &c.) Triadem hanc poſtremam Literatorum, quovis dignam elogio, alias adpellavimus.

Matamoros. ALFONSUS GARSIAS MATAMOROS, patriae Sedis Hiſpalenſis, ut fertur, Canonicus, percelebris Complutenſis Academiae Rhetor. Claruit circ. 1553. (De ratione dicendi lib. II.: De Academiis & doctis Viris Hiſpaniae &c.]

Perpinianus. PETRUS JOANNES PERPINIANUS, Valentinus, S. J., ſingularis ingenii & eloquentiae Vir, celebratiſſimus ſuae aetatis Rhetor. Deceſſit 1566. 28. Oct. aetatis 36. (Oratio de Rhetorica diſcenda: De perfecta Doctoris chriſtiani forma &c.)

Zurita. HIERONYMUS ZURITA, nobilis Caeſarauguſtanus. Vita functus 1580. (Annales Regni Aragoniae: Antonii Auguſti Itinerarium cum Commentario &c.)

Morales. AMBROSIUS MORALES, Cordubenſis, Presbyter, Regiuſque Hiſtoriographus. Denaſcitur 1583. (Generale Hiſpaniae Chronicon: De Hiſpanarum Urbium Antiquitatibus &c.)

Loayſſa. GARSIAS DE LOAYSSA GIRÒN, Talaverenſis, Toletanus Archi-Antiſtes. Fato ceſſit 1598. 22. Febr. (Collectio Conciliorum Hiſpaniae, cum Notis & Emendationibus: Ordo & Chronologia Gothorum Regum & Suevorum, pluraque laudatae Collectioni inſerta.)

E SECULO CHRISTIANO XVII.

SEC. SCHOL. VI

Ar. Montanus. BENEDICTUS ARIAS MONTANUS, forte Hiſpalenſis, ex Equeſtri S. Jacobi Ordine, linguarum peritia, & omnigena eruditione conſpicuus. Occumbit 1611. (Correctorius Index librorum: De ſacra Geograhia: De Hebraicis Idiotiſmis &c.)

Eſcolano. GASPAR ESCOLANO, Valentinus, & in Urbe Valentiae Regni Metro-

tropoli ad S. Stephani paroeciale templum Rector. Flor. 1611. (Historia Urbis & Regni Valentiae.)

MICHAEL CERVANTES SAAVEDRA, origine saltem Hispalensis, celebratissimis inventis ubique terrarum notus. Inclaruit 1613. (Ingeniosus & perjucundus Domnus Quixotus de la Mancha: Galatea diserta &c.) Saavedra.

JOANNES MARIANA, Talaverensis, S. J. adprime Criticus Vir, & quovis studio partium alienus. Ad plures abit 1623. [Historia de rebus Hispaniae: De die & anno mortis Christi &c.] Mariana.

FRANCISCUS DE MONCADA, Catalanus, Ossonae Comes, apud Ferdinandum II. Imperatorem Legatus Regius, ac deinceps totius inferioris Germaniae pro Catholico Rege Gubernator. Extinctus 1636. [Catalanorum & Aragonum in Turcas & Graecos expeditio: Vita Anicii Manlii Torquati Severini Boethii.] Moncada.

ANDREAS DE LEON, Zamorensis, ex Cler. Reg. Min. familia, linguarum Orientalium scientissimus. Clar. 1640. [Universa Veteris Testamenti Caldaica paraphrasis, & Novi Testamenti Syriaca in linguam latinam versae.] Leon.

FRANCISCUS DE QUEVEDO VILLEGAS, Villae-novae Infantum ortus, Eques S. Jacobi Ordinis. Vivere desiit 1647. [Insomnia Critica: Epicurea Apologia &c.] Quevedo.

BONAVENTURA DE SALINAS, patria Limensis in America Meridionali, professione Franciscanus. Fatis defunctus 1653. (Monumenta Historiae novi Orbis Peruani: Merita & Ornamenta Urbis Limensis.) Salinas.

LAURENTIUS vel potius BALTHASAR GRACIÁN, Bilbilitanus, e Soc. J. Mortem obiit 1658. (Critice fere omnium Gentium: Acumen & Ars ingenii &c.) Gracian.

DIDACUS ORTIZ DE ZUNIGA, natu Hispalensis, Eques praenobilis Ord. S. Jacobi. Vitam degebat 1677. 25. April. (Annales Hispalenses, cùm Ecclesiastici, tùm Seculares. Tom. 1. fol.) Ortiz.

NICOLAUS ANTONIUS, patriae Hispalensis Ecclesiae Canonicus, & Eques Ordinis S. Jacobi. Diem extremum claudit 1684. [Bibliotheca Hispana Vetus & Nova: Trophaeum Historico-Ecclesiasticum: Censura fabulosarum historiarum &c.) Antonius.

JOSEPHUS SAENZ DE AGUIRRE, postmodum commendandus. (Collectio Critica Conciliorum Hispaniae). Aguirre.

JOANNA AGNES A CRUCE, Mexicana Monialis, Criticis & Poeticis Commentariis III. celebratissima. Haec Musarum Decima jure audit. Seculo jam exeunte claruit. A Cruce.

E SECULO CHRISTIANO XVIII.

SECULO SCHOL. VII.

ANDREAS QUILES GALINDO, natione nobilis Mexicanus in Provincia de Zelaya Dioecesis Michoacanensis, ex Minorum Ordine Nicaraguensis Antistes. Claruit 1707. [Absoluta descriptio Provin- Galindo.

ciarum, Climatum, Montium, Fluviorum, Portuum, Littorum novae Hiſpaniae.)

Lopez. Dominicus Lopez, forte Boeticus, ſui Ss. Trinitatis Ord. in Boetica Generalis Hiſtoriographus, ac Theologus Doctor. Flor. 1712. (Hiſtoricae notitiae trium Ord. Trinitarii Provinciarum, Angliae, Scotiae, Hiberniae. Edit. 1714.)

Vega. Franciscus de la Vega, Caſtellanus, Opinor, ſui Ord. Ss. Trinitatis Hiſtoriographus Generalis. Clar. 1717. (Chronicon Caſtellanae Provinciae Ord. Ss. Trinitatis. Edit. 1720.)

AA. Lexici Hiſpani. Eruditi Authores noviſſimi Lexici Hiſpani, editi ab an. 1726. ad 1739.

Toſca. Thomas Vincentius Tosca, Valentinus, e Congregat. S. Philippi Nerii. Clar. circ. 1730. (Curſus Mathematicus &c.)

Miñana. Josephus Emmanuel Miñana, Valentinus, ex Ord. Ss. Trinitatis. Florebat 1730. [Dialogi de Theatro Saguntino, ac de Circi antiquitate & ſtructura: &c.]

Ayala. Joannes Interian de Ayala, Mercedarius, Salmanticenſis Academiae Doctor, ac Theologiae cum ſacrarum linguarum interpretatione Profeſſor Emeritus. Florebat 1730. (Pictor chriſtianus eruditus.)

Ferreras. Joannes de Ferreras, S. Andreae Matritenſis Parochus, & Regiae Bibliothecae Praefectus, cum ceteris Scholaſticis laudandus. (Hiſtoria Hiſpaniae &c.)

Maner. Salvator Joseph Maner, fortaſſe Caſtellanus. Flor. 1736. (Varia opera critica adverſus Feijoum &c.)

Martinus. Emmanuel Martinus, gente Valentinus, Alonenſis Collegiatae Decanus, linguarum peritia, eruditione, eloquentia, poeſi, critice noſtro aevo etiam apud exteros florentiſſimus. Fato functus 1737. (Notae Criticae ad Q. Sectani Satyras: Saguntini Theatri Deſcriptio: Epiſtolae eruditae &c.)

Baſtero. Antonius Bastero, Nobilis Barcinonenſis, Philoſophiae & utriuſque Juris Doctor, Canonicus & Sacriſta Major Eccleſiae Gerundenſis, inter Academicos Arcades *Iperides Bacchichus*. Moritur 1737. (Lexicon Etruſchum Provinciale; ſeu modi loquendi, voces & phraſes, quas celeberrimum idioma Etruſcum a Provinciali Catalano-gallico idiomate deprompſit, locupletatae, illuſtratae, plurimiſque rationibus, authoritatibus, exemplis confirmatae: una cum pleriſque documentis circa veteres Poetas Provinciales, vulgaris Poeſeos Authores, ac nonnullos ſpeciatim gente Catalanos, erutis ex Mſſ. Vaticanis, Laurentianis, & aliis. Italice Romae editum & in plura volumina in folio diſtinctum.)

Luzàn. Ignatius da Luzan, inter Academicos Ereynos Panormitanos *Aegidius Menalipus*. Clar. 1737. [Poetice, ſeu Regulae Poeſeos.]

AA. Diarii Literat. Hiſp. Perdocti Authores Diarii Literatorum Hiſpaniae, editi ab an. 1737.

Martinez. Martinus Martinez, clariſſimus aevo noſtro Medicus, & Criticus.

ticus. Inclaruit 1738. (Philoſophia ſceptica : Medicina ſceptica &c.)

ALBARUS CIENFUEGOS, alias laudatus, & laudandus alias. [Vita S. Franciſci a Borgia.] Cienfuegos.

ANTONIUS JOSEPHUS RODRIGUEZ, Aragonenſis, ex Ord. Ciſtercienſi. In vivis agebat 1740. (Palaeſtra Critico-Medica in plura volumina Diſtributa : Diſſertationes criticae &c.) Rodriguez.

LUDOVICUS DE LOSSADA, Caſtellanus, e Soc. J., clarus Philoſophus, Theologus, Criticus, Rhetor, Poeta. Mundum relinquit circ. 1745. (Apologus pro Bollandiana ſententia circa Genethliacam S. Dominici ſtirpem : Aucupium &c.) Loſſada.

JOSEPHUS GUMILLA, S. J. Theologus, olim apud Indos novi Granatae Regni Provincialis, & pro ſua Provincia ad Romae ac Matriti Curias Generalis Procurator miſſus. Flor. 1745. (Orinocum illuſtratum, edit. 1745.) Gumilla.

JOANNES FAUSTUS RAULIN, Caeſar-auguſtanus, Generalis Auguſtinenſium Prior. Vitam agebat 1745. (Criticae Diſſertationes ac notae in Concilium Diamperitanum.) Raulin.

BLASIUS ANTONIUS NASARRE, Aragonenſis J.C. Caeſarauguſtanus, ac Regiae Madritanae Bibliothecae Praefectus. Moritur 1751. (Poligraphiae Hiſpanae a Chriſtophoro Rodriguez lucubratae Editio, pluribus illuſtrata.) Naſarre.

ANNA MARIA GONZALEZ Mexici nata, clariſſima Novae Hiſpaniae poetria. Florebat 1751. (Exſiccatae Melpomene lachrymae in ſollemni Ferdinandi VI. proclamatione &c.) Gonzalez.

JOANNES DE MATRE DEI, e Trinitariis Excalceatis. Fl. 1751. (Comment. Hiſtorico-theologicus de Liberis Cementariis, vulgo *Franc-Maſſons*.) De Matre Dei.

ALEXANDER AGUADO, Ord. Baſiliani, in Complutenſi Academia Theologus Profeſſor. Vixit 1751. [Politica Hiſpana.] Aguado.

PASCASIUS SALA, Valentinus & in Valentina Academia ſacrarum literarum Interpres. (Sacrum Veterum Hebraeorum Calendarium Diſſertationibus illuſtratum - Opus poſthumum, editum 1752.) Sala.

PETRUS MURILLO, Boeticus, S. J. pro Philippinarum Provincia Procurator Generalis. Clar. 1752. (Geographia hiſtorica univerſalis, tomis X. in 4.) Murillo.

EMMANUEL GARAY, Caſtella veteri oriundus, ſui Minorum Ordinis Lector Emeritus. Vixit 1752. [Trutina Miſcellaneae Chronologiae ſacro-prophanae.] Garay.

FRANCISCUS DIDACUS ROMERO DE LA CAVALLERIA, Regiorum Conſiliorum Advocatus. Clar. 1752. [Fax Chronologica ad veram intelligentiam Hiſtoriarum, priſcorumque documentorum Hiſpaniae] Cavalleria.

FRANCISCUS XAVIER DE LA HUERTA, Compoſtellae Urbis & Archiepiſcopatus Eccleſiaſticus Judex ac Viſitator. Vivebat 1752. [Annales Regni Gallaeciae &c] Huerta.

HYACINTHUS SEGURA, patria Alonenſis, aut Alicantinus, ex Segura.

Ord. Praed. Florebat, reor, 1752. [Cynoſura Critica ad Hiſtoriam.]

A S. Joſeph. Michael a S. Joseph, Madritanus, Trinitarii Ordinis Excalceati Generalis, & Epiſcopus Guadicenſis. Occumbit circiter 1752. (Bibliographia ſacra & prophana: Criſis de Critices Arte.)

Cepeda. Barnabas de Cepeda, Regiorum Conſiliorum Advocatus. Vixit 1752. [Deſcriptio Hiſtorica & Geographica vetus & nova Regni Neapolis.]

Eguiara. Joannes Josephus de Eguiara, patria Mexicanus, Jucatanenſis Epiſcopus, de quo alias. (Bibliotheca Mexicana Tomus 1. in fol; & quidem eleganter conſcripta.)

Padilla. Petrus Padilla et Arcos, nobilis Dux, & perdoctus Mathematicus. Vitam agebat 1753. (Militaris Matheſeon Curſus.)

Eſtrada. Joannes Antonius de Estrada. Flor. 1753. (Hiſtoria univerſalis Hiſpaniae.)

Velazquez. Ludovicus Joseph Velazquez, Malacitanus, Eques Ord S. Jacobi. Vixit 1755. (Hiſpanae Poeſeos origines: De incognitis characteribus ſpecimen: Icones Gothicae: Annales Hiſpaniae Tomus 1. &c.)

Garma. Franc. Xaverius de Garma, Catholico Regi a Secretis, & R. Academiae Barcinonenſis Academicus. Fl. 1755. [Univerſale Hiſpaniae Theatrum: De Arte Heraldica commentar.]

Trincado. Emmanuel Trincado Mena, Caſtellanus Presbyter. Clar. 1755. (Compendium Hiſtoricum, Chronologicum, Genealogicum ſummorum Europae Principum.)

Oſſorio. Francisca Ossorio nobilis & elegans Poetria. Scribit 1756. Muſa Pindi.]

Academia Barcinonenſis. Anonymus Author Academici Commentarii ſub nomine *Academiae Amaeniorum Literarum Barcinonenſis*, editi 1756.

Anonymus. Anonymus Author Inſtitutionum Rhetoricarum in uſum nobilis Juventutis Regii Seminarii Madritani, edit. 1756.

Cabrera. Michael Cabrera, ſui Minimorum Ordinis Lector Emeritus. Fl. 1756. (Explicatio phyſico-mechanica de cauſſis terraemotus.)

Alvarez. Josephus Alvarez de la Fuente, Minorita. Fl. 1757. (Regia Hiſpaniae Succeſſio a Rege Pelagio aduſque Ferdinandum VI.)

Graef. Joannes Henricus de Graef. Vixit 1757. [Diſcurſus Mercuriales, ſeu documenta de rebus Agriculturam, Commercium, Liberales & Mecanicas Artes concernentibus, tomis plurimis.]

Lopez Thomas Lopez. Fl. 1757. (Atlas Geographicus Hiſpaniae Regni, & Inſularum adjacentium, brevi Provinciarum Deſcriptione ſubjecta.)

Prieto. Antonius Fernandez Prieto, Regius Advocatus. Fl. 1757. [Hiſtoria Regii Juris Hiſpaniae.]

Torres. Antonius de Torres et Velasco, Salmanticenſis Profeſſor 1757. (Inſtitutiones Hiſpaniae &c.)

Torrubia. Joseph Torrubia, Boeticus, ſui Ord. Franciſcani Chronographus Generalis. Vixit 1760. (Hiſtoria naturalis Hiſpaniae: Diſſertatio Hiſtorico-politico-Geographica de Inſulis Philippenſibus, de-

Ma-

Mahometiſmo eas occupante, cet.: Vindiciae Gigantologiae Hiſpanae, italico ſermone: Volumen chronologicum Ordinis Minorum.)

Antonius Sarmiento, ſuae Benedictinae Congregationis Hiſpanae ſummus Praeſes. In vivis agebat 1761. (Apologiae pro prioribus Feijoi Commentariis. &c.) Sarmiento.

Andreas Burriel, e Dioeceſi Conchenſi, S.J. Theologus Profeſſor Matritenſis, Eruditione & Critice clarus. Evivis exceſſit 1762. (Hiſtoria Californiae: Paleographia Hiſpana. Utrumque ſub alieno nomine.) Burriel.

Hieronymus Benedictus Feijoo, e Gallaecia oriundus, Abbas Benedictinus Ovetenſis, Theologus Profeſſor Emeritus, omnigena eruditione & Critice conſpicuus. Poſtremum diem claudit 1764. [Theatrum Criticum univerſale adverſus communes errores: Apologia pro Theatri tomo 1.: Literae Criticae &c.) Feijoo.

Emmanuel Bernardus de Ribera, ex Ord. Ss. Trinitatis, Theologus Doctor, & in Salmanticenſi Academia Scoti Cathedrae Moderator, ingenii ſubtilitate & eruditione praeſtans. Vita functus 1765. 25. Nov., aetatis 46. (Inſtitutiones Philoſophicae, opus cumprimis criticum.) Ribera.

Ceteri, qui coronidis loco ſubjiciuntur, quantum ſcio, ſuperſtites adhuc ſunt, & noſtrum aevum illuſtrant.

Didacus de Torres Villaroel, celebratiſſimus ac Emeritus in Salmantina Academia Matheſeos Profeſſor, alter Quevedus. (Perplurimi Commentarii de re Mathematica, Aſtrologica, Critica.) Torres.

Gregorius Majansius, Olivae in Regno Valentiae ortus, Generoſus Valentinus, J. U. Doctor, & in Valentina Academia Profeſſor, Regius Bibliothecarius, exteris etiam Literatis notiſſimus. (Orator Chriſtianus: Inſtitutiones Rhetoricae: complurimae Diſſertationes Criticae.) Maians.

Henricus Florez, Auguſtinenſis, ſacrae Hiſpaniarum Eruditionis decus. (Hiſpania ſacra tomis xx. in 4.: Clavis Hiſtorica: Icones Hiſpaniae: Caſtellae ac Legionis Regna &c.) Florez.

Antonius Codorniu, Barcinonenſis, S.J. celebris Eccleſiaſtes. [Apologus Criticus adverſus Barbadiñum, alias Aloyſium Anton. Verney, Luſitanum Canonicum: Critices morbi: Index Philoſophiae Ethicae chriſtiano-Politicae]. Codorniu.

Ildephonsus Clemens de Aroztegui, pro Rege Catholico apud Regem utriuſq; Siciliae Legatus. [Exhortatio de Hiſtoria Eccleſiae Hiſpanenſis excolenda, ad Hiſpanos habita in palatio C.M. Reg. Hiſp. Romae xii. Cal. Septemb. A. 1747.] Aroztegui.

Dominicus Lopezius de Barrera, Chartophylacii Hiſpanae Legationis in Urbe Praefectus, & R. C. Advocatus. (De antiquo Canonum Barrera.

num Cod. Eccleſ. Hiſpanae Hiſtorica Exercitatio. Edit. Romae 1758.)

Piquèr. Andreas Piquer, Gente Valentinus, profeſſione Medicus Regins. (Logica brevis, & quidem ad unguem criticum ſecta: Phyſica moderna: Accurata Hipocratis editio &c.)

Campomanes. Petrus Rodriguez de Campomanes, Regiorum Conſil. Advoc. Regiaeque Academiae Hiſtoriae Socius. (Compendium hiſtoricum Ordinis Templariorum: Periplus Hannonis cum notis &c.)

Sans. Josephus Sans, Hieronymianus Monachus. [Deſcriptio defectuum, quos Viri ſapientes incurrunt, necnon pravae Scientiarum culturae.]

Aymerich Matthaeus Aymerich, e Gerundenſi Dioeceſi in Catalonia, S.J; Gandienſis Collegii & Academiae in praeſentia Rector & Cancellarius. (Proluſiones Philoſophicae: Epiſcopologium Barcinonenſe.)

Sanz. Joannes Sanz Lopez. [Commentarius Hiſtorico-moralis de Jejuniis Eccleſiaſticis, una cum Compendio uniuerſalis circa ea diſciplinae cùm antiquae, tùm modernae ac reformatae.]

Serrano. Thomas Serrano, Valentinus, S.J., Gandienſis Academiae Theologus Doctor & Profeſſor. (Commentarius Hiſtoricus de Secularibus Feſtis Valentiae S. Vincentio Ferrerio ſacris.)

Caſtro. Petrus a Castro, Majoris S. Clementis Bononienſis Collegii olim alumnus, in praeſentia Malacitanus Canonicus. (Apologetica Diſſertatio pro Capitularibus S. Gregorii M. adverſus Henricum Florezium: Pererudita Epiſtola ad Monachos Gallos San-Mauraeos ſuper quibuſdam erratis, quae in vita S. Gregorii M, ab ipſis Patribus conſcripta irrepſerant.)

Niphus. Franciscus Marianus Niphus, omnigena eruditione conſpicuus. [Caliſthenes verus Aulicus & Philoſophus &c. &c.)

Cerdà. Thomas Cerdà, Patria Tarraconenſis, Jeſuita, meus olim Auditor, in Madritano Imperiali Collegio hodiedum Cl. Matheſeos Profeſſor. (Complures de re Mathematica ad Juventutis inſtitutionem Commentarii).

Aroztegus. Benedictus Clemens de Aroztegui, nobilis, ac eruditus Vir. (Peculiaris atque erudita Diſſertatio pro adventu & praedicatione S. Jacobi in Hiſpania Edita Neapoli 1763.)

Povius. Bartholomaeus Pou, alias Povius, natu Majoricenſis, Jeſuita. [Inſtitutiones Hiſtoriae Philoſophicae libris XII.]

Bayèr. Franciscus Perez Bayer, Gente Valentinus, Canonicus olim Barcinonenſis, in praeſentia Toletanus, Eruditis notiſſimus. (Diſſertationes Critico-Apologeticae pro Sanctis Laurentio & Damaſo, Hiſpaniae aſſertis & vindicatis. Edit. Romae 1756.)

Anonymus. Anonymus Author Status ſacri & univerſalis Mundi. (Tom. I. Matriti noviſſime vulgatus 1766.)

Benavente. Michael Benavente, Caſtellanus, S. J., in Madritano Collegio Imperiali Matheſeos Profeſſor. (Curſus Mathematicus.)

Lagomarſinius Hieronymus Lagomarsinius, in Hiſpana Urbe Portus Sanctae Mariae natus, e Soc. J., in hocce Romano Collegio Linguae Graecae

Profeſ-

Profeſſor, praeclarus noſtrae aetatis Philologus, Rhetor, & M.Tullii Ciceronis Interpres: quem quidem honoris, reverentiae, & amicitiae cauſſa nomino. [Julii Pogiani Sunenſis Epiſtolae & Orationes adnotationibus illuſtratae, ac primum editae Tomis IV. in. 4. quorum II. & III. Cervarienſi Academiae nuncupavit Author. Edit. Romae ab an. 1756. ad 1762.)

Josephus Vasco, Barbeſulae urbis Boeticae ortus, ſui Ordinis Cleric. Regul. Minor. Theologus Profeſſor, & ſummus Praeſes, S,R. Congregat. Indicis Conſultor, multis nominibus clarus, hodiedum Romae florens. (Inſtitutiones Philoſophicae ad uſum Nobilium Anagnini Collegii Sancti Joſeph Clericor. Regul. Minor., ſub larvato nomine *Arceſilai Commophii* Academici Philaletis. Tomus primus in 8. edit. *Romae* 1766.) Vaſco.

Josephus Finestres, Catalanus, J. U. Doctor, & in Cervarienſi Academia J. C. Regius Primarius Anteceſſor dudum Emeritus, a doctrina, eloquentia, & eruditione etiam apud Exteros celebratiſſimus. [Sylloge Inſcriptionum Romanarum, quae in Principatu Cataloniae vel extant, vel aliquando extiterunt, notis & obſervationibus illuſtratum, in 4. Edit. Cervariae Lacetanorum typis Academicis 1762.] Fineſtres.

Jacobus Caresmàr, Catalanus, Praemonſtratenſis Canonicus, ſuique Regii Coenobii, vulgo *de las Avellanas*, iterum Abbas. (Diſſertatio Hiſtorico-Critica, qua S. Severus Epiſcopus & Martyr Sedi & Civitati Barcinonenſi denuo aſſeritur ac vindicatur. Edit. Vici 1764.) Careſmàr.

Franciscus Xaverius Fluvià, Gente Catalanus, patria Olotenſis, S. J., in Bethlehemitico Barcinonenſi Collegio Primarius Scholaſtices Anteceſſor, deinceps Cervarienſis Collegii Moderator. [Vita S. Ignatii a Loyola Societatis Jeſu Inſtitutoris, duobus voluminibus in 4. comprehenſa.] Fluvià.

Petrus et Raphael Rodriguez Mohedano, Minoritae, Theologi Profeſſores in Boetica. (Hiſtoria Literaria Hiſpaniae tom.I. edit.1766.) Mohedano.

Franciscus Xaverius Elias, Gente Catalanus, Patria Cervarienſis in Coelſonenſi Dioeceſi, Sacrorum Canonum in Cervarienſi Academia Doctor & Profeſſor, Congregationis Barcinonenſis Oratorii Sancti Philippi Nerii Presbyter. (Vita Ven. Joſephi Gaſchii, Gente Valentini, profeſſione Fratris Minimi, dignitate Archiepiſcopi Panormitani: Epitome Vitae ac Scriptorum S. Franciſci Saleſii. Et haec lingua vernacula hiſpana. Tum Vita Ven. Auguſtini Carùſii, Catalani, ex eadem Barcinonenſi Congregatione: Nova Editio Petri Fontidonii Hiſpani Operum, cum Commentario de Authoris Vita & Scriptis: haec jam prelo parata.) Elias.

Eos itaque, ceteroſque bene multos, hodiedum Eruditionis fama inclarantes [quos cum laude lubens recenſerem, ſi eorum ſcripta fortunata mihi ſorte noviſſem] fuſe dabit egregius Criticus Nomenclator *Nicolaus Antonius* in Bibliotheca hiſpana nova, cum locupletiſſimis Additionibus, vel jam editis, vel propediem edendis. Fertur enim *D.Andreas Gonzalez de Barcia*, Regius in Supremo Caſtellae

lae Senatu Conſiliarius, novam paraſſe Bibliothecae Hiſpanae editionem, copioſiſſimis auctariis inſigniter locupletatam. Valeant itaque ac erubeſcant evicti aliarum Gentium Pſeudo-Criticelli, dum adeo minus prudenter, erudite, ac critice Scholaſtice, ejuſdemque perenni Sedi Hiſpaniae commentitios inſcitiae naevos imponunt.

XII. *Momentum VI. exortum a laxioris doctrinae naevis, qui opera Scholaſticorum, maxime Hiſpanorum, in Moralem Theologiam irrepſerunt: cum elogio Genetti & Concinae, quatenus corruptae Moralis Reformatores nuncupantur.*

Inſurgunt VI. Scholaſtice, quam Ethicae, ſeu Moralis Theologiae Matrem diximus, ejuſdem potius Noverca, quam Mater eſt. Equidem Scholaſtici, & cumprimis Hiſpani, illam potius obſcurarunt, adulterarunt, ac foedarunt, quam illuſtrarint; quandoquidem illam uno agmine commentati ſunt, non Scripturis, Conciliis, Patribus, Eccleſiaſtica Traditione innixi; ſed ſubtilioribus duntaxat argutiis a ratione naturali petitis. Hinc ea, qua gaudebant in Schola ſubtilius argutandi libertate, non modo putidum Probabiliſmum, de quo noſtra tandem aetate apud ſaniores Theologos jam actum eſt; verum etiam perplurimas, opiniones laxiſſimas, in extremam morum, animorumque corruptionem, & perniciem vergentes invexerunt: & quidem ſubtilioribus hiſpanis Ducibus, inter quos merito recenſentur *Joannes Azòr*, *Franciſcus Suarez*, *Gabriel Vazquez*, *Thomas* & *Joannes Sanchez*, *Antonius Eſcobàr*, *Joannes Caramuel*, *Leander a Ss. Sacramento*, *Matthaeus Moya*, praeſertim ſub larvato nomine *Amadaei Guimenii*.

Adeo ipſi & ipſis plerique ſimiles ad ſeveram laxiorum ſuarum opinionum proſcriptionem, pro corrupta Morali reformanda, plures Summos Hierarchas compulerunt; puta Alexandrum VII., Innocentium XI., Alexadrum VIII., Innocentium XII., Benedictum XIV. [*m*] Exinde Moralis Hiſpanorum Theologia apud alias Gentes laxior audit.

Subvertitur funditus, cum vindiciis Scholaſticorum, maxime Hiſpanorum: ferturque judicium de Genetti & Concinae Commentariis.

At eos plane ſubtiliores Morales invicte confutavit, planeque moralem Theologiam reformavit, illuſtravitque *Franciſcus Genettus*, Vaſſionenſis Antiſtes, qui fl. circiter 1677., & quidem non petitis teſtimoniis ab Scholaſticis ſpeculationibus, & ratione philoſophica ſeu naturali; ſed a ſacris Codicibus, Patribus, Conciliis, Eccleſiaſticis Canonibus, paſtoralibus Praeſulum documentis; ex iis quippe petenda ſunt, non ex ſubtilibus Scholaſticorum ratiociniis ſolida ad ſaniorem praxim documenta. Quin & ipſum hac tempeſtate perinſigniter aemulatus eſt, cum nova Moralis Reformatione, *Daniel Concina*, ex Ord. Praedic., cujus ſanior & probatiſſima doctrina adverſus Probabiliſmum, aliaſque nimium laxas, putidaſque Scholaſticorum opiniones, Hiſpaniam & Mexicanas plagas jam pervagata, ibidem haud exiguo plauſu recepta eſt. Haec virulenta convitia in Scholaſticen ejuſque Profeſſores paſſim intorquentur: at prorſus immerito.

Etenim imprimis nequit in dubium jure verti, quin primi, ac fere unici, vel ſaltem praecipui, Scholaſtici poſt Magiſtrum, aduſque aetatem *Joannis Azòr*, hiſpani, S. J., Moralis juxta ac Scholaſtici praecellentis Theologi, qui deceſſit an. Chr. 1607., accura-

alii

(*m*) In ſuis reſpectivis Decretis ejuſmodi opiniones proſcribentibus, quae paſſim ab Authoribus Moralibus circumferuntur.

tas momentisque probatas pro moribus & conscientiis dirigendis Regulas, necnon praxes plurimas elucidatas tradiderint. Quod si ipsis alii posteriores novas cuderint regulas aut praxes, vel a sacra authoritate, vel a naturali ratione exorbitantes, ipsorum crimen esto, non Scholastices novercantis.

At quodnam vero dixeris crimen, errorem [mea quidem sententia invincibilem] versantem circa sententiam, pro qua adferenda, seu neganda, aut ex sacra pagina, aut ex Conciliis, aut ex Patribus, aut ex Jure Canonico, aut ex inconcussa Ecclesiastica disciplina nullum omnino perspicuum suppetit documentum? Et quidem ejusmodi pene innumerae sunt in re morali sententiae, cum totidem sint eventus, qui in tanto rerum, hominumque discrimine passim occurrunt. Tunc igitur ejus generis dubia, etiam quae profunde latentem indicant veritatem, una duce ratione naturali, decidenda sunt. Quid vero ubi tanta ceteroquin est ingeniorum etiam sublimium a natura, seu origineo peccato insita imbecillitas & insciatia? Quidni & eadem aliquando ingenia in ejusmodi opinationibus ex altissima Sedis Apostolicae specula videantur invincibili errore laborasse?

Hinc Pontificiae thesium, quae indicantur, proscriptiones, praefulgentium instar siderum aestimantur; quippe quibus perobscurae nebulae, quarum copia Moralis Facultas obsita est, nitide ac tuto depelluntur. At neque ipsi, quorum errores Vaticani fulmine feriuntur, quoad cetera suam amittunt authoritatem; quemadmodum dixeris de vetustioribus illis Patribus, qui in nonnullis enormiter aberrasse deprehensi sunt.

At plurimum errarunt hispani Scholastici: id tamen consequens fuerat, cum ipsi plurimum Consulationibus & Commentariis Rem Moralem versarint. At errarunt illi ob nimiam in subtilius de rebus moralibus investigandis libertatem; cum in iis prudentiale judicium, non insolens ingenii subtilitas decidere debeat. Hoc vero gratis adsumitur. Principio enim alii plerumque hispani proscriptas suorum Authorum theses primum acriter confutarunt; ac nulla fere ex hispano confixa inter hispanos communius obtinuerat.

Deinde haec una Moralium hispanorum vox est; quod nulla valeat in re Morali admitti opinio, quae gravi fundamento, adeoque prudentiali judicio non innitatur; esto argutiis utcumque apparenter subtilibus adornetur: quocirca si quis opinando erraverit, ipse, dubio procul invincibiliter existimavit, suum fundamentum grave esse, & a viris prudentibus adprobandum; subindeque perhumaniter venia donandus. Neque vero ad errandum in rebus tam obscuris & incertis magno ingenii acumine opus est; minus tamen videtur errori obnoxius, qui profundiore doctrina praeditus, subtiliore insimul mentis acie plura & perspicacius de objecto viderit adprehenso.

Sed neque plurimum Scholastici hispani certo errrarunt. Siquidem minima pars Authorum, quorum theses morales, numero

fere 150., laudati Pontifices profligarunt, ex hiſpanis conſtat; ceteri vero exteri ſunt, qui longe minus quam hiſpani de re morali conſcripſerant: videlicet & Luſitani, & Galli, & Itali, ac ex iis Siculi, atque Neapolitani, & Belgae, & Germani: quod quidem, ſi modo expediret, ſuos unicuique naevos adpingendo, facile critica enumeratione evinceremus (*n*).

Hoc plane conſtat; hiſpanos prae ceteris laudatas proſcriptiones religioſius, ſeveriuſque retinuiſſe, necnon ſolidis prolixiſque commentariis illuſtraſſe ac defendiſſe.

Hiſpani ſinguli Authores probri loco adducti, ſunt bene ſapientibus pro rei moralis deciſionibus e primo ſubſellio; eſto unus vel alter ex eorum coetu in errores aliquos humanitus inciderit. Moya vero ſub Amadaei Guimenii larva id unum intendiſſe videtur; videlicet opiniones morales Jeſuitis quibuſdam tanquam laxiores exprobratas, aliorum exemplis vindicare: & ipſe quidem Guimenius in Hiſpania nulla inuſtus nota, impune ad uſum deſervit.

Quod autem ſpectat decretum, quo Alexander VIII. die 7. Decembris 1690. Theſes XXXI. confixit, perparum quidem, aut fere nihil morales Theologos, immo potiſſimum ac directa acie Bajanos & Janſenianos ferit; eos nempe, qui ex animo Scholaſticen oderunt [*].

Sugillantur inſuper Scholaſtici, quod ſpeculationibus ſuis Probabiliſmum invexerint; at eum pariter Scholaſtici Probabilioriſmo inducto pugnaciſſime confutarunt: & plane neſcias utra pars ſolidius, acrius, ſubtiliuſque rem ſuam promoverit.

Neque vero adeo antiquatus eſt Probabiliſmus, ut tot, tantique

(*n*) Singulos ſparſim indicamus in noſtra *Theologia Morali-Dogmatica*, praeſertim ubi agitur de hiſtoria, ſeu falſitate proſcriptarum theſium.

ADNOTATIO.

(*) IN luculentam hujuſce poſitionis confirmationem conferendus *Anonymus Scriptor* libelli, cui titulus *Janſeniſmus plurimas haereſes & errores damnatos pertinaciter defendens*, editus Coloniae Agrippinae, permiſſu Superiorum, an. 1693. qui nempe ibi Gradu IV. & V. ſingulis quibuſque illius decreti propoſitionibus legitimos ſuos adſignat Authores: puta *Janſenium* Iprenſem, *Joannem Sinnichium*, *Authorem* theſium Lovanii 14. Auguſti 1651., *Antonium Arnaldum*, *Franciſcum Van Vianen*, *Authorem* Canonum Poenitentialium Gandavi editorum 1672., *Authorem* Catechiſmi Gandavenſis, *Theophilum Parochialem*, *Authorem* libelli, praenotati *Exercitia interna ad moriendum in ſpiritu*, *Joannem Heſſelium*, Baii ſocium, *Authorem* monitorum ſalutarium, *Morinum*, *Matthaeum Rouvroy*, *Anonymum Vindicem* Inſtructionis Petri Van Buſcum, *Macarium Havermans*, *Authorem* rationum motivarum, ob quas viſum fuit Epiſcopo Gandenſi non promulgare Bullam Urbani VIII. adverſus librum Janſenii: nec quidem alium unum. Sed iis tamen *Dominicus Viva* in earundem theſium expoſitione ſuperaddidit *Calvinum*, *Lutherum*, *Chemnitium*, *Bucerum*, *Chamierum*, *Bajum*, *Bajanos* univerſim & *Janſeniſtas*, *Jacobum Pontanum*, *Gerardum Van Vuerm*, *Aegidium Gabriells*, *Carolum ab Aſſumptione* ſub larva *Germani Philaletis*, *Joannem Mariam Scribonium*.

que Scriptores ejuſdem Patroni authoritatem miſſam fecerint; nec de ipſo adeo conclamatum, ut eum multi ubique gentium Doctores ſpeculative, ut ajunt, non retineant, & practice plurimi; immo omnes, qui jure nolint viam ſalutis pene imperviam, ſuaveque Chriſti jugum millenis periculis implicatum, horridumque; uti Probabiliſtae paſſim contendunt. Plane abſit alteram ex hiſce partibus cenſoria virga carpere, dum utramlibet ſuis circunſcriptam limitibus, Eccleſia tuto permittit: nequeunt vero temeritatis notam non incurrere quotquot hiſpanos ex eo laxiores aeſtiment, quod Probabiliſmum, hoc eſt opiniones benignas libertati faventes, gravi fundamento ſubnixas, frequentius tueantur.

Quid vero de Genetti Theologia? Ergone laxam Probabiliſtarum Moralem reformavit? At plurimi ex iis viciſſim ſuam rigidam Probabilioriſticam Moralem caſtigarunt. Scholaſticos quoſque ipſe reformavit, quatenus univerſam fere Moralem tradidit, non ſubtilibus argutiis, ſed ſacra aut veneranda authoritate fundatam. At non ita feliciter rem votis optatam confecit: etenim, plurimis praetermiſis, quae fuſius alias perſequimur (*o*), frequentiſſime ſuis hinc inde petitis, ac repetitis textibus, nec quidquam evincit, nec probat; cum minime pro ſingulis Moralibus adſertis legitimi ex Scriptura, Patribus, aut Canone [quod ceteroqui porro optandum & quidem optimum] ſufficiat documentum. Quo fit ut cum aliunde minus cordate affectet omnem a Morali Schola naturalis rationis uſum ablegare, paſſim theſes ſuas tanquam Oracula ex tripode effuſa lectori admittendas exhibeat: quo quid ridiculum magis rationali viro offerri poſſit, non videris. Genettum quoad haec a vero nimium aberrantem diu in anteceſſum *Canus* perſtrinxerat (*p*).

Nec longe huic abſimilem fortunam Concina paſſus eſt. In Hiſpania, Mexico, aliiſque literariae Reipublicae plagis ſunt qui ejus doctrinam recipiant, quique rejiciant: qui cum *Dinello*, *Mamachio*, & aliis acerrimis Probabilioriſtis defendant; & qui cum *Noceto*, *Bovio*, *Gravina*, *Bala*, *Ghezzio*, *Richelmo*, *Zacharia*, perdoctiſque aliis Probabiliſtis acrius explodant. De iis vero ſat ſuperque.

XIII. *Momentum VII enatum ab Scholaſtices inutilitate ad Haereticos refutandos; immo ab occaſione, quam ipſa praeſtat ad haereſes coaptandas.*

Inſurgunt VII. Nec minore titulo fas eſt Scholaſticen compellare, vel Polemicae Theologiae inutilem, vel Novercam. Scilicet inutilem; quandoquidem priſci Patres ante Scholaſtices inventionem multas paſſim haereſes confutarunt: tum ipſa jam inventa & propagata, in Conciliis Lugdunenſi II. & Florentino Graeci de ſuis erroribus per Latinos evicti ſunt, & quidem abſque Scholaſtices uſu, quem ut reciperent haudquaquam Graeci adduci potuerunt. Quin etiam ſubceſſivis aetatibus permulti abſque ejuſdem uſu, ſed ſolutis dumtaxat & energicis diſſertationibus plures haereticos perſtrinxerunt: ſic, ut innumeros praetereamus, in Poſſanenſi Colloquio Laynezius perſtrinxit Bezam; Perronius Pleſſaeum; Cellotius Petrum

(*o*) In *Theologia Morali-Dogmatica* tract. de Conſcientia in Proleg.

(*p*) Tract. de loc. Theol. l. 9. a cap. 2.

Aurelium; Petavius Salmaſium, Arnaldumque; Boſſuetius Claudium; Fenelonius Janſeniſtas.

Quid? Quod & ſubtiliores Scholaſtici cum Acatholicis congrediendo impares ſunt: uti cunctorum exemplo eſt Silveſter Prieras, magni nominis Scholaſticus, primus ſcriptis cum Luthero Pugnator, at valde tenuis; quem nempe ſubridens Haereſiarcha ſarcaſmis & ſcommatis deſpexit; quod veritates catholicas potius Summorum Pontificum dictis & factis, quam ſacrarum Literarum, Ss. Patrum, veterumque Conciliorum teſtimoniis, viſus fuerit comprobaſſe: quocirca de ipſo Scholaſtico dixit Natalis Alexander, quod *Lutheri ſophiſmata detexit potius quam confutavit* (q). Ergo ne hic Scholaſtices vigor ad haereſes evincendas?

Et deinde novercam. Nam aſſueti Scholaſtici ratiocinii naturalis argutiis & ſubtilioribus ſpeculationibus ultra praefixas unicuique metas tenaci propoſito convolare, proclive illis eſt a veritatis, necnon fidei tramite difficillime revocandis, praecipiti lapſu deflectere; praeſertim ubi Scripturarum, Conciliorum, & Patrum praeſidia deſunt. Ex quo quidem fonte conjicere licet, haereſes prodiiſſe plurium ex iis, qui in Scholae ſubtilitatibus fuerant nobilius enutriti: ut ſpeciatim dixeris de Wicleffo, Huſſio, Hieronymo Pragenſi, Petro Oxomenſi, Luthero, Carolſtadio, Bajo, Molinoſio, ac ſimilibus. Noxia ergo ad ſinceram, illibatamque ſervandam fidem Theologia Speculatrix, quam propterea latius fuerit ab Scholis Catholicis exſulare.

Profligatur facile & in objicientes retorquetur.

Verum enim vero haec ita invidioſe conſlata perpaucis refutata cadent. Et imprimis ſat hucuſque ſuperque Scholaſtices utilitatem evicimus. Deinde quis libenter non fateatur, multimodis poſſe acatholicos, etiam abſque uſu Scholaſtices mehodi perſtringi? Conſtanter tamen arbitramur, nullo alio modo quam cum Scholaſtica forma eos brevius, efficacius, evidentius, felicius argui, deprehendi, refutari, convinci. Eſto, unus levi, tenuique calamo dedecertarit Prieras, eumque ſubinde merito Lutherus irriſerit: at nec idem irriſit Eckium; nec ſui poſteri irriſere Tapperum, Becanum, Serarium, Piclerum, & alios pene innumeros, a quibus ſub Scholaſtica forma, rationiſque ſubtilis ope ſunt invicte debellati. Et lepide quidem dici ſolet, quod una hirundo ver non efficiat.

Quiſnam inſuper prudens ex abuſu divinorum auxiliorum, Eruditionis Eccleſiaſticae, ſelectiorum facultatum, immo & eorumdem Chriſti Domini Sacramentorum, rite colligat & urgeat argumentum, quo vel haec noxia, vel noxium eorum uſum probet, ac confirmare nitatur? Porro Scholaſtice ex ſuimet inſtitutione cuncta fidei dogmata tenet: ab eis vel latum unguem diſcrepari prohibet: ſubtiliores velitationes exercet ipſorum dogmatum gratia, ut nempe data

(q) In Hiſt. Eccleſ. Tom. IX. c. 2. art. 10.

data pugnae opportunitate, ſciat mens jam ab inde exculta, ſubtilia captioſaque haereſeωn momenta ſubvertere. Quid vero, ſi uſui ſalutari ab Scholaſtice excepto nefandus abuſus ſupervenerit? Totum plane ſcelus abutenti, minime Scholaſtice adjudicandum. Dixeris ergo Scholaſticos Wicleffum, Molinoſium & alios Haereſiarches nothos ac illegitimos Scholaſtices foetus, haudquaquam Scholaſticen novercam.

At iſta ſatis de Obtrectatorum Confutationibus. Ad ulteriores Scientiae noſtrae commendationes, quo fidem noſtram liberemus, progrediamur. Quin & Scholaſticen interea digniſſimo *Moderni Authoris*, quem tacito nomine *Franciſcus Henno* laudavit (*r*), praeconio ſalutamus: *erit* (ajebat ille) *erit ſemper, quidquid reclament tenebriones, erit Theologia Scholaſtica Eccleſiae Lumen, Fidei columen, trutinæ veritatis, errorum Clava, nodorum gladius, fulmen haereſum, Myſteriorum fax, & Catholicae doctrinae lapis lydius* (*).

(*r*) In triplicis Theologiae tom. 1. Diſp. prooem. quaeſt. 7. Concl. 11.

ADNOTATIO.

(*) NEque vero iis adſertis vel apice uno obſiſtere putaverim quae plura adverſus noſtram Scholaſticen congerere placuit Cl. V. *Aloyſio Antonio Verneio*, Eborenſi Archidiacono, in lib. 1. & 2. partis alterius ſui Adparatus ad Philoſophiam & Theologiam, in quem urgente ad hanc paginam prelo, neſcio quo fato, incidi. Ibi enim Vernejus, praeſertim l. 1. c. 9. & 10. recoctam duntaxat crambem ex iis quae in Scholaſticen objecerant Gualterus, Clemangius, Bulaeus, ac prae ceteris copioſius Conſtantinus Grimaldus, regerit, obtruditque.

Nec aliud ipſe e proprio penu fortaſſe reponit, quam alias quandoque voculas, aliumque ordinem, quibus proprio penitus marte videatur differere, atque ex tripode definire, quae ex Grimaldino fonte pene cuncta deprompſit: ratus, me judice, Moderni Critici Lauream ſibi non praeripiendam, ni Scholaſticen viriliter exagitare adfectaret.

Ceterum qui ea, multoque plura toto Capite abunde explosimus, nuperrimum hunc declamatorem, Repetitoremque lubenter miſſum facimus; ſurdiſque canere permittimus.

CAPUT

CAPUT IV.

Syntagma Scholaſtices,

prout

ab Scholis publicis, privatiſque recepta eſt & exculta, tum ab Authoribus quomodolibet illuſtrata.

ARTICULUS I. *Trium Chronologicorum Syllaborum diſtributio & materies praenotantur.*

IN ternos Chronologicos Syllabos, aut Indices materiem Tituli diſtribuimus. Nimirum Syllabus I. indicat Academias Orbis Latini, quae hucuſque ab exordio ſuo Scholaſticen receperint excolendam: Syllabus II. Sacros Coetus Regulares & Seculares, qui eam pariter ſinu ſuo amplexae ſint & confoverint: Syllabus III. Authores Scholaſticos, qui nempe eamdem quoquo modo Commentariis expoſuerint & illuſtrarint.

SYLLABUS I.

ACADEMIAE.

II *Notiores Academiae, quae Scholaſticen receperint & excoluerint, indicantur.*

TOT iſtae ſunt, quot Sacrae Theologiae Facultatem poſt enatam Scholaſticen cooptarunt. Quae vero toto literario Orbe Latino Academia Sacram hanc Facultatem non cooptarit? Ex iis notiores, ſervato quomodolibet Nationum ordine, Syllabus praeſtat: & eas videlicet, quae poſt conditam florentemque Scholaſticen erectae ſunt, aut ſucceſſivis tractibus reſtauratae; & eas, quae primum exortae, etiam tum florentes, illam vix naſcentem conſpexerunt. Ac iſtas quidem, ut chronologicus ordo nitidus fluat, quadam Juris fictione, Seculo primo, quod mox ſubſequitur, adſcribit.

III. *Academiae erectae a multis retro Seculis ad uſque An. Chr. MCC.*

SECULUM SCHOLASTICUM I.

CHRISTIANUM XII.

IN HISPANIA. ACademia *Oſcenſis*, in Urbe Oſcenſi apud Aragones, alias *Sertoriana*, quod erecta ante Chriſtum natum credatur a Quinto Sertorio, ſtrenuo Duce Romano, Sillae ac Marii coaevo, qui Oſcae peremptus eſt an. ab Urbe condita 682. ante Chriſti Natalem 88. Reſtaurata primum fertur a Petro IV. Aragonum Rege, decreto Alcañizii dato A. 1354. 12. Mart. quod dein-

Ante Chr. incerto.

Primum reſtaurata A. C. 1354.

deinceps confirmarunt, variiſque ſubjunctis privilegiis communierunt Paullus P. II. A. 1464. 19. Oct. & Julius P. II. A. 1503. 19. Oct. tum alii Aragonum Reges, ut Ferdinandus vulgo Catholicus A. 1481. 23. Aug. & Carolus V. A. 1533. 5. Decemb. (*)

A. C. circ. 1186.

Palentina in Caſtella Veteri, ante Salmanticenſem praeclariſſima, erecta ab Alphonſo VIII. Caſtellae Rege, procurante Tillione Palentino Antiſtite, ac ſuadente Rodericio Archiepiſcopo Toletano. Confirmata inſuper, ſeupotius poſt lapſum inſtaurata ab Urbano P. IV. Literis ad Palentiæ Epiſcopum & Capitulum datis, *Colebat hactenus.* 1263. 14. Maii [*s*]. Et haec quidem in Hiſpania Chriſtiana poſt Mahometicam invaſionem Academia prima feliciſſime exorta eſt. Nec ipſi porro vulgaris acceſſit gloria ex S. illo Patriarcha Dominico, qui eam & humillimus Auditor, & ſapientiſſimus Theologiae Profeſſor frequentavit (*t*).

IN

ADNOTATIO.

(*) QUod celebratiſſimus ille Sertorius Academiam, ſeu publicam Scholam ad nobilis Hiſpanae Juventutis inſtitutionem Oſcae fundaverit, teſtantur ex Authoribus exteris *Plutarchus* (in vita Q. Sertorii) *Titus Livius* (ap. *Petr. de Medina* de Magnalib. Hiſpan. c. 156.) *Sabelicus* (l. 3. ſub fin. Ennead.) *Tarcañota* (in Hiſt. mundi tom. 2.) *Juſtus Lipſius* (tom 2. l. 3. in Lovanio c. 8. p. m. 880.) tametſi peccet in Topographiam hic magnus Author, ubi pro Oſca Aragonenſi Oſcam Boeticam ſumit: ex domeſticis vero plerique rerum Hiſpanarum Scriptores cum *Joanne Gerundenſi* Epiſcopo (in Paralipom. Hiſp. l. 8. tit. de morte Sertorii & Perpennae) *Zurita* (in Annal. Argon. l. 8. c. 54.) *Hieronymo Pujades* (in Cataloniae Chronico l. 3. c. 65.) *Franc. Didaco de Aijnſa* (in Comment. de rebus Oſcenſibus l. 5. c. 1. & 2. quem conferas.)

Quod autem Sertoriana haec Schola, ad Graecae Latinaeque linguae diſcipli. nas perdiſcendas unice tum inſtituta, fluxu temporum poſt bina ſeu terna Secula prorſus exciderit, mihi certo certius eſt. Quocirca forte quis in dubium vertat, quo jure junior altera Scientiarum omnium Academia, hodiedum Oſcae florens, Sertoriana ſit & nuncupetur; cum nequidem umbra ejuſce clari cognominis in ullo ex iis quae laudavimus, pro ſua reſtauratione privilegio oculis obverſetur. Niſi forſan Oſcenſes Academici in Sertorii ſuique Gymnaſii immortalem laudem hoc ſibi praegrande nomen adſciverint. Re tamen ipſa junior haec minime inſtaurata, ſed primum, ſuo annuente Principe, ſub an. 1354. fundata dicenda eſt.

(*s*) Equidem ex laudatis Urbani literis aperte diſcimus, eum Palentiae denuo Lyceum erigere, quod primum florens, ac deinde collapſum & diſſolutum Pontifici moerentes Palentini retulerant. Et ex iis quidem dubitari merito licet, num id ipſum Lyceum cum cathedris, earumque redditibus reapſe Salmanticam traductum ſit ab Alphonſo, Salmantini Gymnaſii conditore, ut vulgo adſerere videntur Hiſpanicarum rerum Scriptores cum *Mariana* (l. 13. c. 1 ad an. 1239.); vel potius num Palentinum ſibi relictum, ob maximam, quam Salmanticenſe vix conditum ſibi peperit nominis famam & confluentium frequentiam, ſponte ſenſim corruerit.

(*t*) Ita uno pariter conſenſu S. Domini. ci Biographi, ex quibus recens *Echardus* chronologicam tabulam actorum S. Dominici Palentiae ac alibi ubique confecit in ſua Bibliotheca tom. 1. p. m. 86.; ipſamque noviſſime excriptam cenſuerunt, expoſuerunt, amplificarunt *Bollandiani* tom. 1. Auguſti in comment. praevio ad Sancti vitam a p. m. 363.

An. ante & post Chr. incerto.

IN ITALIA = *Romana*, & ipsa quidem antiquissima juxta ac florentissima; sed cui tamen, aut ante, aut post Christi adventum florenti nullam fixam erectionis Epocham jure valeas consignare. (*)

Medio-

ADNOTATIO.

(*) EQuidem, ut mittam Romanas Scholas complurimas, quae ante Christi adventum a Philosophis, Grammaticis, Rhetoribus, Poetis, & ipsis quidem summis & immortalibus viris, frequentatae sunt, primus Nero Imperator dicitur in Urbe post Christum natum construxisse Gymnasium, & alterum deinde Sura Licinius, Traiani familiaris. Et vero Vespasianus & Adrianus, perdocti Principes, duo primi Romanae Academiae seu Universitatis Authores habentur; ac eo quidem titulo perpetuo commendendi, quod ille primus Professoribus publicis Minervalia, seu salaria constituerit, & primus hic Athenaeum illis aut Scholam construxerit.

Porro quod sub Theodosio II. floruerint in Urbe Scholae publicae, ad quas exteri, docendi confluerent, liquet ex lege Valentiniani Principis, *Quicumque ad Urbem*, ad Olybrium P. U. missa, & habetur in Codice Theodosiano, sub an. Chr. 438. promulgato: de qua consulendus *Conringius* in novo Thesauro Antiquit. Roman. tom. 3. p. m. 1199.

Sed in his tamen Lyceis vel Scholis sub Romanis, Gothisque Principibus seculares dumtaxat literae excolebantur.

Primus autem S. P. Gregorius M. erudiendo sacris disciplinis Clero Scholam Palatinam instituit in Patriarchio Lateranensi, quod tum temporis summi Pontifices incolebant: ibique etiam medio aevo Schola sacra diu viguit; sed tandem aliquando funditus ruit. Succedente deinceps splendore literis, Innocentius P. IV. Juris utriusque studium in Urbe restituit. Tum Honorius P. III. sacram Scholam Palatinam denuo erigit, ac instituto, qui ei praesit, Sacri Palatii Magistro, mirum in modum promovet: ac hujus quidem Scholae spectatissimi Professores, puta S. Patriarcha Dominicus, Albertus M., S. Thomas Aquinas, B. Ambrosius Sansedonius, Sacrae Theologiae (& absque dubio Scholasticae) studia & exercitia in Urbe erigunt, promoventque.

Et en incunabula, seu praeludia studii Generalis, Universitatis, aut Academiae, quae diu vulgo nuncupata est *Romana* & *Alma Sapientia*; quam videlicet ad instar plurium Academiarum, quas jamdiu Lutetia, Palentia, Oxonia, Salmantica, Tolosa, Ulissipo sinu suo confoverant, primus omnium instituit, ac privilegiis insignivit Bonifacius P. VIII. Literis Agnaniae datis 1303. 8. Jun. quibus initium *In Supremae*.

Et ita quidem mihi liquido subinferri videtur ex laudata Constitutione; quidquid *Josephus Carafa* (in lib. de Gymnasio Romano c. 6. n. 1.) primam hujusce Gymnasii institutionem aliis adscripserit Pontificibus, nempe Innocentio IV., Honorio III., Urbano IV.; sed nullo tamen in medium adlato documento.

Hanc vero Sanctissimi Bonifacii Successores perhonorificis diplomatis quasi certatim confirmarunt, novisque constitutis, atque privilegiis communierunt.

Nimirum Joannes XXII. Const. *Dignum duximus* 1318. Pontificatus an. 2. Innocentius VII. Dipl. *Ad exaltationem*. 1406. 1. Sept. Eugenius IV. duplici Constit. quarum una lata est 1431. & altera incipit *A supremo Patrefamilias*. Leo X. Const. *Dum suavissimos*. 1513 5. Nov. & Const. *Quam omnibus*. 1514. Gregorius XIII. Const. *Sapientes*. 1547. in qua Scholae publicae *Sapientiae* dicuntur *Gymnasium Urbis*, unde Universitas Urbis dici coepit *Archigymnasium*.

Tum Clemens XI. & Benedictus XIII. quatenus ambo Academiam Theologicam, quae nobilis pars est ejusdem Archigymnasii, praerogativis locupletarunt: ille videlicet Const. *Inscrutabili*. 1713. 23. Apr., hic vero Const. *In excelsa*. 1726. 6. Maj. Postremo Benedictus XIV. Const. *Inter conspicuos Ordines*. 1744. 29. Aug. qua Praedecessorum omnium privilegia roborat, pluraque superaddit.

Vere quidem & egregie Lusitanus ille *Macedo*, laudati Lycei Professor & magnum decus, de ipso differens; *haec*, inquit, *Urbis Sapientia hoc jure* ARCHIGYMNASIUM *dicitur*, *quod amplitudine*

Autho-

Mediolanenſis plane antiquiſſima. P. Virgilius Maro & Caecilius Plinius ſecundus Mediolanenſe Gymnaſium frequentaſſe traduntur: qua quidem aetate praeceptores de publico conducti vicinorum quoque municipum liberos inſtituebant. Tum à tempore SS. Doctorum Ambroſii & Auguſtini florebant Mediolani Scripturae ſacrae & amaeniorum literarum ſtudia. Haec vero fluxu temporum perierunt. Deinde Canobius quidam Academiam, quam Canobianam dixerunt, erexit. Et in iſta quidem, ſeu in alia ſimili poſterius inſtituta literis operam dedit Pius P. IV., qui fuiſſe dicitur e Doctorum Mediolanenſium Collegio (*u*) (*). A. incerto.

Syracuſana in Sicilia inſtituta eſt a Platone, qui in ea ſuam Philoſophiam edocuit: (*x*) hic vero deceſſit an. m. circiter 3668. ante Chriſti adventum 332. Ante Chr. incerto.

Tum aliam erexerunt Syracuſani in honorem Timoleonis (*y*), & eam frequentaſſe fertur Publius Scipio cum in Africam trajecturus Syracuſis moraretur (*z*) (**).

Authorum, operis magnificentia, Praefectorum nobilitate, Profeſſorum peritia, doctrinarum varietate, Cathedrarum multitudine, ceteris Academiis, in quibus palam exercentur ingenia, atque adeo Gymnaſia adpellantur, videtur anteire. (in deſcript. Archigymnaſii Romanae Sapientiae p. m. 10.) Plura de hoc argumento Romanarum rerum Scriptores, cum Cl.V. *Joſepho Caraſa* in Comment. de Gymnaſio Romano.

(*u*) Conf. *Andr. Alciatum* in Hiſt. Mediol. l. 2. ſub fin. & *Ripamont.* in Hiſt. Urbis Mediol. l. 11.

ADNOTATIO.

(*) *Origia* in Hiſt. Mediolanenſi l. 1. c. 2. p. m. 10. definit, Mediolanenſe Gymnaſium a Romanis Imperatoribus fuiſſe conditum, ac in eo P. Virgilium Maronem Philoſophiae lauream accepiſſe. At nugari videtur hic Author. Priſcis enim temporibus fuerunt ejuſmodi laureae proſus incognitae; ac vulgo traditur, eas primum Chriſtiano Seculo XII. Gratianum pro Juriſperitis Bononiae, ac pro Theologis Pariſiis Petrum Lombardum inſtituiſſe. Quinimmo dum *Antonius a Wood* & alii inferius adducendi (ubi de Academia Oxonienſi) fidem adhibent effictis quibusdam Regiis ac Pontificiis Reſcriptis, in quibus jam ab an Ch. 531. haec nomina *Laurea, Doctoratus* & id genus alia non ſemel inſonant, ab Eruditis exſibilantur. (Conf. *Middendorp.* l. 1. c. 7. *Bulae.* tom. 1. a p. 284. *Mend.* de Jure Acad. l. 1. quaeſt. 14. num. 355., ubi plura de ejuſmodi Gradibus.)

(*x*) *Plutarchus* in Vita Dionis, & ex ipſo *Jacobus Bonnanus* in Syracuſa antiqua l. 1. c. 1. §. 22. ap. *Graevianum Theſaurum* antiquitatum Italiae tom. II.

(*y*) *Plutarch.* in vita Timoleonis.

(*z*) *Valer. Maxim.* lib. 3. cap. 6.

ADNOTATIO.

(**) Bonanno quoad Timoleoneam Academiam Plutarchum & Valerium ſequuto §. 28., repugnat ejuſdem Adnotator in Nota 1., contenditque Gymnaſium illud, de quo Plutarchus diſſerit, haud Scholam literariam fuiſſe, ſed palaeſtram militarem. Mea tamen opinione, Plutarchi & Valerii textibus, contextibuſque diligenter perpenſis, rem non conficit.

An. incerto. *Meſſanenſis* etiam in Sicilia ab antiquiſſimis temporibus extitit; adeo ut nonnemo magnam Siciliae Scholam eam adpellarit. Eadem, ſi *Bonfilio* (*a*) fides ſit, ſub an. 1596. efflorebat.

An. Chr. 526. *Ravennatenſis* a Theodorico Rege, Boethio & Caſſiodoro ſuadentibus, inſtituta (*b*). Florebat adhuc ſub an. 549. (*c*) In ea ſub an. 1119. ſeptem Artes Liberales docebantur (*d*). Demum inſtauratur anno 1267. (*e*) [*].

793. *Ticinenſis*, aut *Papienſis* floruiſſe videtur quaſi publica quaedam ſcientiarum Schola, fortaſſis annuente Theoderico Rege, ſub an. circ. 522., cum in ea Urbe verſarentur ſcientiſſimi illi Viri Boethius, Caſſiodorus, Epiphanius Antiſtes, & Ennodius ejus Diaconus. In publicam Academiam, ut conjectari licet, erecta eſt a Carolo Magno Imp. an. circ. 793. [*f*]. Mirum in modum floruiſſe creditur ſub an. circ. 1030., quo ſapientiſſimus *Lanfrancus* in ea Scientias praelegens diſcipulum habuit Anſelmum de Badagio, deinceps Alexandrum P.II. (*g*). Reſtaurata eſt a Carolo IV. Imp. Diplom. *Rectrix humani*. 1361. 13. Apr. Tum confirmata a Bonifacio P. IX. Conſt. *In ſupremae*. 1399. XVI. Cal. Decemb. Demum a Ludovico Maria Sforcia Anglo, Mediolani Duce Diplom. *Illas Civitates*. 1496. 19. Jan. lato privilegiis communita (*h*) [**]. *Bona-*

(*a*) In Hiſt. Sicula l. 10. p. m. 681.
(*b*) Ap. *Paſſolinum* de Ravennatenſib. excellent. p. 1. p. m. 159. ex *Roſſio*, vel *Rubeo* in Hiſt. Ravennat. lib. 3. ad an. 226.
(*c*) Ap. laud. *Paſſolin.* p m. 190. ex *Rub.*
(*d*) *Ibid* par. 2. p. m. 78. ex lectionibus Officii S. Aldobrandi.
(*e*) *Ibid.* ex *Rub.* lib. 6. ad eum an.

ADNOTATIO.

(*) HAec *Paſſolinus* ex *Rubeo* quem nulla abſque critice videtur exſcripſiſſe. At neuter, ſaltem quoad epocham, quam Academiae erectioni, Authori, & primo flori adfigunt, ab Eruditis Viris exauditur.

(*f*) Ita *Anton. Gattus* in Gymnaſii Ticinenſis Hiſt. cap. X. ex *Henrico Pantaleone* de Viris Ill. totius Germaniae par. 2. in Carolo Magno, *Bulaeo* de Pariſ. Univ. tom. 1. p. 96. et 97., *Papirio Maſſonio* in Annal. Francor. in vita Ludovici Pii.
(*g*) Ex eodem *Gatto* c. XII.
(*h*) Ibid. *Gatt.* capp. XVI. & XVII.

ADNOTATIO.

(**) GAtti, aliorumque Sententiam, initium huic Academiae a Carolo M. repetentem, uti falſam noviſſime exploſit Cl. V. *Muratorius* (Diſſert. 44. ſub init.) Fatetur ipſe quidem, Carolum literarum ſtudium quanto potuit ardore animi in Gallia, Germania ac Ticini procuraſſe, nonnulla unius vel alterius facultatis Gymnaſia ibidem erigendo, quae cujuſpiam Academiae ſemina dici poſſint; ceterum pro virili abnegat, Academias, aut Univerſitates, vel omnium ſcientiarum Scholas, cujuſmodi ſunt, quae ſub nomine Academiae modo veniunt, inſtituiſſe. Immo nec ullam ejuſmodi Academiam ante annum MC. fuiſſe in Italia erectam contendit. Ceteroqui, inquit „ ſi „ Academiis iſtis a tanto tempore gloria„ batur Italia, mirum videatur, cur Pa„ riſienſes ac Turonenſes Scholae ſub ini„ tium Seculi XII. ab Italica Gente, „ propriis contemptis anteferrentur, . . „ quî enim tantus languor Seculo IX. & „ X. in Italia literas invaſiſſet, ſi haec

„ jam

Bononienſis, communi olim exiſtimatione antiquioribus poſt Chriſti adventum adnumerabatur. Eſt qui ejus originem deduxerit a Theodoſio Minore Imp. ſub. an. 433; quique cum *Bulaeo*, a Carolo M. ſub an. circ. 780. Veroſimilius forſan, cum laudato *Muratorio*, tacito ejus Authore, primum erecta dicitur ad Juriſprudentiam edocendam ſub an. circ. MC. [*].

Famoſam hanc Academiam, dictam a nonnemine prae ceteris Italicis ſtricte nuncupatis Academiis, aut Studiis Generalibus antiquiſſimam, mirifice illuſtravit S. *Raymundus* de *Peñafort*, Barcinonenſis, fato functus an. 1275., qui in ea & Utrique Juri navavit operam, & de Utroque Lauream reportavit, & Utrumque Magiſter edocuit: tum *S. Petrus de Arbues*, Aragonenſis apud Hiſpanos, martyrio coronatus an. 1485., qui Bononiae in R. Hiſpanorum Collegio adſcriptus, in hac Academia, liberalibus & ſacris ſtudiis emenſis, Theologiae Lauream adſequutus eſt.

„ jam publicis ornata fuiſſet Academiis? „ Haec ille.

Ego tamen pro lite definienda haec ſtatuo. Principio nec Gattus, nec Scriptores, quorum authoritate innititur, documentum, quod viderim, produnt, unde liquido deducatur primaria, quae intenditur, Ticinenſis Academiae inſtitutio: quae propterea nonniſi conjecturis communiri poteſt.

Deinde Caroli IV. Imp. diploma, productum a Gatto, potius indicat aut patenter exprimit novam Academiae erectionem ſub an. 1361. quam praeteritae cujuſquam & collapſae inſtaurationem.

Inſuper dum fatetur Muratorius, Carolum M. literarum ſtudium Ticini & alias quanto potuit ardore animi procuraſſe, concedat, oportet, erexiſſe Ticini non unius aut alterius duntaxat Scientiae Scholam, ſed plurium Scientiarum, aut Academiam; ſegniter enim contendit in literarum reſtaurationem, qui unam ſolummodo, vel aleram ſcientiam edocendam procurat.

Neque praeterea ex literarum in Italia languore ſub Sec. IX. & X., neque ex Italicae Gentis accurſu ad Gallicas Scholas, propriis contemptis, ſub XII. Seculi initium, fas eſt ineluctabiliter a Muratorio colligi, nullam omnino apud Italos Academiam praeteritis aetatibus inſtitutam fuiſſe; ſed id unum, quod nempe ipſae tum temporis, primo virore jam obſoleto, emarcuerint, immo perierint: id quod paſſim aliarum Gentium Annales memoriae produnt diverſis obtigiſſe Academiis, aliquando plane florentiſſimis, at fluxu temporum prorſus collapſis, inſtauratione reficiendis.

Ex iis vero poſtrema haec Adſertio, in quam propendemus, liquido ſubinfertur. Videlicet abſque temeritate aut inani conjectura adſtrui poteſt, Carolum M^o^ eo quo ardebat reſtaurandi literas deſiderio, Ticini & alibi Academias aliquas, aut plurium Scientiarum Gymnaſia inſtituiſſe, ad quorum normam alia ſubinde fuerint ſubſequuta; quae tamen omnia fluxu & calamitate temporum elanguerint ſenſim, ac denique prorſus interierint.

Enim vero cum pro illa primaeva & pervetuſta ejuſmodi Academiarum inſtitutione manifeſta documenta non ſuppetant, urget ceteroqui adverſus ipſas argumentum, quod dicunt negativum: atque adeo ſententia, quae illiuſmodi inſtitutiones adferat, tenuis probabilitatis, aut conjecturae metas non tranſilit.

Et haec quidem pro reliqnis idgenns Academiis hoc Syllabo collaudandis dicta ſunto.

O 2 *Muti-*

ADNOTATIO.

(*) FErtur a *Middendorpio* lib. 3. ubi de Acad. Bonon. prolixum ac perhonorificum Diploma, incipiens *Omnibus Studentibus*, quo Theodoſius Minor Imp. Bononienſe Gymnaſium inſtituit ſub an. 433. Sed illud tamen a ſe recitatum, ut evidenter ſuppoſititium rejicit & exſulare jubet *Muratorius*, quem adiſis, in tom. 3. Diſertationum, Diſſ. 34. a p. m. 21., nec pigebit

1170. *Mutinenſis*, a Mutinae Senatu, ad inſtar Bononienſis, erecta (*i*).

A. incerto. IN GALLIA = *Maſſilienſis*, a Phocenſibus Graecis, primis Maſſiliae conditoribus, inſtituta, fere in omni liberalium ſcientiarum genere floruit; dicta propterea novae Galliarum Athenae, literarum Emporium, Sedes ac Magiſtra ſtudiorum. Equidem Mathematicae diſciplinae, & Aſtrologia, Eloquentia, Medicina, Juriſprudentia, ibi commendatiſſimae fuerunt; tum ſingularum Profeſſores celeberrimi. Jam ab an. Ch. 540. plurimum defloruit; ac denique periit [*k*].

A. incerto. *Aeduenſis*, vel *Auguſtodunenſis*, Authore inexplorato. A *Juſto Lipſio* dicta eſt *vetuſtiſſima poſt Maſſiliam bonarum Artium Sedes*, tum Academia Meniana, adverſus Pighium. Saltem ad uſque Conſtantini Imp. aetatem inclaruiſſe videtur (*l*).

A. incerto. *Narbonenſis* ante Chriſtum, incerto Authore, nata, floruiſſe traditur Romanorum Imperatorum temporibus uſque ad an. Ch. circiter 500. Academicos ipſius Profeſſores laudavit *Bulaeus* (*m*).

A. incerto. *Lugdunenſis*, Authore nondum explorato, ſub Romanis Imperatoribus egregie floruit, iccirco nuncupata *publicum citra-Marini Orbis Gymnaſium*. Nominis ſplendorem inſequentibus aevis retinuit; fovitque literarum ſtudia, praemaxime quae ad Jus Civile & Canonicum pertinent, ad an. uſque 1290. Demum an. circ. 1473. cuncta ejus Gymnaſii jura ad Bituricenſem Academiam conceſſione regia translata ſunt (*n*).

circ. 787. *Palatino-Pariſienſis*, erecta a Carolo Magno, literarum amantiſſimo, & Scientiarum omnium auguſtiſſimo Inſtauratore (*o*). Et en originem, prodromum, ſemen *Pariſienſis* illius *Academiae*, quae deinceps poſt terna Secula jure quamoptimo Academiarum omnium Magiſtra & Mater audiit.

Magnus Alcuinus a Carolo Anglia Galliam evocatus Palatinae Academiae praefectus eſt, & Scholae & Caroli felix, dignuſque inſtitutor. Optimae quaeque artes ac diſciplinae in ea excolebantur. Sub Lothario Rege multum adhuc clarebat (*p*) [*]. *Turo-*

(*i*) Ap. *Murator.* in laudata Diſſert. p. m. 903.

(*k*) Conf. *Tullium* in Orat. pro Flacco num. 63. *Strabon.* lib. 4. *Bulae.* de Univ. Pariſ. tom. 1. ubi de Acad. Maſſil.

(*l*) Conf. *Eumenium* Rhetorem. hujus Academiae Praefectum, in orat. quam pro ejuſdem inſtauratione habuit, a laudato *Bul.* ubi de Acad. Aeduenſi recitatam.

(*m*) Ubi de Acad. Narbon.

(*n*) Vid. laud. *Bulae.* ubi de Acad. Lugd. & *Launoi.* de Scholis celebrioribus cap. 7.

(*o*) Vulgo rerum Francicarum Scriptores cum *Cointio* in Annal. Eccleſ. Francorum & *Longuevallio* in Hiſt. Eccleſ. Gallicana, utroque ad an. Ch. 787. & quidem ex manifeſtis documentis.

(*p*) Conf. *Alcuin.* in Epiſt. ad Carol. M. ubi de hac Schola diſſerit, *Angelomum* in Praefatione Canticor. ad Lotharium, qui nempe in hac Academia ſacras literas didicerat, *Launoi.* nuper laudat. cap. 2. & 4.

ADNOTATIO.

(*) CONſulto hanc Academiam *Palatino-Pariſienſem* praenotavimus. Videlicet *Palatinam*, quia eam Carolus ad publicum bonum & exemplar pro literis inſtaurandis in ſuo Palatio condidit, adſervavit, inſignivit: ac deinde *Pariſienſem*

Turonenſis, ab Alcuino, Caroli Magni Magiſtro, ac Turonenſi Abbate creata. Saltem ad uſque an. 1050. ipſa ſubſtitit. (*q*) cir. 800.

Remenſis, a Fulcone Remenſi Archiepiſcopo fundata. A S. Brunone Carthuſienſium Proto-parente clariſſime decorata; quippe qui in ea ſacris diſciplinis operam dedit, & Scholarcha praefectus eſt (*r*) (*). cir. 890.

Pariſienſis nata eſt, ſeu renata, utpote jam inſtar perfectae & abſolutae omnium pene ſcientiarum florentiſſimae Academiae conſtituta. Tantae molis Author omnium primus, nondum mihi ſatis exploratus, quidquid adſerant alii. Haec porro exordium ſuum repetit ex Schola jam pridem erecta in Clauſtro B. M., vel in Sede Epiſcopali Pariſienſi, cui Praeſes & Scholarcha, quem tum Scholaſticum nuncupabant, Pariſienſis Eccleſiae Cancellarius. Haec autem jam tum frequentabatur, & quadantenus florebat; quemadmodum & alia Gymnaſia publica eadem tempeſtate literas cum plauſu & aemulatione Pariſiis colere, ex varia Hiſtoria deprehendimus, e. g. in S. Victoris & S. Genovefae Coenobiis. Jam vero quis ſingula tantae cir. 1100.

ſem, quatenus ſub aliquo ſenſu, vel directo, vel obliquo, Pariſienſis Academia, quae in praeſentia floret, ab illa initium decuſque Imperatorium repetit.

Minime vero *Pariſienſem* adpellavimus, qualem dixere plurimi, rati, Principem in ſuo Pariſienſi Palatio, quod incolere conſueverat, eam fixam & ſtabilem condidiſſe. Ipſam equidem deambulatoriam inſtituit Carolus, nomenque ſortita eſt a palatio, ſeu a domo Regia, quoniam Regem quocumque euntem Palatini Doctores ſequebantur; aut ſi Regi praeliandum erat, in vicino, tutoque loco cum Regia familia ſubſiſtebant.

Id quod Alcuini, qui triennio in Palatina Academia Magiſterium exercuit, exemplo plane evincitur. Namque Alcuinus a Carolo arceſſitus in Franciam venit an. 793. & in Palatino Gymnaſio literas docuit ad uſque 796., quo Turonenſis Abbas creatus eſt, raroque, deinceps pedem Turonis extulit. Et vero Carolus eo tempore quo Alcuini in Palatio docentis diſcipulum & auditorem ſe praebuit, Pariſiis nunquam degit, utpote bello aſſiduo, quod cum Hunis & Pannoniis gerebat, maxime intentus. (Conf. *Eginhard.* ejuſdem Principis Caroli Conſiliarium intimum, in Annal. ad an. 793. *Coint.* laudat. ad an. 802. a num. 78. *Nat. Alex.* in Hiſt. Eccleſ. Sec. 8. Cap. 7. art. 8.)

(*q*) Conf. ipſum *Alcuin.* in Epiſt. ad Davidem Angliae Regem, ſeu, ut aliis placet, ad Carolum M. quem Davidem vocat, & *Launoi.* cit. c. 5.)

(*r*) Ex *Bulaeo* tom. 1. p. m. 238. & 467. & 473.

ADNOTATIO.

(*) PLures adjici poſſent Academiae, ſeu Scholae publicae, vigore editae a Carolo Magno Conſtitutionis *de Scholis per ſingula Epiſcopia & Monaſteria inſtituendis* (quam profert *Baluzius* tom. 1. Capitular. p. m. 203.;) tum ſub Ludovico Caroli M. Filio, & ſub Carolo Calvo, procurantibus, in Galliis inſtitutae: & iſtae quidem qua Epicopales, quibus vel Epiſcopi praeerant, vel alii ipſorum nomine, E. C. *Aurelianenſis S. Crucis*, *Abrincenſis*, *Andegavenſis*, *Catalaunenſis*; qua Coenobiticae, quas plerumque Benedictini Ordinis Coenobitae in ſuis Monaſteriis & inſtituerant, & moderabantur, E. G. *Autiſſiodorenſis S. Germani*, *Luxovienſis*, *Solemniacenſis*, *Andrienſis*. At eas tamen utpote minus notas, nec diu ſubſiſtentes, huc pro noſtro inſtituto nominaſſe ſufficit. Plura de iis, aliiſque paribus laud. *Launoi.* de Schol. celebr. & *Ziegelbauer* cum ſuo Editore *Legipontio* in Hiſt. rei literariae O. B. par. 1. c. 1. ſparſim uterque.

tae Academiae ornamenta, privilegia, magnalia paucis vel indicare sufficiat? Ex iis nonnulla opportune ac sparsim protulit hic Prodromus. Cetera abunde dabunt accurati Academiae Historiographi, *Robertus Gouletus*, *Claudius Hemeraeus*, *Jolius*, *Bulaeus*, *Launoius* [*].

IN

ADNOTATIO.

(*) CEleberrima dudum contentio fuit apud Gallos Scriptores super hujus Academiae initio: num scilicet repetendum sit a Carolo Magno, quatenus haec una eademque sit cum Palatina illa quam olim instituit Carolus, qui propterea modernae Academiae Parens dicendus sit ac Institutor, nec ne? Opinio quidem adfirmans permultis obtinuit Seculis apud Gallos Scriptores & exteros, omnium primis & ducibus *Monacho San-Gallensi* (in com. de gestis *Caroli M.* capp. 1. 2. 3.) & *Vincentio Bellovacensi* (in Spec. hist. l. 23. alias 24. c. 73.): quo nempe summum antiquitatis, majestatisque decus huic Academiae conciliarent.

Rem prae ceteris, quanta potuit eruditionis, eloquentiae, momentorum vi promovet Clarissimus *Bulaeus*, qui praeter alia ingentem suae causae patronorum censum recitat & exponit (in Hist. Univers. Paris. tom. 1. Seculo 1.) Et vero non defuerunt qui potius veritati ac sinceritati, quam fucatae gloriolae intenti, Parisiensis hujus Academiae institutionem pro virili Carolo abjudicarunt, *Stephanus Paschasius*, *Andreas Duchesnius*, *Antonius Loiselius*, *Gabriel Naudaeus*, *Joannes Launoius*.

Nec horum plane sententiam, si recta critice expendatur, fas erit cuiquam abjicere. Nullum equidem pro opposita indubium documentum profertur: dumque Bulaeus tria priora Secula suae Carolinae Academiae Historiae binis integris voluminibus amplificat, conficit & concludit nihil; quoniam cum authentica seu longe verosimilia ad tantam molem architectandam instrumenta non suppetant, levibus dumtaxat conjecturis, quae probant id, quod fieri potuit, ipseque factum cupit, utitur, ac uti potest; minime vero momentis, quibus mens ulla, quae unam veritatem amet, ac quaerat, acquiescere possit.

Dicendum itaque, Parisiensem hanc Academiam hoc sensu Carolinam nuncupari posse, seu a Carolo M. institutam, & a Palatina, quam hic erexit, originem ducere; quatenus Schola illa Episcopalis, quae denuo mirifice florens proximum hodiernae Academiae initium contulit, jam tum adhuc imperante Carolo, ad instar Palatinae erecta est, ac fere perpetuo deinceps perstitit, & qua intensius, qua remissius floruit, cum nonnulla Praelectorum, Auditorumque frequentia; quemadmodum edocemur ex perpetuo censu Parisiensium Magistrorum, quem profert Bulaeus, ubi de IV. prioribus suae Academiae Seculis.

Academiae Fundatorem quod spectat, binos ei Launoius Fundatores adsignat, Remigium Autissiodorensem Monachum, & VVilramum illustrem virum; quod ambo Philosophiam Parisiis professi fuerint, ille an. cir. 882. hic vero cir. 1064. Ceterum heic Fundatores quaerimus, non primaevos unius Scientiae Professores. Et quidem satis incongruenter eum Academiae proximum Conditorem feceris, qui integro saltem Seculo ante natam, seu renatam Academiam inclaruit.

Quod si ejusmodi computatio critica sit, ac Eruditis probetur, potiori jure dixerim ego Fundatores, Scholasticos primaevos Theologos, cum Lombardo Principe. Hi siquidem quo ardentius literariis pugnis exagitabantur ab adversariis (ex iis, quae supera innuimus p. 2. sub lit. *g.* & p. 6. sub lit. *p.*) eo splendidius doctrinae ac ingenii specimen dabant; adeo ut inde literarum Parisiis reflorentium fama vicinas, remotasque Provincias pervagata, earum illico adolescentium turmas discendi gratia Parisios evocarit, traxeritque: quo factum est, ut Schola illa tum jacens in Episcopio, Athenarum, seu novae Academiae post hominum memoriam florentissimae formam induerit. Itaque (si conjectare liceat) Scholastici Theologi Parisiensem Academiam fundarunt: eam Scholastice Parisiorum Lutetia debet.

Anne demum hanc Academiam maxime decorarunt, in ea literas excolentes & Auditores & Magistri, duo Sacrorum Ordinum Antistites Brnno & Joannes

A. C. 836.

IN ANGLIA: *Oxonienſis*, ab Alfredo Britanniae Rege ſanctiſſimo juxta ac literarum amantiſſimo, erecta & privilegiis communita; Sanctis Neotho & Grimbaldo ſuadentibus. Et, ſi *Willelmo Malmesburienſi* fides ſit (*s*) Alfredus *Romam Legatos miſit, obſecrans D. Martinum II. ut Anglorum Scholis eam libertatem, quam Romae habent, & dignitatem concederet: & quod a Ss. Patre petiit abſque ulla cunctatione impetravit; & in multis articulis privilegiari procuravit.* Idem innuit *Matth. Weſtmonaſterienſis* (*t*) [*].

A *Middendorpio* [*u*] monemur, S. Richardum huic Academiae Cancellarium praefuiſſe. Mihi tamen, quiſnam Richardus hic fuerit, nec ex Hiſtoriis Anglicanis, nec ex aliquot Anglicanorum Sanctorum Catalogis, quos conſului, hucuſque conjicere licuit. Eam fer-

nes de Matha? De Brunone adfirmat *Bulaeus* (tom. 1. Hiſt. a p. m. 467.) ſed levibus tamen, me judice, ductus momentis. Neque vero Laurea, ſeu Doctoratus Philoſophiae ac Theologiae, quo Bruno in quadam pervetuſta hiſtoria, quam recitat ex *Surio* Bulaeus, Pariſiis inſignitus dicitur, adeo antiquus ab Eruditis creditur, ut jam ſub an. 1082. quo Bruno clarebat, viguerit, aut incoeperit: *antiquores Academiae*, aiebat *Juſtus Lipſius* (tom. 2. l. 3. in Lovanio c. 8. p. m. 880.) *Doctores nullos niſi a re & merito ſciebant; noſtrae titulos ac honores ſuos habent ac donant.* Nec item fortaſſe ſingularis illa, quae vulgo praefertur, cujuſdam Pariſienſis Doctoris, ac Brunoni comproſeſſoris, Anaſtaſis, quae Brunonem ad ſolitudinem capeſſendam impulit, adeo firmis documentis communitur, ut jam indubia ſit, ſubindeque Pariſienſem Brunonis lauream una cum Magiſterio certam probet. (Conf. laudatum *Bul.* ibi, *Theoph. Raynaud.* in Antemurali adverſus ingenia fortia, *Launoi.* in Differt. de vera cauſſa ſeceſſus S. Brunonis in Eremum.) De Matha vero Bulaeus, ceteroqui in adornanda ſuae Academiae ſparta clariſſimis juxta ac frequentiſſimis Praelectoribus ſolertiſſimus, tacet omnino: vulgo tamen adfirmant plerique omnes Mathae Biographi, ſuique Ordinis Annaliſtae, quos, ſi lubeat, conſulas, ut tuo rem judicio critice definias.

(*s*) In lib. de Glaſtonienſis Coenobii antiquitate.

(*t*) In Chron. ad an. 883.

ADNOTATIO.

(*) HAnc ei nativitatem communi adplauſu vulgo adſerunt Anglicanarum rerum Scriptores. Videlicet *Ant. a VVood* (in Hiſt. Univ. Oxon. l. 1.) *Brianus Tvvynus* (fol. 197.) *Rivallenſis* (ap. *Tvvyn.* ibid.) *Malmesburienſis* (nuper laudatus) *Aſſerus* (de reb. geſtis Alfredi) *Thom. Rudborne* (in Hiſt. majore VVintonienſi l. 3. c. 6.) *Higdenus* (Hiſt. l. 6.) *Campdenus* (in ſua Oxfordia & in Angliae veteris Deſcript.) *Harpsfeldius* (Seculo 9. c. 5.) *Ingulfus* Croelandiae Abbas (de reb. geſtis Alfredi) *Joann. Bromton* (in Chron. p. m. 814.) *Florentius* VVigornienſis Monachus (de inſtitut. Acad. Oxon.) *Michael Alfordus* (in Annal. Eccleſ. Anglicanae ad an. 886. a n. VIII.) *Polidor. Vergilius* (in Hiſt. Angliae tom. 1. l. 5. p. m. 263.) *Bulaeus* (in Hiſt. U. P. tom. 1. p. m. 211.) *VVeſtmonaſterienſis* (mox adpellatus) Quibus demum conſentire videtur *Jacobus Uſſerius*, cum aliis ab eodem laudatis (de Britannicarum Eccleſiarum antiquitatibus a p. m. 183.)

Jam vero cenſum hunc Scriptorum, qui majori ex parte valde accurati habentur, conſulto dedimus: ne videlicet cuiquam fortaſſe videamur eam adeo fumoſam Oxonienſi Lyceo antiquitatem inconſulto aſſeruiſſe.

(*u*) L. 3. in Acad. Oxon.

A. C.

fervente Anglicano Schiſmate ſub Henrico VIII. miſere collapſam Petrus Sotus, a Maria Regina evocatus, reſtauravit; ille, inquam,
cir. 1109. doctiſſimus juxta ac prudentiſſimus Sotus, qui tum pariter praecipuis curis, pro Religione facturus, in erigenda Scholaſtice adlaboravit.

Cantabrigienſis ſub Henrico I. Angliae Rege coepta eſt a Giſleberto, Odone, Terrico, & Wilhelmo Monachis, ab Joffredo Croylandiae Abbate ad id miſſis, ut Cantabrigiae Scholam publicam ad inſtar Aurelianenſis Studii in bonum publicum erigerent (*). In
cir. 790. hac Academia, olim florentiſſima, literas coluit magnus ille Fidei defenſor, Roffenſis Epiſcopus, Joannes Fiſcherus.

IN GERMANIA. *Bojoarienſis* in Bavaria a quodam Dobdanno erecta apud Chiemenſeenſe Ordinis Benedictini Coenobio (x).

Fulden-

ADNOTATIO.

(*) ITa fert *Anouymus* Author in Appendice ad Ingulfum, quam recitat *Campdenus* in Icenis. Et huic quidem Hiſtoriae fidem adhibet idem *Camdenus*, & poſt ipſum alii, accurati quidem Scriptores & Angli cum *Mich. Alfordo* (in Hiſt. Eccleſ. Anglic. ad an. 1109. num. XXIII.) & exteri cum *Launoio* (de Schol. celebr. c. 44.)

Aliae quidem & variae ſunt de hujus Academiae incunabulis opiniones. Equidem ſunt qui ferunt, Cantabrum quemdam Hiſpanorum Regem Hiſpania exſulem, mirificum bonarum artium cultorem, ſtatim poſt Romam conditam, eam inſtituiſſe (ap. laudat. *Campden. Middendorp.* ubi de Acad. Cantabr. & alios.)

Joan. Cajus vult aliquos Cantabrigiae Doctores & Scholares fere una cum S. Lucio ad Chriſti fidem fuiſſe converſos ſub an. Chr. 141. (De antiquitat. Cantabrigiae l. 1.)

Polidorus Vergilius (in Hiſt. Angl. l. 4. in Sigeberto Rege ad an. circ. 630.) adſerit eumdem S. Lucium eam fundaſſe; immo eam pene Lucio antiquiorem voluit (lib. 5.)

Joan. Roſſus VVarvicenſis (in lib. de Regibus) ex Chronico Thomae Rudbornii apud Tvvynum, aliiſque pervetuſtis documentis ſubinferre nititur, Eduardum I. Alfredi filium an. circ. 890. reſtauraſſe hanc Academiam jam primitus erectam. Roſſo deinceps *Nic. Harpsfeldius* conſenſit.

Feruntur etiam pro intenta antiquitate documenta. Videlicet Diploma Arthuri Britanniae Regis, dat. an. Ch. 531. 7. Apr. quo proteſtatur Arthurus velle conſervari eam Academiam, quam condidit S. Lucius; additurque confirmatio Honorii P. I. cum reſcripto ad Arthurum. Tum adjici ſolet poſterior Sergii P. confirmatio cum reſcripto dat. an. 689. 3. Mai. Haec autem, pluraque idgenus olim legebantur in pervetuſta quadam Hiſtoriola hujus Academiae.

Jam vero nemo non videt, pleraque ex iis ſuppoſititia eſſe, & abſque fundamento conficta; eo maxime quod plura poſterioris aetatis rerum, munerum & dignitatum nomina praeferant; ut taceam, in accuratioribus rerum Anglicanarum Scriptoribus vel altum de iis rebus ſilentium, vel apertam earum confutationem: quidquid doctus, piuſque Theologus *Middendorpius*, ea cuncta reverenter admittens, hujus Academiae antiquitatem efferat (l. 3. in Acad. Cantabrig.)

Nihilotamen ſecius facile crediderim, aliis ductus momentis, aliquas olim Scholas Cantabrigiae inſtitutas fuiſſe; ſed quae tamen minime ſuffecerint, ut haec denuo re & nomine erecta Academia cum Oxonienſi de antiquitate jure decertet. Nec plane ſecus rem definiiſſem in graviſſima illa & pene cruenta diſceptatione, quae duobus abinde Seculis & amplius ſuper antiquitatis primatu inter ambas Academias exarſit. (Plura *Bulae.* tom. 1. ap. m. 293.)

(x) Ex *Hundio* in Metropoli p. 1. pag. 3. ap. *Ziegelbauer* in Hiſt. de re lit. Ord. S. Bened. tom. 1. p. m. 23.

A. C.

Fuldenſis a Baugulfo, Fuldenſis Coenobii Abbate, acceptis literis a Caroio M. pro literarum inſtauratione (*). cir. 790.

Leodienſis ab Heraclio, aliis Eurardo, primum Bonnenſi Praepoſito, deinde Leodienſi Epiſcopo inſtituta (**). 960.

Smogrovienſis, in Urbe Smograe, quae in Sileſia jacet, erecta ab Urbano I., Smogrovienſi Epiſcopo ſecundo (y). Et haec prima Sileſiorum Schola publica. 983.

IN LUSITANIA = *Bracarenſis*, uti ſuſpicor, inſtituta a S. Martino, Bracarenſis Eccleſiae Antiſtite, ſub an. circ. 572. Fertur, ſub Innocentio P. III. extare adhuc & florere (z). (***) cir. 572.

ADNOTATIO.

(*) BAugulfum laudatas literas a Carolo accepiſſe, negavit *Cointius* in Hiſt. Eccleſ. Francor. ubi de Carolo M. At pro eis tamen ardenter pugnat *Mabillonius* in Annal. Bened. tom. 2. l. 26. p. m. 279. Haec tamen Diſputatio quid noſtra refert? Plura de ea Academia *Chriſtophor. Brouver*, quem ſequitur & paſſim exſcribit laudatus *Ziegelb.* tom. 1. a p. m. 199.

ADNOTATIO.

(**) A *Egidius* tom. 1. de geſtis Epiſcoporum Leodienſium in additionibus ad cap. 47. haec habet de laudato Heraclio: „ hic . . . Scholas per clauſtra „ ſtabilivit, totamque Leodienſem Eccle„ ſiam, provinciam nullis hactenus ſtu„ diis illuſtratam ad ſtudium coaptavit.„ Idem totidem pene verbis tradit ad an. 960. *Anonymus* Scriptor Chronici Magni Belgici, qui, teſte *Joſepho Hartzheim* in noviſſima Bibliotheca Colonienſi, art. *Chronicon.*, fuit „ Canonic. Regul. Ord. S. „ Auguſt. prope Nuſſiam, non in Ducatu „ Clivenſi, uti errat Oudin. in Archi„ diœceſi Colonienſi, claruit poſt an. 1460.„

Launoius vero, quod mireris, cap. 25. de Scholis celebr. dum hoc Aegidii teſtimonium exſcribit, Heraclium quinto loco iis clariſſimis Viris adnumerat, qui in Leodienſi Schola floruerunt, eumque non vult, aut tacet primum ejuſdem Scholae inſtitutorem.

(y) Ap. *Martin. Ankium* de Sileſior. reb. ad an. 983. p. m. 137. ex *Dugloſſo* & *Curaeo*.

(z) Conf. cit. *Launoi*. cap. 56.

ADNOTATIONES.

(***) I. HOcce primum, quod effingimus, Seculum, quod obſcuriorum, ſubindeque perdifficilium Antiquitatis temporum Epochas, quantum ad Academias plerumque notiores praeferat, prolixiore commentario exponendum duximus: cetera vero expeditius, prout Syllabi ratio expoſtulat, percurremus.

II. Non modo Gallicanis (ex ſuperius adnotatis p. 109) verum etiam reliquis ex aliis Gentibus indicatis Academiis perplurimas adjicere liceret, quae toto hoc effluxo Seculo in Hiſpania, Italia, Anglia, Germania floruerunt; in quibus nempe tot, tantique illis aetatibus Patres & Doctores ſacris ſcientiis excultiſſimi, fere ubique Gentium dubio procul iunutriti ac edocti ſunt. Ceterum cum nec ipſae, quod ſciam, tanquam celebriores perſtiterint uſque ad enatam Scholaſticen, quam exceperint; nec plerumque conſtet de certa earundem inſtitutionis epocha, ideo ipſas conſulto miſſas facimus. Plura de eis *Bulaeus* tom. 1. ſparſim, necnon *Launoius* a cap. 1. ad 59; tum *Ziegelbauer* tom. 1. par. 1. cap 1. fere per tot. Ipſos adiſis.

IV. *Academiae erectae, ac restauratae a MCC. ad MCCC.*

SECULUM SCHOLASTICUM II.

CHRISTIANUM XIII.

A. C. cir. 1200.

IN HISPANIA. S*Almanticenſis* ab Alphonſo IX. Legionis Rege inſtituta, primum confirmata ab Alexandro P. IV. Literis dat. ad Regem Caſtellae & Legionis *Inter ea*. 1255. 6. April. quibus nempe Pontifex eam conſtituit unam ex quatuor Academiis, aut Studiis Generalibus Orbis. Eam poſtmodum Hiſpani Reges innumeris privilegiis nobilitarunt: puta S. Ferdinandus, Alphonſi Fundatoris filius; Alphonſus X. *Sapiens* dictus, diplomate dato 1252. 9. Nov., Joannes I. an. 1388., Henricus III. an. 1391., Eliſabetha Regina Catholica an. 1485. 31. Maii; Joanna Regina an. 1509. 15. Nov., Carolus V. an. 1532. 2. Sept. & 1553. 16. Febr., Philippus II. an. 1560. 19. Aug. & 1567. 8. Sept. Tum ſummi Eccleſiae Hierarchae Alexandri IV. Succeſſores: videlicet Martinus V., Eugenius IV., Julius II., Leo X., Paullus III., & alii; quorum quidem omnium Conſtitutiones, Bullae, Literae in ſecretis Academiae ſcriniis adſervantur, & omnibus exſcriptae patent in publicis Conſtitutionibus & Statutis Academiae Salmanticenſis. Academiae toto Orbe celebratiſſimae Stemma hoc Lemmate ornatur, *Omnium Scientiarum Princeps Salmantica docet*.

Nec ipſa quidem exiguum retulit decus ex D. Joanne Sahagun-tino, Auguſtinenſi, extincto an. 1479., qui in celebre D. Bartholomaei Collegium cooptatus, in ea literis incubuit, Theologiae Baccalaureatum reportavit, & apud nonneminem, Sacram Scripturam e cathedra interpretatus eſt (*a*): quin etiam ex S. Turibio, Limano Archiepiſcopo, qui in ea apud Majus Collegium Ovetenſe S. Salvatoris, poſt illuſtratam Valliſ-oletanam Academiam, Juri Canonico, non abſque mirabili immaculatae Caſtimoniae exemplo, navavit operam: tum denique ex B. Simone de Roxas, Valliſoletano, ex Ord. Trinitatis, vita functo 1624. 29. Sept. aetat. 72. & nuper hoc an. 1766. 19. Maii a Ss. Clemente P. XIII. Beatorum faſtis ſollemni ritu adſcripto; qui nempe olim in hac Academia Theologiae operam dedit, ac theologicas theſes publice propugnavit. [*b*] (*).

IN

(*a*) Confer *Bollandianos Hagiographos* in vita S. Joan. tom. 2. Jun. ad diem 21. p. m. 621. & 648.

(*b*) Qui plura velis, conſulas *Mendum* de Jure Acad. l. 1. q. 7. alioſque Authores ibidem adpellatos.

ADNOTATIONES.

(*) I. *Nuocentius Cironius*, Academiae Toloſanae Cancellarius, in lib. 5. Decret. tit. 5. de Magiſtris primam Salmanticenſis Academiae inſtitutionem Carolo Magno adtribuit. Suppoſititium tamen honorem, nec ab ullo, quem viderim Hiſpano Authore excogitatum, ſponte rejicimus, cum nunquam Salmantica ſub Caroli M. ditione fuerit.

II. *Middendorpius* l. 3. ubi de Salmanticenſi Academia differit, haec adjicit, *Unde & Ignatius Loyola, primus Societa-*

tis

IN ITALIA = *Patavina*, creata a Friderico II. Imp. Ita ſentit *Murator.* (*c*) Veriſimile enim putat, Fridericum quod Bononiae tum ademit jus Academiae, Patavium ac Neapolim tranſtuliſſe, ex iis quae adferunt Hiſtoriae Patavinae. In ea, magno ipſius Ornamento, dulciſſimus Myſticae Theologiae Doctor S. Franciſcus Saleſius, Genevenſis Epiſcopus, vita functus 1622. 28. Dec., Utriuſque Juris laurea inſignitus eſt (*). Forte 1222.

Neapolitana, ab eodem Friderico II. (*d*) Decidit quam cito haec Schola & ſub an. 1233. penitus diſſoluta eſt; at eam ſedulo reformavit Fridericus, ac privilegiis communivit. [*e*] Quin etiam alia poſteriores Principes addiderunt; uti refertur de Carolo II., Roberto, Joanna II., Alphonſo I. & aliis (*f*). Forte 1224.

Salernitana ab ipſo Imperatore creata & privilegiis inſignita (*g*). In hac Fridericus Gradus Doctorales in Medicina inſtituit, ſimulque regulas praeſcripſit pro hac methodice tradenda (*h*). Forte 1224.

Placentina ab Innocentio P. IV. qui privilegium de Studio Generali Placentinis conceſſit in liter. dat. Lugduni *Quia profectum*. 1248. 6. Febr. ad Epiſcopum, Clerum & populum Placentinum [*i*]. 1248.

IN GALLIA = *Toloſana* fundata a Raymundo Comite Toloſano, ſpeciatim ad novos Albigenſium errores, qui Toloſanam Regionem diu infeſtabant, confutandos; confirmata a Gregorio P. IX. Conſt. *Olim*. 1233. 27. Apr. Antiqua ſiquidem Academia, Toloſae olim florentiſſima jam multis abinde Seculis prorſus exciderat. Tum Inno- 1228.

P 2 cen-

tii Jeſu Fundator, literarum fundamenta heic potiſſimum jeciſſe reperitur. Optarem quidem tam inſigne Academiae decus; non tamen licuit hucuſque hujus hiſtoriae veritatem reperire, aut in noſtrae Societatis Hiſtoriis, aut in Sancti Protoparentis Biographis, aut in Salmanticenſis Gymnaſii Panegyriſtis, quos ſedulo evolvi. Nec id plane conſtare videtur cum chronologica ratione actorum Ignatii eo perbrevi tempore, quo Salmanticae immoratus eſt. Forſan clarus Theologus fortunatam, quae Complutenſi Academiae obtigit, ſortem, Salmanticenſi, memoria lapſus, adſcripſit.

(*c*) In Differt. 44.

ADNOTATIO.

(*) COmplures non ita recentes Scriptores conſtanter dudum adſeruerant, hanc Academiam primitus a Carolo Magno creatam fuiſſe; idemque ſine dubitatione tenuit *Papirius Maſſonius*, alias bonae notae Hiſtoriographus. At Eruditi noſtra aetate Viri, qui certiora pro adſertis hiſtoricis documenta expetunt, cum iis Maſſoniana ſententia non muniatur, eam cum laudato *Muratorio* vulgo explodunt.

(*d*) Ita intelligi datur ex quibuſdam Friderici literis datis 1227. Et conſentiunt *Murat.* ubi nuper, p. m. 909. & *Richard. a S. Germano* in Chronico, ubi de Friderico.

(*e*) Ap. Laud. *Richard.*

(*f*) Conf. *Sigon.* in Hiſt. Neapolit. tom. 1. & 2. *Petr. de Vineis* l. 3. Epiſt. 10. *Bulae.* tom. 3. ad an. 1225.

(*g*) Laudatus *Summont.* l. 2. p. m. 99. ex Regeſto Friderici folio 23.

(*h*) Eas adfert *Bulaeus* t. 3. p. m. 158.

(*i*) Habetur Diploma ap. *Hughellum* in Italia ſacra tom. 2. editionis 2. auctae ac emendatae a *Nicol. Coleto*, p. m. 225. Hoc ipſum diploma innuit *Richard. de S. Germano*, at minus accurate epocham Academiae erectioni, ex diplomate conſignavit, nempe annum 1243.

centius P. IV. omnia privilegia novo Gymnasio a Gregorio IX. concessa perhonorificis in ipsum elogiis confirmavit (*f*).

1252. *Sorbonica Parisiensis*, hoc est *Sorbonicum Collegium* pro Theologiae Doctoribus ac Scholasticis erectum Parisiis, sub S. Ludovici Regis auspiciis, a Roberto de Sorbona, Gallo-Flandro, Cameracensis primum, Parisiensis deinde Ecclesiae Canonico, & S. Ludovici ab Eleemosynis & Confessionibus. Sorbonam insigniter illustravit doctissimus ille Praesul S. Franciscus Salesius, ubi in ea Philosophiae ac Theologiae operam navavit [*].

1289. *Montispessulana*, creata a Nicolao P. IV. literis dat. 1289. 26. Oct. [**].

1265. IN HELVETIA = *Genevensis* a Carolo IV. Imperatore.

1260. IN SUETIA = *Aboensis*, a Christina Suevorum Regina.

1290. IN LUSITANIA = *Ulissipponensis*, a Dionysio Lusitaniae Rege erecta, & confirmata ab eodem Nicolao P. IV. literis dat. 1290. 9. Aug., quibus initium *De statu*. Haec postmodum a Joanne III. Lusitano Rege Conimbricam translata est, summisque honoribus aucta (*g*).

(*f*) Ap. *Bul.* tom. 3. p. m. 200.

ADNOTATIO.

(*) HOcce Collegium illustris Fundator adnexuit Academiae Parisiensi, vel potius in Academia illud erexit, ac nobilissimum tanti corporis membrum constituit, videlicet Academicam Theologiae Facultatem.

Inde Parisiensis Academia, quod Theologiam spectat, *Sorbonicae* cognomen obtinuit; adeo, ut idem sonet *Sorbona*, ac *tota Sacra Facultas Theologiae Parisiensis*, idemque *vocare literis in Sorbona*, ac *in Parisiensi Academia dare operam Theologiae*. Sorbonae nomen, acta, decus, famam solus nescit, qui Historiam nescit. Plura in hanc rem *Du Breüil* de Antiquit. Parisiens. *Bulae*. tom. 3. a p. m. 114. *Morer.* & reliqui *Lexicographi* Galli art. *Sorbonne*.

ADNOTATIO.

(**) *Courtaudus* in commentario edito sub an. 1645. ut eam prae Parisiensi vetustiorem ostenderet, ipsius erectionem retulit ad Conradum, Portuensem Episcopum, & Cardinalem anno 1129. creatum, missumque deinceps ab Honorio III. Legatum ad Gallias. Ceterum haec opinio ex laudatis Nicolai literis quibus adseritur, hanc Academiam tum primum institui, facile refellitur. Conf. *Renatum Moreau* in Diffibulatione adversus Courtaudum.

(*g*) Conf. super Ulissipponensem Academiam, *Pinam* in Chron. Dionysii cap. 13.

SE-

V. *Academiae erectae, ac instauratae a MCCC. ad MCD.*

SECULUM SCHOLASTICUM III.

CHRISTIANUM XIV.

A. C. cir. 1300.

IN HISPANIA *Ilerdenſis*, apud Lacetanos inſtituta cum decreto & Authoritate Summi Pontificis a Jacobo II. Aragoniae Rege, uſo induſtria Arnaldi de Americo, Mercedarii Ordinis ſummo Praeſide, ac pro Jacobo apud Ferdinandum IV. Caſtellae Regem Oratore. Haec porro prima in Aragoniae Regno, & vel ab incunabulis omni ſcientiarum genere florentiſſima (*h*).

Eam frequentarunt, illuſtraruntque dignitate ac ſanctimonia permagni Viri. Callixtus P. III. in ea J. U. Doctor & Profeſſor creatus eſt [*i*]: tum Valentinus ille Apoſtolus Vincentius Ferrerius, fato functus 1417., primum Theologiae operam navavit, ac deinceps ſub an. 1384., ſuae aetatis 28., Theologorum Collegio adnumeratus eſt a Petro de Luna, tum temporis Pontificio Legato ad Hiſpaniae Regem, poſtea Benedicto P. XIII. dicto (*k*): ſanctiſſimus denique Scholarum Piarum Author Joſephus Calaſanctius, qui ad Coelos migravit 1648. 26. Aug., & cui ſacrae Canonizationis honores nuper decreti ſunt à SS. P. Clemente XIII. diplom. dat. 25. Mai 1766., in eadem Philoſophiae vacavit & Juriſprudentiae, ac iſtius laurea inſignitus eſt. Haec ita conſpicuis irradiata fulgoribus, noſtra aetate Cervariam a Philippo V. Hiſpaniarum Rege tranſlata eſt (*).

Valliſ-oletana, ab Alfonſo XI. Caſtellae Rege erecta, & a Clemente P. VI., ut ferunt, confirmata. 1344. Eam ſingulari ſplendore exornavit alias laudatus S. Turibius, Limanae Eccleſiae Archiepiſcopus, de na-

(*h*) Conf. *Zurita* in Annal. Regni Aragoniae l. 5. c. 44. ad an. 1300. & *Salmeron.* in memoriis hiſtoricis, ſeculo 1. mem. 13. §. 2.

(*i*) Teſte *Platina* in ejus vita ap. *Murator.* in Rer. Ital. Script. tom. 6. p.m. 961.

(*k*) Ap. *Bollandian.* tom. 1. April. p.m. 479. ex variis Ferrerii Biographis.

ADNOTATIO.

(*) M *Iddendorp.* l. 3. in Acad. Ilerdenſi, & cum eo *Mendus* de Jure Acad. l. 1. q. 6. n. 103., ex eo *Horatiano* Carmine l. 1. Epiſtolar. Epiſtol. 20.

Aut fugies Uticam, aut unctus mitteris Ilerdam,

ſubinferunt, hanc Urbem literatam fuiſſe, & jam Horatii aevo Academiam aliquam in ea florere. Perperam tamen: immo oppoſitum ex adlato carmine eruere fas eſt, cum accuratioribus ejus Interpretibus, quibus facile adſentior. Hoc enim carmine, totaque epiſtola Venuſinus Vates, metuens ſibi ne ſuus ille liber male a doctis viris acceptus eſſet, ipſum facete adloquens, mittendum dicit *unctum*, hoc eſt tanquam papiraceam chartam merces involventem, in Urbem, non literis, ſed potiſſimum mercimoniis tum temporis addictam. Secus quidem alii carmen exponunt; at nemo unus, quem viderim, literatam Urbem ex eo colligit. (Conf. *Spilinbergium*, *Bonfinem*, *Tornerium*, *Lambinum*, *Manucium*, *Juvencium* ſuper eo Carmine, totamque inſuper *Horatianam* Epiſtolam.)

natus an. 1606., aetatis 68., dum in ea liberalibus disciplinis & Juri Canonico egregiam operam navavit (*).

1349. *Perpinianensis*, a Petro IV. Aragoniae Rege. Multis tamen ab hinc annis sub gallica ditione floret, & quidem mirifice.

1303. IN ITALIA = *Firmana* in Marchia Anconitana, a Bonifacio P. VIII. Constit. *In Supremae*. 1303. 16. Jan.

1307. *Perusina* a Clemente P. V. Constit. *Super Specula*. 1307. 8. Sept.

1316. *Ferrarienſis*, a Friderico III. Imperatore erecta, & Confirmata a Bonifacio P. IX. Constit. *In Supremae* 1391. 4. Mart.

ante 1320. *Senensis* a Magistratu Senensi creata (*l*).

1339. *Veronensis* a Benedicto P. XII. Const. *Dum solicite*. 1339. 22. Septembris.

1339. *Pisana*, a Radano, Alcuino, & Claudio fundata 1339.; at instaurata a Cosma Mediceo Florentiae Duce 1542. (*m*)

1349. *Florentina*, primum adprobata a Clemente P. VI. Const. *In suprema*. 1348. 31. Maj., ad Remp. Florentinam directa; deinde a Magistratu Florentino creata & aperta 1349. 9. Dec.; confirmata insuper a Carolo IV. Imp. Diplom. *In eminentia*. 1364. 2. Jan.; novis praeterea privilegiis aucta a Bonifacio P. IX. Const. *Magnae devotionis*. 1590. 10. Dec., Leone X. Const. *Regiminis* 1515. 31. Jan. Benedicto XIII. Const. *Romanus Pontifex*. 1725. 5. Maj. (*n*).

1303. IN GALLIA = *Avenionensis* a Bonifacio P. VIII. Bulla *Conditoris*. dat. 1. Jul. 1303.

1304. *Navarraea Parisiensis*, aut potius *Navarraeum* Collegium, a Joanna, Navarrae Regina erectum 1304. (*o*) (**).

Ande-

ADNOTATIO.

(*) *Petrus Salazarius de Mendoza* in vita magni Archipraesulis Petri Salazarii de Mendoza l. 2. c. 1. Palentinam Academiam in Vallis-Oletanam transformavit; adserit nempe adversus communem nostrae Gentis Historicorum consensum, illam non Salmanticam, sed Vallis-Oletum fuisse traductam. Vellem unum aliquod documentum pro singulari opinione adlegatum a Salazario. Sed & de ejusdem Palentinae Salmanticam translatione, nostrum superius exposuimus dubium Eruditis definiendum p. 103.

(*l*) Conf. *Thomasium* in Hist. Senensi par. 2. ad an. 1320.

(*m*) Conf. *Stephan. M. Fabruccium* in Dissert. de Pisanae Universitatis initio ap. Collectionem *Calegeranam* tom. 21. edit. 1740., & *Scipion. Ammiratum* in Histor. Florentinis ad an. 1515. & 1543.

(*n*) Conf. *Lucam Joseph. Cerrachinium* in Fastis Theologicis Academiae Florentinae, Edit. an. 1738., in Historia ejusdem Academiae Fastis praefixa.

(*o*) Ejus erectionis Diplomata extant ap. *Launoium* in Hist. illius Collegii in novissima operum editione tom. 4. part. 1. p. m. 193. Confer ulterius, si lubet, *Joan. P. XXII.* in Const. *Excelsus*. dat. 1317.

ADNOTATIO.

(**) Nonnulli quidem hocce famosum Collegium dixerunt erectum an. 1286. At ipsi tamen, nullo ducti documento, *Paullum Aemilium*, & ipsum ejusdem Navarraei Collegii socium, Scriptoremque Chronici de Francorum

A. C.

Aurelianenſis primum creata a Philippo III. Rege Gallo, deinde an. 1312. a Philippo IV. cognomine *Pulchro* munita privilegiis, quorum exemplum in Scholae Andegavenſis chartulario olim extabat (*p*). ante 1312.

Cadurcenſis, a Joanne P. *vulgo* XXII. Conſt. *Cum Civitas*. 2. Jun. 1342.

Andegavenſis a Carolo V. Galliae Rege erecta, a Joanne Rege, Philippi VI. Succeſſore confirmata eo anno, quo ipſe Rex bello victus captuſque eſt: tum a Carolo VII. novis privilegiis aucta an. 1433. Menſe Majo; eo praeſertim, quo conceſſit ut denuo Theologia, Medicina & Philoſophia praelegeretur, ubi duntaxat Jus utrumque docebatur [*q*]. Neque vero deſunt qui cum *Launoio* (*r*) ejus primordia referant ad Berengarii Haereſiarchae tempora, puta circ. 1060. 1346.

IN HIBERNIA = *Dublinenſis*, erecta 1320., reſtaurata ab Eliſabetha Hibernorum Regina 1592. 1320.

IN GERMANIA = *Viennenſis* ab Alberto III. Archiduce Auſtriae, vel potius ab Henrico Euta, probante Alberto. 1365.

Heidelbergenſis, a Ruperto II. Electore Palatino Rheni inſtituta 1386. 17. Nov., Marſilio ab Ingen, Colonienſi Canonico, Academiae Proto-Rectore atque Doctore. Eam ſuis Bullis adprobarunt Urbanus VI. & Bonifacius IX; tum Rupertus junior, Palatinus item Elector, pluribus beneficiis praeditavit (*s*). 1386.

Colonienſis, Coloniae Agrippinae ab Urbano P. VI. Conſt. *In Supremae*. 1388. 21. Maj. Primum coacta eſt in domo Capitulari Metropolitanae Eccleſiae ſub an. 1389. in profeſto Epiphaniae. Nuncupari haec ſolet Pariſienſis Academiae filia, & Mater Lovanienſis ac plurium (*t*). 1388.

Erfordienſis in Thuringia, a Dagoberto Galliae Rege [*u*]. 1392.

IN BOHEMIA = *Pragenſis*, a Carolo IV. Imperatore, confirmata a Clemente P. VI. Conſt. *Conſiderantes*. 1347. 26. Jan. cir. 1345.

IN POLONIA = *Cracovienſis*, a Caſimiro Rege erecta, a Uladiſlao Jagelone Succeſſore paullo poſt perfecta, ab Urbano P. V. comprobata quoad licitae cujuſque Artis, Theologia excepta, praelectionem, & in- 1364.

corum Regibus aduſque Henricum II., turpiter errantem ſequuti ſunt. Alium alii cum *Genebrardo* praedicti collegii exordio adſcripſerunt annum; & ferme apud Hiſtoricos obtinuerat error, donec accurata Launoii critice rem in optimo lumine collocavit. Et plane quid ſimile ab aliquo vere critico demoſtrandum quoad hiſtorica puncta fere infinita deſideratur, nec unquam ſatis.

(*p*) Ap. *Maſſon.* in Annal. Franciae l. 3. in Philippo *Pulchro*.

(*q*) Ex *Maſſon.* in Annal. p. m. 442., & 478.

(*r*) De Schol. Celebr. cap. 46.

(*s*) Conf. *Paraeum* in Hiſt. Bavarico-Palatina, cum notis *Georgii Chriſtiani Joannis* l. 3. ſect. 2. a num. 178.

(*t*) Conf. *Middendorp.* l. 2. in Acad. Colon.

(*u*) Ita colligo ex Additionibus ad Lambertum Scafnaburgenſem apud Editorem Scriptorum rerum Germanicarum p. m. 265.

& insuper a Bonifacio P. VIII. speciatim quoad Theologiam; postremo a Paullo P. V. Brevi *Ad ea* 1613. 14. Nov. pleniſſime confirmata [x].

1383. IN HUNGARIA = *Quinqueccleſienſis*, ab Urbano VI. Conſt. *In Supremae* 1383. 1. Sept.

VI. *Academiae erectae, ſeu inſtauratae a MCD. ad MD.*

SECULUM SCHOLASTICUM IV.

CHRISTIANUM XV.

A. C. 1440. IN HISPANIA. *Barcinonenſis*, erecta ab Alphonſo V. Aragoniae Rege diplom. dat. 1440. ad Barcinonis Rectores, tum temporis vulgo *Conſiliarios*, directo; ac deinceps a Nicolao P. V. confirmata. Et ipſi quidem Urbis Rectores Academiae Patroni, & Adminiſtratores conſtituti ſunt; quippe qui eam dotarunt, & Statuta, quibus regeretur, praeſcripſerunt (y).

1470. *Siguntina* in Regnis Caſtellae, a Lupo Medinenſi, Almazani Archidiacono, cui ut illam conderet, author fuit praeclariſſ. Ximenius Ciſnerius cir. 1470. (z)

1472. *Hiſpalenſis* primum erecta, ſeu incoepta an. 1472. quatenus Inſtitutor Rodericus Ferdinandus de Santaëlla, vel a Sancta Aelia, Philoſophiae, & Theologiae Doctor, Hiſpalenſis Eccleſiae Canonicus, Archidiaconus vulgo *de la Reyna*, & Sedis Apoſtolicae Protonotarius, ſub eum annum Academiae domum incoepit. Eam adprobarunt Catholici Reges Diplom. dato 1502. 22. Febr. ac deinceps confirmavit Julius P. II. Conſt. data 1505. 12. Jul. (a) (*).

1474. *Caeſarauguſtana*, erecta 1474., & innovata, privilegiiſque inſignita a Carolo V. Hiſpaniae Rege 1543.

cir. 1484. *Toletana*, erecta a Franciſco Alvarez de Toledo, Canonico Toletano,

(x) Confer *Statuta Regni Poloniae* edita 1600. 2 pag. 215. & *Martinum Cromerum* de Origine & rebus geſtis Polonorum l. 22. ad an. 1361. Apud praefata Statuta, necnon alios rerum Polonicarum Scriptores habes memoratorum Urbani & Bonifacii diplomata, quae noviſſimos Pontificii Bullarii Collectores fugerunt.

(y) Ita *Xatmarius* de privil. Barcinonenſ. §. 6. num. 31. & 32. & *Xaupinus* in hiſtoricis diſquiſition. ſuper nobilitate honoratorum Civium Perpiniani & Barcinonis c. 2. p. 114. Alii quidem Carolo V. Academiae erectionem adſcribnnt; at nullo tamen adlato documento.

(z) *Gomez* in vita Ciſnerii ap. Hiſpan. illuſtr. t. 1. p. 933. lin. 50.

(a) Conf. *Ortizium* in Annal. Hiſpal. ab an. 1502. ad 1509.

ADNOTATIO.

(*) APud *Mendum* in Comment. de Jure Academico l. 1. quaeſt. 6. num. 99. Santaëlla fuit Catholicis Regibus a Confeſſionibus, Regni Siciliae Viſitator Generalis, electuſque Archiepiſcopus Caeſarauguſtanus. Cererum praeclara haec Viri ornamenta, credis, ſubticuerint alto ſilentio Ortizius, & Santaëllae noſtri, fato functi 1509. 20. Jan., ſepulchrale Elogium, quod Laudatus Ortizius ad ſingulos apices recitavit?

letano, Protonotario Apoſtolico & Alexandri P. VI. Datario. Primum confirmata ab Innocentio P. VIII. Lit. dat. 1485. 3. Maj., tum a Leone X. an. 1520. 22. Febr. & Paullo III. 1535. 28. Jul. & Julio III. 1552. 19. Jan. Quin etiam ipſam adprobarunt, & multis privilegiis ſtabilierunt Carolus V. una cum Joanna ejus Genitrice Dipl. dat. 1529. 12. Maj., necnon alii munifici Hiſpaniae Reges (*b*).

Granatenſis a Ferdinando Talabricenſi, Hieronymiano, primo ejus Urbis Antiſtite poſt 1492. quo eam Urbem Mauri Ferdinando Regi Catholico dediderunt. Confirmata dicitur a Carolo V. 1537. (*c*). Poſt 1492.

Abulenſis fortaſſe erecta ſub Alexandro P. VI. circiter 1496., vel a Catholicis Regibus Ferdinando & Eliſabetha, vel a Fr. Thoma de Torquemada, Generali Fidei Quaeſitore. Forte circ. 1496.

Valentina Hiſpana in Edetanis inſtituta ab Alexandro P. VI. Bulla Romae dat. 1550. x. Cal. Febr., & confirmata a Sixto P. V. Conſt. *Copioſus*. 1585. 30. Oct. In hac autem Conſtitutione adſerit Sixtus, Valentinam Academiam creatam fuiſſe ab Alexandro VI., nec non ipſe in eximium Academiae commodum, praeſidium & decus, Octodecim Praepoſituras pro totidem Theologiae, ac Utriuſque Juris Praelectoribus, qui inſimul in Sede Cathedrali Valentina ſtatis horis reſideant, ac divinis Officiis interſint, inſtituit. Hanc Academiam magno ejuſdem decori frequentavit S. Joſephus Calaſanctius, & in ea Theologiae operam dedit (*). 1500.

(*b*) Conf. *Franciſc. de Piſa* in Deſcript. Toleti p. 1. l. 1. c. 26.

(*c*) Conf. *Gomez.* nuper laudatum.

ADNOTATIONES.

(*) I *Dericus Raynaldus* in Annal. ad an. 1245. ſub Innocentio IV. num. 76. haec ſcribit. „ Hoc tempore „ Rex Aragonum (*Jacobus vulgo* expugna- „ tor, *qui tum glorioſe imperabat ceſſitque* „ *fatis* 1276. 7 *Jul*.) Valentiae Gymna- „ ſium condidit, cujus conſilium laudi- „ bus proſecutus eſt Innocentius, ampliſ- „ ſimiſque praerogativis, ut Pontificiae „ literae tum ad ipſum (Innoc. l. 3. Ep. „ 7. 8.) tum ad Epiſcopum Helenenſem „ (Ibid. Ep. 9.) datae demonſtrant, in- „ ſignivit. „ Porro ejuſmodi Innocentiani Epiſtolarum libri a Raynaldo citati, abſque dubio MSS. ſunt, & una cum aliis ejus generis in ſecretis Pontificum regeſtis adſervati; nec enim, quod ſciam, ullum habemus Innocentii IV. Epiſtolarium opus typis excuſum.

Hujuſce Valentini Gymnaſii perhonorificam tot abinde Seculis erectionem, quam facile crediderim a Monarcha Expugnatore, Chriſtiani nominis & literarum amantiſſimo procuratam, nullus, quem fortunate viderim, ex Hiſpaniae vel aliarum Gentium Scriptoribus teſtatam reliquit. Id ipſum fortaſſe, aliquando florens, & lapſu temporum obſoletum reſtauravit aut denuo erexit Alexander VI.

His cohaeret quadantenus illorum ſententia, qui cum *Mendo* de Jure Acad. l. 1. q. 6. ubi de Acad. Valent adſerere non dubitarunt, S. Vincentium Ferrerium in patria Academia Valentina S. Theologiam e cathedra praelegiſſe. Conſtat enim, Vincentium ſub an. circ. 1386; ſuae aetatis circ. 30. rogatu Valentiae Epiſcopi, Capituli & Magiſtratus, Ilerda

1405. IN ITALIA = *Taurinenſis*, a Ludovico Duce erecta, a Victore Amaedeo, Sabaudiae Duce, ac Sardiniae Rege nuper inſtaurata.

1401. IN GALLIA = *Nannetenſis*, dicitur confirmata a Carolo VIII. Galliae Rege, diplomate ſubſignato 1401. Verum eam primum erexiſſe Pium P. II. conſtat ex ejus Conſt. *Inter felicitates* 1460.4.Apr.[*d*]

1409. *Aquenſis*, ab Alexandro P. V., ut fertur, erecta, & ab Henrico IV. Rege reſtaurata 1603.

1426. *Dolana*, a Philippo Burgundiae Duce.

1431. *Pictavienſis*, a Carolo VII.

1452. *Cadomenſis*, erecta ab Eugenio P.IV. Conſt. *Dum in hac*. 1437.30. Mai. (*e*), confirmata ſeu inſtaurata a Carolo VII. 1452. diplomate adlato apud *D' Acherium* (*f*).

1452. *Valentina*, a Ludovico Delphino, poſtea Rege Lud. XI.

1465. *Bituricenſis*, ab ipſo Ludovico XI.

1473. *Burdigalenſis*, jam a tempore S. Hieronymi ſat famoſa, ab Eugenio P. IV. inſtaurata 1441. ut ajunt, ab eodem Rege Ludovico privilegiis communita 1473. (*g*) IN

da Valentiam revocatum fuiſſe, ibique ſex annos publice eos docuiſſe Theologiam, qui in Scholis liberalium Artium ſtudiis vacabant. (Ap. *Bolland.* in Sancti vita ad d. 5. April. p. m. 487., ex *Ranzano*, aliiſque ejuſdem Biographis.) Itaque jam tum literae frequentia publica excolebantur. Et quidem ut minimum fatendum nobis eſt, illiuſmodi Scholas quaedam fuiſſe incunabula, rudimenta, ſeu praeludia Academiae olim florentiſſimae, qualem hodieque ſuſpicimus. Conf. *Ximenius* de Scriptor. Valentinis T. I. p. 68.

II. *S. Antoninus* p. 3. chronic. tit. 23. c. 4. *Volaterranus* in Pandocheo, *Middendorpius* l. 3. ubi de Acad. Valent. *Mendo* de Jure Acad. l. 1. q. 6. n. 104. ſtatuunt ac definiunt, S. Patriarcham Dominicum in Academia Valentina literis incubuiſſe. Verum in primis nec ea ſplendentiſſima Academia adſcititios honores adpetit, nec ipſis eget. Hi deinde omnes, & qui cum illis incaute ſentiant, falluntur egregie, nec magnam in temporum Hiſtoria & Chronologia peritiam produnt.

Siquidem Valentiae Urbs, totumque Regnum multis abinde ſeculis ſub Mahometica tyrannide doluit, gemuitque aduſque diem nonam Octobris anni 1238. qua Magnus ille Jacobus Expugnator Rex Aragonum Urbem ſibi a Mauris deditam comparavit. Quis autem, niſi ſciens volens deſipiat, in Urbe ejuſmodi captiva Chriſtianam Academiam, quam Dominicus, denatus Bononiae 1221. 6. Auguſti frequentaſſet olim repererit? Itaque mi, nime Valentinae Academiae Scholas, ſed Palentinae frequentavit Dominicus, illuſtravitque, uti ſuperius ex probatiſſimis Scriptoribus admonuimus.

III. Ego vero adverſus memoratos commenti adſertores haud magnam criminationem inſtituerim; ipſi enim, ut notum eſt, in congerendis, narrandiſque hiſtoriis haud magno delectu uſi ſunt, quapropter nec Critici audiunt. *Launoium* tamen, ceteroqui Eruditum & aprime in omnium ore Criticum, graviſſime miror.

Hic enim, qui inter Scholas celebriores ex Hiſpanis duas duntaxat reperit, Palentinam & Valentinam, in iis mirabiliter ceſpitavit, & lapidem offenſionis invenit. Quippe vehementi ſcrupulo, dubioque oppreſſus, num Patriarcha Dominicus in Palentino Gymnaſio, num in Valentino literas excoluerit, rem indefinitam reliquit (in l. de Schol. celebrior. c. 58.) At hoc tamen dubium, leviſſimis quidem enatum cauſſis, quo ſe perinſigniter Criticum oſtendere voluit, ipſum in rerum hiſpanicarum, & S. Dominici geſtorum eruditione valde peregrinum demonſtrat. Adeo etiam viri Critice commendatiſſimi, cum non omnia ſciant, nonnumquam dormitant, ſaepeque falluntur & fallunt.

(*d*) Ap. *Bulaeum* Hiſt. U. Pariſ. t. 5. p. m. 661.

(*e*) Prout eam ex Mſſ. d' Herouval recitat. *D'Acherius* tom. 6. Spicil. a p. m. 495.

(*f*) Ubi nuper a p. 499.

(*g*) Sed V. *Bul.* H. U. P. t. 1. p. 55.

IN SCOTIA = *Andreapolitana*, ab Henrico de Varlaw, ejus Archipraesule. Haec olim apud Scotos celeberrima (*h*). 1431.

IN GERMANIA = *Lipsiensis*, a Friderico I. Electore Saxoniae [*]. 1408.

Rostochiensis, a Ducibus Megapolitanis, Civibusque Rostochiensibus. 1415.

Friburgensis, ab Alberto VI. Austriae Duce. 1463.

Tubingensis, ab Everardo Probo Com. Wittembergico. 1477.

Moguntina, a Diethero Isenburgio, Mogunt. Archiep. Principe Electore, ut fertur, erecta, & privilegiis a Sixto P. IV. communita [*i*]. 1477.

IN HELVETIA = *Basileesis*, a Pio P. II. ut fertur. 1469.

IN BELGIO = *Lovanienſis*, a Joanne IV; Brabantiae Duce, adprobante Martino P. V. Const. *Sapientiae* 1425. 9. Dec. & confirmante Gregorio XIII. Const. *In praecelsa*. 1572. 1. Mart., ad preces Philippi Hispaniae Regis (*k*). 1425.

IN BAVARIA = *Ingolstadienſis*, a Ludovico Divite, Bavariae Duce, eamque Georgius filius 1490. confirmavit, amplificavit, multisque modis auxit (*l*). 1472.

IN HUNGARIA = *Budenſis* a Matthia Corvino Rege Hungariae. circ. 1484. 1480.

IN DANIA = *Koppenhagenſis*, inchoata ab Henrico Rege, ac perfecta a Christiano Oldemburgico 1478. 1478.

IN POMERANIA = *Gripsuvaldenſis*, erecta ab Vratislao IX. Pomeraniae Duce 1456. & a Philippo Duce itidem Pomeraniae instaur. 1547. 1456.

SECULUM SCHOLASTICUM V.

CHRISTIANUM XVI.

VII. *Academiae institutae, seu instauratae a MD. ad MDC.*

An. Chr. 1508.

IN HISPANIA. *Complutenſis*, erecta & munificentissime dotata, ac illustrata ab incomparabili Viro Francisco Ximenio Cisnerio, Generali Hispaniarum Quaesitore, Toletano Archie-

(*h*) Ex *Leslaeo* de reb. Scotor. in descript. Scotiae p. m. 24.

ADNOTATIO.

(*) SI fides sit *Aenaeae Sylvio* in Hist. Bohemiae c. 35., eam inchoarunt Magistri ac discipuli Teutonici generis, qui in Pragensi Gymnasio scientias excolebant, numero circ. quinque millia: ii quippe vehementissime commoti, quod illud nova lege, procurante Haeresiarche Hussio, per Nationes, ritu Parisiensis Academiae gubernaretur, Lipsiam ad unum omnes concesserunt, ibique Generale studium erexerunt.

(*i*) Conf. *Nicol. Serar.* Moguntiacarum rerum l. 1. c. 34.

(*k*) Conf. I. *Lipsi.* in hujus Academiae descript. in Lovanio t. 2. Oper. l. 3. a p. m. 875. *Nicol. Vernuleum* in Acad. Lovaniensi libris III. comprehensa, *Valer. Andream Desselium* in Fastis Academicis Studii Generalis Lovaniensis.

(*l*) Conf. *Peraeum* in Hist. Palat. l. 2. sect. 6. n. 101. cum nota *Christiani Joannis*.

Archiepiſcopo & Cardinali. Eam diù adprobaverat Alexander P.VI. Conſt. *Militanti Eccleſiae*. 1499. 13. Apr., & poſtmodum jam erectam confirmarunt Julius P. II., Leo X., Clemens VIII., tum Catholici Reges, & Carolus V., ipſam clariſſimis privilegiis ad unum omnes communiendo (*m*).

Sublime decus & ornamentum a ſanctiſſimis Viris haec Academia tetulit. Quippe S. Protoparens Ignatius Loyolaeus in ea Philoſophiae ac Theologiae fundamenta jecit (*n*). Tum S. Thomas a Villanova, Archiepiſcopus Valentinus, Philoſophiam ac Theologiam Diſcipulus audiit, & ex Cathedra ſapientiſſimus Magiſter praelegit. Ibidem denique S. Joſephus Calaſanctius operam dedit Theologiae, & inſigni ejuſdem laurea donatus eſt (*).

Forte 1520. *Compoſtellana*, ab Alphonſo de Fonſeca Archipraeſule Compoſtellano,

(*m*) Conf. Ciſnerii Vitam Complutenſis Academiae nomine Panormi editam 1653. in l. 3. c. 17.

(*n*) Conf. *Ludovic. Conſalvum* in vita S. Ignatii ex ejuſdem ore excepta, num. 57.

ADNOTATIONES.

(*) I. SUnt qui primaevae hujus Academiae erectioni conſignent annum 1460., Authore Ildephonſo Carrillo de Acuña, Archiantiſtite Toletano. At egregie falluntur; hic enim Ildephonſus ſcientiarum Generale ſtudium minime inſtituit, ſed duntaxat tres Grammatices Scholas, quibus Pontificia Callixti III. & Pii II. authoritate ſuffultus, Eccleſiaſticos quoſdam redditus adnexuit.

Fortaſſe vetuſtiora noſtrae Academiae incunabula quis praefigere audeat; quatenus nempe Sancius Rex ſub an. 1331. 20. Maj. Complutenſi Urbi, ad preces Gonſalvi Toletani Archipraeſulis, leges, ac privilegia Univerſitatis indulſit: id quod Ciſnerius, ut ſuae Academiae inſtitutionem promoveret, obtineretque, Catholicis Regibus propoſuit. Ceterum nec liquido conſtat de ejuſmodi legum & privilegiorum natura, nec de ullo publico & Generali Gymnaſio, vi eorumdem jam tum inſtituto.

Itaque mihi primus & unicus florentiſſimae Academiae Conditor Ciſnerius fuit. Ipſe ſollemni pompa lapidem primum fundamentalem magnificentiſſimae domus Academiae poſuit an. 1499. 14. Mart; Scholas primum aperuit 1508. 11. Aug. per nobiles Doctores ſuo nomine, ſollemnius vero literariae functioni praeſes 19. Oct. die ejuſdem anni. (Conf. *Ciſnerii vitam* proxime laudatam, tum *Gomezium* in vita ejuſdem Ciſnerii l. 3. ſub fin. & l. 4. ſub init. ap. Hiſpaniam illuſtratam tom. 1.)

II. Nimenſis Epiſcopus *Flechierius* in Ciſnerii vita l. 3. ad an. 1508. p. m. 354. pompatice enarrat, Ciſnerium in condenda Complutenſi Academia inſequutum principalius fuiſſe ſuae Pariſienſis Academiae mores, quos nempe Cardinalis prae ceteris nobiliores, politioreſque aeſtimabat. Et in hanc rem teſtem adhibet Gomezium in Ciſnerii vita l. 4.

Etvero Gomezius, qui ubi laudatur, & Complutenſem Academiam, & ejus Authoris animum latiſſime, eleganterque deſcribit, de illo argumento id unum effatur. „ Conſtituit etiam ad Pariſienſis „ Scholae exemplum Academiae Cancel„ larium, qui honorum titulos (quos „ vulgo gradus vocant) ſtudioſis tribue„ret, & ſimul cum quatuor viris, qui „ examinationi juvenum in liberalibus di„ſciplinis quotannis praeficiuntur, prae„ſens eſſet; omnibuſque literariis actibus „ jure ſuo intereſſet„ Haec Gomezius, nec non apice plura. Ex quibus profecto, Ciſnerium uno vel altero Pariſienſis Scholae ritu vel more ſuam informaſſe Academiam liquido ſubinferre licet; minime pleriſque omnibus, uti jactaſſe Flechierius videtur in Patriae honorem.

lano, ac deinceps Toletano, 1520; vel, ut aliis placet, ſerius.

Ovetenſis, a Ferdinando Valdes, Archiepiſcopo Hiſpalenſi, & Generali ſacrae Fidei Quaeſitore. Fertur perplura a PP. & Regibus privilegia obtinuiſſe. 1536.

Beatienſis, a Ven. Joanne de Avila. 1538.

Oxomenſis, a Petro de Acoſta, Epiſc. Oxomenſi. cir. 1540.

Gandienſis, creata a S. Franciſco a Borgia, Gandiae Duce, ſuaeque Academiae Doctore; deinceps confirmata & privilegiis inſignita a Paullo P. III. an. 1549. & a Carolo V. an. 1550. (*o*) 1548.

Oñatenſis, a Roderico Mercado, Epiſc. Abulenſi. 1548.

Urſonenſis, a Jo. Tellez Giro, Comite de Ureña (*p*). 1549.

Tarraconenſis, a Gaſpare Cervantes Gaetes, Tarraconenſi Archiepraeſule, & Cardinali. 1571.

IN ITALIA = *Maceratenſis*, a Paullo P. III. Brevi *In Eminenti*. dat. an. 1540. 1. Jun. 1540.

Braydenſis Mediolani, a Gregorio P. XIII. Conſtit. *Dum intra mentis noſtrae arcana*. dat. Romae 1572. x. Cal. Julii, ad preces S. Caroli Borromaei, Archipraeſulis Mediolanenſis. 1572.

IN GALLIA = *Remenſis* altera, a Carolo Cardinali a Lotharingia. 1548.

Turnonenſis, a Franciſco Turnonio, Cardinali. 1552.

Veſuntina, a Ferdinando I. Imp. 2564.

Muſſipontana, ab eodem Cardinali a Lotharingia erecta, & confirmata a Gregorio P. XIII. Conſt. *In ſupereminenti* 1572. 5. Dec. 1572.

Flexienſis, ab Henrico IV. Galliarum Rege. cir. 1590.

IN LUSITANIA = *Conimbricenſis*, a Joanne III. clariſſimo Luſitaniae Rege Conimbricam Uliſſippone tranſlata (*q*). poſt 1537.

Goana in Peninſula Indiae intra Gangem, ab eodem Joanne III. Luſitaniae Rege inſtituta circ. 1550. cir. 1550.

Eborenſis, ab Infante Cardinale Henrico, poſtea Luſitaniae Rege (*r*). 1559.

IN SCOTIA = *Aberdonenſis* a Guillelmo Elphinſtono, Aberdonenſi Epiſcopo, ac ſecretioris ſigilli Scotiae Cuſtode, ſub Jacobo IV. Scotiae Rege, circ. 1500. (*s*) cir. 1500.

IN GERMANA = *Vetero-Boleſlavienſis* in Boleſlaviae Provincia antiquitus erecta & frequentata uſque ad Huſſitarum tempora; deinceps collapſa; reſtituta denique ac dotata a Ferdinando I. Imp. (*t*) Incerto.

Francofurtenſis ad Oderam, a Joachimo Electore Brandeburgico. 1506.

Wittembergica, a Frederico III. Electore Saxoniae. 1508.

Marpurgenſis, a Philippo Landgravio. 1526.

Tre-

(*o*) Plura de ſollemni ejus creatione *Albarus* Cardinalis *Cienfuegos* in vita S. Borgiae l. 3. c. 2. §. 3.

(*p*) Ap. *Gomez.* in vit. Cardin. Ximen l. 1. p. m. 933.

(*q*) Conf. *Reſend.* Orat. in Dedicat. R. Conimbric. Gymnaſii.

(*r*) Conf. *Anton. Franco* in Imagine virtutum Tirocinii Eborenſis S. J. l. 1. c. 11.

(*s*) Ex *Leſlaeo* de reb. geſtis Scotorum l. 9. p. m. 373.

(*t*) Conf. *Bouſſaum Balbinum* in Epit. Hiſtoriae Boleslavienſis l. 6. c. 5. p. m. 26.

1535. *Trevirenſis*, a Jacobo Sirkio, Archiep. Trevir. erecta 1453., ſeu potius ad ejus preces a Nicolao P. V. Conſt. *Cum ſicut.* 1454. 2. Febr. [*] deinde injuria temporum collapſa; a Joanne Metzenhauſen Trevir. Archipraeſule reſtituta demum, atque perfecta 1535. [u]

1538. *Argentoratenſis*, ab Senatu & Populo Argentoratenſi.

1549. *Dillingenſis* ab Othone Cardinali Truchſeſio erecta, & confirmata a Julio P. III. Brevi *Copioſus*. 1552. 6. Apr.

1558. *Jenenſis*, a Joanne Frederico, Saxoniae Electore.

1576. *Helmeſtadienſis*, quae & *Julia*, a Julio Duce Brunſvicenſi (x).

1578. *Neoſtadiana*, vulgo *Caſimiriana*, Neapoli Nemetum a Joanne Caſimiro Comite Palatino Rheni (y).

1585. *Franecherana*, ab ignoto Authore.

1585. *Graecenſis* a Sixto P. V. Conſt. *Coeleſtis Patris*. 1585. 1. Mar.

1589. *Sigonenſis*, primum *Herborna*, à Joanne Comite Naſſavio.

1560. IN BELGIO = *Duacenſis*, a Philippo II. Hiſpaniae Rege, ac Flandriae Comite. Et primum quidem ad ejuſdem Philippi preces eam adprobarat Paullus P. IV. & rurſus Pius IV. Conſt. *Rationi congruit*. 1559. 6. Jan., pleriſque adjectis privilegiis (z).

1575. *Lugdunenſis Batavorum* ab Hollandiae Ordinibus.

1542. IN POLONIA = *Elbigenſis*, ab Alberto Borruſſiae Duce.

1579. *Vilnenſis*, a Gregorio P. XIII. Conſt. *Dum attenta*. 1579. 29. Oct.

1594. IN BOHEMIA = *Comutavienſis* in Pragenſi Dioeceſi, inſtituta a Georgio Popelii Barone de Lobkoviz, & confirmata a Clemente P. VIII. Conſt. *In ſacra*. 1594. 29. Aug.

1598. IN BORRUSIA = *Regio-Montana*, ab Alberto Brandemburgico III. Duce Borruſſiae.

1551. IN AMERICA HISPANA = *Limenſis*, ut fertur, a Carolo V. Imp. erecta, & confirmata a S. Pio P. V. 1571. 8 Jul.; tum ab aliis Hiſpaniae Regibus reparata & pluribus aucta.

1551. *Mexicana* a Carolo V. dipl. dato 1551. 21. Sept. ſollemniter inchoata 1553. confirmata primum a Paullo P. IV. lit. expeditis 1555. & deinde a Clem. VIII. Conſt. *Ex ſupernae*. 1595. 7. Oct. (a)

1558. *Sancti Dominici*, ab Hernando de Jorgan, adprobante Philippo II. Hiſpaniae Rege.

Qui-

ADNOTATIO.

(*) HAec quidem Conſtitutio, uti aliae innumerae, fugit Carolum Cocquelines in ampliſſima Collectione Bullarum RR. Pontificum; ſed ea tamen exſcribitur a *Brovvero* & *Maſſenio* in Annal. Trevirenſibus l. 19 ad an. 1454.

(u) Haec jam a tempore Gratiani Imperatoris primitus floruiſſe conjicitur a *Middendorpio* de Academ. Orbis Chriſt. l. 2. ubi de Trevirenſi.

(x) Plura *Meibomius* junior in Diſſert. rer. Germanic. tom. 3. Diſ. de Acad. Juliae primordiis & incrementis p. m. 217.

(y) Plura *Paraeus* in Hiſt. Palat. l. 6, ſect. 2. p. m. 298.

(z) Prolixam ejus magnificae erectiones Hiſtoriam dabit *Joan. Buzelinus* in Gallo-Flandria ſacra & prophana l. 11. ad an. 1560., pluraque de eadem Academia.

(a) Conf. *Eguiara* in Bibliotheca Mexicana art. *Academia Mexicanenſis*.

Quitoana in Peruvia, a Sixto P. V. Conſt. *Intelligentes*. 1586. 20. Aug. 1586.

Angelopolitana a Clemente P. VIII. Conſt. *Sedes Apoſtolica*. 1598. 11. Jan. 1598.

VIII. *Academiae fundatae, vel inſtauratae a MDC. uſque ad MDCC.*

SECULUM SCHOLASTICUM VI.

CHRISTIANUM XVII.

IN HISPANIA. *Pampelonenſis*, a Philippo III. Hiſpaniarum Rege erecta, & deinde ad preces Philippi IV. confirmata a Gregorio P. XV. Conſt. *Coeleſtis Patris*. 1621. 16. Sept. A. C. 1608.

Majoricenſis, quae & *Lulliana*, erecta jam a Ferdinando Catholico Rege Hiſpaniarum an. 1483. 31. Auguſt., & novo rurſus decreto an. 1503. 21. Februar., confirmata a Clemente P. X. lit. dat. Epiſcopo Majoricenſi 17. April. 1673. *Exponi nobis*; ad preces Regum Hiſpaniae & Urbis Majoricae Magiſtratus ac Studii Generalis, apud Inſulas Baleares [*]. Conf. 1673.

IN ITALIA = *Ceſenenſis*, diu inſtituta, ampliſſime confirmata a Clemente P. X. 1675. 28. Sept. Conſt. *In Apoſtolicae*. Conf. 1675.

IN SARDINIA = *Saceritana*, inſtituta a Philippo III. Hiſpaniae Rege, dum ei ſubjacebat, 1617., & confirmata a Philippo IV. ejus Succeſſore diplomate dato 1632. 18. Octob. 1617.

Calaritana, a Magiſtratu Calaritano erecta. 1626.

IN GALLIA = *Richeleenſis*, a Ludovico XIII. Galliae Rege. 1640.

IN

ADNOTATIO.

(*) LEgiſſe memini in Actis Raymundi Lulli apud *Bollandianos* ad diem 30. Jun. ex *Cuſſurerio*, teſtem aliquem in vivis agentem an. circiter 1340. Majoricenſis Univerſitatis Doctorem adpellari.

Hinc forte cuiquam ſatis congrue ſubinferre liceat, jam illis pervetuſtis temporibus publicam aliquam Scientiarum Scholam apud Majoricenſes effloruiſſe; a qua nempe haec recentior ſub nomine Academiae inſtituta, ſaepiuſque confirmata ſuam geneſim repetat.

Equidem, ſi fides *Vincentio Mutio* tom. 2. Hiſtor. Regni Majoricenſis l. 8. c. 6., Lullus idem ſub an. 1276. in Majoricenſi oppido, vulgo *Miramar*, Seminarium ad linguarum ſtudium erexit, a Jacobo Majoricae Rege dotatum, & a Joanne P. XXI. confirmatum literis ad eundem Regem datis Viterbii XVI. Cal. Octob. an. ſui Pontificatus I.

At Seminario deinceps injuria temporum extincto, novum plurium linguarum, Scientiarumque, praeprimis Lullianae Artis Gymnaſium extructum eſt in eo Majoricae Urbis loco, cui nomen hodieque *Monte-Sion*, ubi temporum fluxu pientiſſima Majoricenſium munificentia Soc. J. Collegium condidit. Cathedrae demum praelaudati Gymnaſii in hodiernam Academiam tanſierunt, aut potius Academiae formam, honores & nomen adeptae ſunt.

Adeo Majoricenſis haec Academia jure optimo *Lulliana* nuncupatur; tum in Lulli Majoricenſis gratiſſimam memoriam & laudem; tum quod Cathedram celebratiſſimae Lulli Arti praelegendae adſervet; tum quod ſuarum, quibus hodiedum magnopere inclaret, Scientiarum originem uni Lullo acceptam referat. En itaque Academiam ſub eo ſenſu Patrono ſuo Raymundo Lullo coaevam.

1607. IN GERMANIA = *Giſſena*, a Ludovico Landgravio Haſſiae.

1615. *Paderbonenſis*, a Theodoro Paderbonenſi Epiſcopo erecta, propterea dicta *Theodoriana*, & confirmata a Paullo P. V. Conſt. *In ſupereminenti*. 1615. 2. Apr. [*b*].

1617. *Salisburgenſis* a Marco Sittico, Salisburgenſi Archi-Antiſtite ſub an. 1617. tanquam privatum Gymnaſium fundata, & ſub an. 1622; novo ſedente Archiepiſcopo, in Univerſitatem erecta.

1618. *Molſheimenſis* in Alſatia creata a Caeſare.

1621. *Argentinenſis* in Alſatia primum creata a Maximiliano II. Imp. an. 1566., deinde in ſtudiorum Univerſitatem converſa a Ferdinando II. ſub an 1621. (*c*).

1622. *Altorfienſis*, a Ferdinando II. Imp.

1648. *Bambergenſis* ab Melchiore Ottone, Bambergae Epiſcopo erecta, & confirmata ab Innocentio P.X. Conſt. *In ſupereminenti*. 1648. 18. Jul.

1669. *Chilonienſis*, ab Alberto, Holſatiae Duce.

1673. *Oenipontana* in Tyroli a Leopoldo I. Imperatore.

Conf. 1684. IN POLONIA = *Zamoskenſis*, diu creata, a Joanne Zamoſcki, Magno Poloniae Cancellario, & poſtremo ampliſſime confirmata ab Innocentio P. XI. 1684. 20. Februar. Conſt. *Quae a Romanis*.

1613. IN BELGIO = *Groningana*, ab ignoto Auth.

1636. *Ultrajectenſis*, ab Authore incerto.

1632. IN SUECIA = *Derpatenſis* apud Livoniam a Guſtavo Adolfo, Suevorum Rege.

1668. *Lundinenſis* Carolina a Carolo XI. Rege 1668.

1628. IN AMERICA HISPANA = *Guatimalenſis*, a Philippo IV. Hiſpaniae Rege inſtituta 1628., confirmata ab Innocentio P. XI. 1687. 18. Jun. Conſt. *E ſuperna*., ad preces Caroli II. Hiſp. Regis.

1634. *Tucumano-Cordubenſis* in Paraquaria, ab Urbano P. VIII. Conſt. *In eminenti*. dat. 1634 29. Mart., adnuente Philippo IV. Hiſpaniae Reg.

1681. *Manilanenſis S. Thomae* apud Inſulas Philippinas, ab Innocentio P. X. Conſt. *In ſupereminenti*. 1645. 20. Nov., ad preces Philippi IV. Hiſpaniae Regis inſtituta, & confirmata ab Innocentio XI. 1681. 7. Aug. Conſt. *Inſcrutabili*.

1690. *Quitenſis B. Ferdinandi* diu inſtituta, confirmata ab Alexandro P. VIII. Brevi *Ex injuncto*. 1690. 7. Nov.

1693. *Sanctae Fidei* in ejuſdem cognominis Urbe in perpetuum confirmata ab Innocentio P. XII. Brevi *Alias fel.* 1693. 1. Sept.

IN

(*b*) Plura de hac Academia *Joan. Horion* in Penegyricis Theodorianae Academiae Fundatori dicatis, libris III., qui adjici ſolent Monumentis Paderbonenſibus, Amſtelodami recuſis 1672.

(*c*) Plura *Joan. Daniel* Scoepflinus in Alſatia illuſtrata tom. 2. a p. m. 344. ex *Sturmio*, *Obrechtio*, *Heumanno*, *Sleidano*.

IX. *Academiae inſtitutae, tranſlatae, aut confirmatae a MDCC. ad MDCCLXVI.*

SECULUM SCHOLASTICUM VII.

CHRISTIANUM XVIII.

IN HISPANIA. *Cervarienſis* in Catalonia, a Philippo V. Hiſpaniae Rege inſtituta Diplomate dat. 1717. 17. Auguſti, quocirca a nonnullis *Philippica* nuncupatur; ac deinceps ad ejuſdem Philippi preces, a Clemente P. XII. confirmata, praeclariſque privilegiis inſignita 1730. 4. Decemb. Conſt. *Imperſcrutabilis* (*). A. C. 1717.

IN ITALIA = *Urbinatenſis*, erecta a Clemente X. Conſt. *Aeternae Sapientiae*. 1671. 6. Apr. & denuo confirmata a Clemente XI. 1721. XIV. Cal. April. Conſtit. *Inter multiplices*. 1721.

Camerinenſis, a Benedicto P. XIII. 1727. 1. Jul. literis ad Camerinenſem Epiſcopum datis, quarum initium *Liberalium*. 1727.

IN AMERICA HISPANA = *S. Jacobi de Leon de Caracas*, in Urbe ejuſdem nomiuis, ab Innocentio P. XIII. 1722. 19. Auguſti Conſt. *Inſcrutabili*. 1722.

Sancti Dominici, in Urbe cognomine apud Inſulam Hiſpaniolae, in Collegium Societatis Jeſu Academia alibi olim erecta ab Hernando de Jorgan, translata eſt, annuente ipſo Philippo V. decreto ſignato 1745., & confirmante Benedicto P. XIV. 1747. 14. Sept. Conſt. *In ſupereminenti*. 1745.

Jacobopolitana in Urbe S. Jacobi, quae in Chilenſi Regno primaria eſt, erecta a Ferdinando VI. Hiſpaniae Rege, rem procurante D. Thoma Azua, Chilenſi, primo ejuſdem Academiae Rectore [*d*]. cir. 1750.

IN GERMANIA = *Uratiſlavienſis* a Leopoldo I. Imperatore 1702. 1702.

Fuldenſis altera, ſeu prima etquidem antiquiſſima, poſtmodum reſtaurata ab Adolpho Principe Fuldenſi. 1734.

Gottingenſis a Georgio II. Electore Hannov. 1737.

Cremifanenſis in Paſſavienſi Dioeceſi, confirmata a Maria Tereſia, 1744.

ADNOTATIO.

(*) IN hanc Academiam transformata eſt perantiqua illa, quam laudavimus, Ilerdenſis. Sed haec tamen longe plura & clariora prioribus adjecta privilegia & ornamenta una cum nova erectione nacta eſt.

Hanc ſuus Author Philippus a ſe munificentiſſime dotatam voluit; ac in ea quidem condidit Academiam, *maximis quibuſque non diſparem, & inter omnes Univerſitates hujuſmodi Europae in ejus aedificii magnitudine AEMULAM pro adoleſcentibus, praeſertim ex Principatu Cataloniae oriundis*. Haec totidem verbis laudata Conſtitutio Clementina §. 1. Cetera de hujuſce recentis quidem, ſed jam tota Europa ſplendentiſſimae Academiae incunabulis, progreſſibus, privilegiis, magnalibus, Scriptoribus abunde dabit ejuſdem Hiſtoria ab Eruditis Viris diu deſiderata & expetita.

(*d*) Ita accepi anno proxime elapſo 1765. menſe Octobri a P. Joſepho Salinas S. J., Provinciae noſtrae Chilenſis Procuratore Generali.

ſia, Hungariae ac Bohemiae Regina, Archiduce Auſtriae, atque Auguſtiſſima Imperatrice, dato diplomate 1744.

1759. IN POLONIA MINORI = *Leopolitana*, ſeu *Leoburgenſis*, a Joanne Caſimiro erecta, ab Auguſto III. Rege Poloniarum adprobata, & a Clemente P. XIII. confirmata Conſt. *In ſupereminenti Eccleſiae ſolio*. 1759. 26. Apr.

Animadverſiones conſectaneae.

X. *Academiae aliquot minoris nominis innuuntur.*

I. PErplurimae minoris nominis Academiae recenſentur, vel ſub nomine Academiae, vel Studii Generalis; & ipſae plerumque, ab Authoribus, quos viderim, Fundatoris laude, ſeu Fundationis epocha non indicatis: fortaſſis eaedem jactura temporum obſcuratae vel obſoletae ſunt, aut perierunt. Ejuſmodi exemplo ſunt quae mox ſubjiciuntur.

EX HISPANIA = *Hirachenſis* in Regno Navarrae, *Orcellenſis* in Regno Valentiae; *Dertuſana*, *Gerundenſis*, *Vicenſis*, *Coelſonenſis* in Cataloniae Provincia.

EX ITALIA = *Bergomenſis*, *Mantuana*, *Anconitana*, *Carnotenſis*, *Montis-regalenſis*.

EX LUSITANIA = *Berganzana*, *Algarbienſis*.

EX SICILIA = *Catanenſis*.

EX GALLIA = *Montalbanenſis*, *Sueſſionenſis*.

EX GERMANIA = *Oſnaburgenſis*, *Suollanna*, *Monaſterienſis*, *Suſatana*, *Tremonienſis*, *Embricana*, *Attrebatenſis*, *Numurcenſis*, & quas ſua aetate clarere monuit Lutherus *Zvvickavienſis*, *Torgavienſis*, *Gothana*, *Iſenacenſis* (*e*).

EX HIBERNIA = *Armachana* & *Dunenſis* in Ultonia, *Liſmonenſis* & *Caſſelenſis* in Momonia, *Mayonenſis* in Connacia.

EX ANGLIA = *Bangorienſis*, *Legionenſis*, *Carleonenſis*, *Londinenſis*, *Malmerburienſis*.

EX SCOTIA = *Glaſgoenſis* (*f*).

XI. *Delibantur Au-*

Plura id genus dabunt qui univerſim de Academiis (*), aut Scho-

(*e*) In Colloquiis menſalibus p. 116.

(*f*) Hanc equidem Academiam in Sede Archiepiſcopali ſitam, tanquam olim toto Regno celebratiſſimam retulit & commendavit *Joan. Leslaeus* ubi de rebus geſtis Scotorum, in previa Scotiae deſcript. p. m. 11.

ADNOTATIO.

(*) IN ejuſmodi Scriptorum albo recenſentur *Middendorpius* in commentar. de Academiis univerſi Orbis: *Conringius* de antiquitatibus Academicis: *Michael Anton. Baudrand* Pariſinus lib. de Academiis, qui tomo 11. ejuſdem Geographiae inſertus eſt: *Andreas Mendo* de jure Academico lib. 1. a quaeſt. 2: *Jolius*, Pariſienſis Canonicus, lib. de Scholis: *Michael Coyſardus* de Univerſitatibus, ſeu Academiis Orbis: *Laurent. Beyerlinck* in Theatro vitae humanae art. *Academia*. *Launoius* de Scholis celebrioribus: *Graveſon* in Syllabo Academiarum ad calcem tabularum Hiſtoriae Eccleſiaſticae: *Joan. Baptiſta Capaſſius* in Hiſtoria Philoſophiae ad calcem: *Michael a S. Joſeph* in Bibliographia art. *Academia*: *Xaverius Mannhart*

Scholis ſcripſerunt; ac deinde qui de ipſis plurimis ſpeciatim egerunt (*).

II. Non modo iſtae minoris famae Academiae, ſed etiam, quas retulimus, notiores, diverſas temporum fortunas paſſae ſunt; tum emarceſcente laude ſua, tum revireſcente, tum penitus intereunte: atvero quandocumque in eiſdem, in ſolo catholico ſitis, Theologiae profeſſio & cultura viguit, Scholaſticen inſimul cunctis ibi temporibus floruiſſe ponendum eſt; etiam ubi poſtremis aevis Polemice obtinuit: nec enim aut in Hiſpania, aut altera Catholici Latini Orbis regione, novimus hucuſque fuiſſe Scholaſticen ex jure aliquo, ſeu more Academico deſertam penitus & exterminatam.

III. Academiae omnes, quae in Anglia, Hibernia, Scotia, Ger-

thores, qui de Academiis pertractarunt.

XII.

In quibuslibet Catholicis Academiis quandocumque viguit ſacrae Theologiae ſtudium, & Scholaſtice floruit.

XIII.

Quae a fide Ca-

nhart in Bibliotheca domeſtica tom. 1. cap. 2. §. 2. num. 15.

Ceterum animadvertas, oportet, ejuſcemodi Authores ſaepeſaepius falli & fallere; quoniam plerumque unum ex alio ſine delectu & critice exſcripſiſſe notum eſt. Quin etiam ſi rem ad ſeveriorem trutinam revocemus, ex ipſis pauciores mihi videntur conſuluiſſe & ad unguem perpendiſſe accuratiores Hiſtorias Academiarum, quas ex omnibus pene Gentibus, certo definitis earundem fundationum epochis & Authoribus palam recenſent.

Id quod frequenter iis uſuvenire ſolet, qui hiſtorias utcumque univerſales deſcribunt; non enim valet Author unus, niſi ſummo perplurium annorum labore, hiſtorica omnium Gentium ſuper re qualibet documenta ad manus habere, atque ad amuſſim diſcutere, quo de eadem criticum judicum ferat, & literis conſignet. Hinc porro nec ipſe productum Academiarum Syllabum, qui aliqua ex parte Univerſalis eſt, ut omnino certum propoſitum velim; nec enim licuit pro ſingulis ejuſmodi poſitionibus probatiora documenta conſulere.

ADNOTATIO.

(*) IIs, qui de ſingularibus Academiis longiorem orationem inſtituerunt, merito accenſendi *Bulaeus* in Hiſt. Univerſitatis Pariſienſis, tomis VI. fol. ubi & de pluribus Academiis ſatis accurate: laudatus *Launoius*, ubi prolixe de Schola Pariſienſi, *Claudius Hemeraeus*, & *Robertus Gouletus* de Pariſienſi itidem Academia: *Alfonſus Garcia* de Academiis Hiſpaniae: *Gaſpar de Torres* de Conſtitutionibus Academiae Salmanticenſis: *Mendo* proxime laudatus, ubi latiſſime de Salmanticenſi Academia: *Gaſpar Ortigas* in patrocinio pro Gymnaſio Caeſarauguſtano: *Martinus Montor a Cueva* in propugnaculo pro Oſcenſi Academia: *Aegidius Gonzalez de Avila* in Theatro Eccleſiaſtico Hiſpalenſis & Siguenzanae Eccleſiarum: *Franciſcus Ortì* de Fundatione & progreſſibus Academiae Valentinae.

Tum *Antonius Vood* in Hiſtor. Univerſitatis Oxonienſis: *Joan. Roſſus* VVarvicenſis de Academiis Britannicis: *Joan. Cajus* de atiquitate Academiae Cantabrigienſis: *Anton. de Souſa Macedo* ubi de excellentiis Luſitaniae: *Riccobonus* de Gymnaſio Patavino: *Gatti* de Gymnaſio Ticinenſi: *Joſephus Caraſa* de Gymnaſio Romano: *Joan. Engerdus* de Academia Ingolſtadienſi: *Magnoaldus Ziegelbauer* Ord. Benedictini, quem recenſuit, auxit & publici juris fecit *Oliverius Legipontius* ejuſdem Ord., de Scholis Ordinis Benedictini in Hiſtor. de re literaria ipſius Ordinis par. 1. cap. 2.

Addito noviſſima & uberiora Bullaria Romana, quae ſparſim exhibent Conſtitutiones, Brevia, Literas, quibus ſummi Pontifices complures Academias aut inſtituerunt, aut confirmarunt, aut privilegiis communierunt: tum accuratiores particularium Gentium Hiſtorias, quae ſuarum Academiarum geneſes, decora, eventa referunt. Ex ejuſmodi praeprimis fontibus, prout licuit, nos ebibimus, & quae heic de re Academica concinnavimus, deduximus.

tholica defecerunt Academiae, Scholaſticen conſequenter repudiarunt

Germania, Helvetia & alibi uſque modo erectae, a vera Fide exſulantes, acatholicam doctrinam amplexae ſunt, Scholaſticen paritet abjecerunt; nequit enim divina haec Theologia cum ſatanica infidelitate in una ſede conſiſtere & commorari. Id vero ejuſdem commendationi potius quam vituperio vertendum.

XIV.

Fuit heic ſermo de ſolis Academiis, aut Univerſitatibus, quae plures ſaltem facultates excolere profitentur, cum jure benemerentes laureis decoran. diſex quibus pene omnes Scholaſticen tandem cooptarunt.

IV. Minime fuit heic ſermo de particularibus Academiis, quae duobus praeſertim poſtremis Seculis erecte ſunt pro literis aliis excolendis, e. g. pro ſola Theologia Morali, pro Re Liturgica, pro Hiſtoria, pro Univerſali Eruditione, pro Nationum Idiomatis perficiendis, pro Matheſi, pro amaenioribus ſcientiis, ac ſimilibus; ſed de Academiis duntaxat, quae vulgo Univerſitates adpellantur, quatenus univerſas, aut plures ſaltem diſciplinas profitentur, cum jure laureas benemerentibus Candidatis conferendi; inter quas utique Theologiae Facultatem, Laureamque repoſuimus: ſiquidem etſi nonnullae ex memoratis Academiis pro aliena quapiam duntaxat Scientia primitus inſtitutae fuerint, ut e. g. *Bononienſis* pro Jure Canonico, *Monſpeſſulana* pro Medicina, *Aquenſis* pro Jure Civili & Medicina &c., at iſtae tamen, ac ſimiles tractu temporis Scholaſticen amplexae ſunt & excoluere.

XV.

Scholarium Collegia Academiis aliquot quaſi adnexa, ſunt Scholaſticae praeclarae laudis acceſſio.

V. Nonnullae ex clarioribus recenſitis Academiis, praeſertim hiſpanis, quaſi adnexa habent nobiliora Scholarium Collegia; & ex iis aliqua Scholaſticos Candidatos enutriunt, excoluntque: e. g. Academia *Salmantina*, *Complutenſis*, *Vallis-Oletana*, *Hiſpalenſis*, *Toletana*, *Lovanienſis*, *Duacenſis*, *Oſcenſis*, *Compoſtellana*, *Oñatenſis*, *Siguntina*, *Granatenſis*, *Oxomenſis*, *Limana*, *Cervarienſis* [ut taceam *Oxonii* & *Cantabrigiae* Scholas, olim Catholicas]. Et ea quidem inſignia Collegia, quod ſpectat Scholaſtices Candidatos quos alunt, non modo Academiis, verum etiam Scholaſticae Theologiae, quam adeo exornant Academiae, magna ſunt commendationis acceſſio.

XVI.

Recenſitae Academiae ſunt totidem de Scholaſtices praeſtantia & utilitate teſtimonia.

VI. Hae laudatae Academiae, quas nonniſi doctiſſimi atque cordatiſſimi Regnorum viri cunctis temporibus conſtituunt, totidem ſunto de Scholaſtices praeſtantia & utilitate praeſtantiſſima teſtimonia.

SYLLABUS II.

SACRI COETUS REGULARES ET SECULARES.

XVII. *Syllabi ratio & ordo praemittuntur.*

EOS duntaxat Syllabus profert, ſive Monachos dixeris, ſive Mendicantes, ſive Regulares Clericos aut Seculares, vel etiam Canonicos, qui toto Catholico Orbe Latino, vel in privatis ſui Clauſtri Gymnaſiis ad ſuam erudiendam Juventutem, Sacram Theologiam Scholaſticam profeſſi ſunt, vel in ipſa eandem Juventutem inſtituendam Academiis publicis commiſerunt. Idcirco a ceteris adpellandis abſtinemus, qui diverſis omnino miniſteriis, doctrinis, contemplationibus, aut actionibus, ſecundum cujuſcumque Ordinis inſtitutum, penitus addicuntur; quales dixeris Ordines Equeſtres & Militares, Patres Carthuſianos, Patres Oratorii S. Philippi Nerii, Fratres S. Joannis de Deo, Bethlehemitas Mexicanos, & alios ejuſmodi.

Illos pariter chronologice referimus ſecundum primaevae cujuſque Coetus inſtitutionis rationem. Etvero ne is Ordo chronologicus interturbetur, eos primo Seculo Scholaſtico incluſos, quadam ſimili fictione Juris, praeponimus, qui pridem exorti jam tum florebant, cum Lombardiana Theologia Scholaſtica luci publicae commiſſa eſt, & ab eiſdem tractu temporis recepta; vel qui ſaltem ſub eodem primo Seculo inſtituti ſunt.

XVIII. *Sacri Coetus inſtituti a permultis retro Seculis ad uſque an. Chr. MCC.*

SECULUM SCHOLASTICUM I.

CHRISTIANUM XII.

ANTONIANI, Fundatore, ut vulgo fertur, *S. Antonio Magno*, Monachorum Patre & Principe, qui natus eſt an. Chr. 252., ac veroſimiliter deceſſit 356. 17. Januar. (*g*) — Ante 356.

BASILIANI in Italia, Authore *S. Baſilio Magno*, qui Ordinem in Oriente condidit an. 361. & e vivis exceſſit an. 378. Kal. Januariis. — 361.

AUGUSTINIANI, Conditore *S. Auguſtino*, qui denatus eſt an. 430., (*) Et ipſi poſtmodum fluxu temporum in permultas Congregationes diſſecti ſunt. — Ante 430.

CANO-

(*g*) Super Antoniani Ordinis Origine conſulendus *Bollandus* ad d. 17. Jan. ubi de Ord. S. Antonii a p. m. 160.

ADNOTATIO.

(*) *Angelus Rocca* tom. 1. operum in Indice Theologico & Scripturali, ubi de S. Auguſtino ſermonem inſtituit adſerere non dubitat, eum fundaſſe ſuum Ordinem Eremiticum an. Chr. 390., alii mordicus aliter: nos tamen in hac ardentiſſima lite pro nulla parte definiendum duximus. Plura de iis *Bollandiani Biographi* in vit. S. Auguſtini com. praevio a §. XIV.

Ineerto. CANONICI REGULARES LATERANENSES, aut S. SALVATORIS in Urbe Roma, antiquiſſimi & florentiſſimi, Authore incerto, quem tamen nonnulli faciunt *Urbanum* P. qui floruit an. circiter 230.; alii *S. Auguſtinum*.

Forte 518. BENEDICTINI, Authore *S. Benedicto*, nato ſub an. 480., qui tamen ejus annus emortualis, ſat dubium. Ipſi itidem procurrentibus Seculis in plurimos Ordines ſubdiviſi.

Cir. 909. CLUNIACENSES, Authore *S. Bernone*.

1012. CAMALDULENSES, Conditore *S. Romualdo*. In varias poſtmodum Claſſes diſtracti.

1015. VALLUMBROSANI, Auth. *S. Joanne Gualberto*. Eos adprobavit Urbanus P. II. Brevi *Cum univerſis*. 1090. 6. Apr.

1076. GRANDIMONTENSES Monachi, Aut. *S. Stephano de Mureto*. Eorum ſtatuta aliqua confirmavit Innocentius P. III. liter. *Cum quaedam*. 1212. 6. Jan.

Circ. 1090. BERNARDINI, primum inſtituti a *SS. Roberto*, *Alberico*, *Stephano* circ. 1090; deinde glorioſius propagati a *S. Bernardo* ab an. 1113. in plures poſtmodum Congregationes pene ubique gentium diſtributi, ſub nomine Monachorum *Ciſtercienſium*. Hos adprobavit, confirmavit, & privilegiis inſignivit Eugenius P. III. Conſt. *Sacroſancta*. 1152. 1. Aug. ac deinde Alexander P. III. Conſt. *Sacroſancta*. 1181.

1110. CANONICI REGULARES S. SEPULCHRI HIEROSOLYMITANI, Auth. Duce *Gotifredo Bulioneo* 1110. Hieroſolymis, ac deinde per Europam amplificati. Adprobati ſunt, ac ſub protectione Sedis Apoſtolicae recepti a Coeleſtino P. II. Brevi. *Si manſuetudo*. 1144. 10. Jan.

1113. CANONICI REGULARES S. VICTORIS extra muros Urbis Pariſienſis, Auth. *Ludovico Craſſo*, Galliae Rege.

1119. PRAEMONSTRATENSES CANONICI, Auth. *S. Norberto*, Archiep. Magdeburgenſi. Eorum Conſtitutiones ſpeciatim adprobavit Innocentius P. III. Conſt. *In eminenti*. 1198. 27. Jul.

1132. CANONICI REGULARES CONIMBRICENSES SANCTAE CRUCIS, Auth. Domino *Tello*, Conimbricenſi Canonico & Archidiacono.

1198. TRINITARII, Authoribus *Ss. Joanne de Matha* & *Felice Valeſio*. Eis regulam obſervandam tradidit Innocentius P. III. Conſt. *Operante*. 1198. 16. Dec.

XIX. *Sacri Coetus inſtituti a MCC. ad MCCC.*

SECULUM SCHOLASTICUM II.

CHRISTIANUM XIII.

A. C. 1201. ORDO VALLIS SCHOLARIUM in Gallia, Authoribus *Guillelmo*, *Richardo*, *Everardo*, *Manaſſe*, Pariſienſibus Theologiae Profeſſoribus. Confirmatus eſt ab Honorio P. III. liter. *Exhibita*. 1219. 5. Mart.

Ante 1209. CARMELITANI CALCEATI, ab Aſia in Europam ab *Alberto*, Hieroſo-

roſolymitano Patriarcha, advecti 1209. ex Papebrochio. Honorius ipſe Regulam eis ab Alberto traditam confirmavit liter. *Ut vivendi*. 1226. 30. Januar.

EREMITAE S. PAULLI in Hungaria, Auth. *B. Euſebio Strigonienſi*. 1215.

DOMINICANI, Auth. *S. Dominico*, adprobante Honorio P. III. Conſt. *Religioſam*. 1216. 22. Dec. 1216.

MERCEDARII, ſeu MERCENARII, Barcinone in Catalonia, Authh. *S. Petro Nolaſco*, & *Jacobo* I. Aragoniae Rege. Eis Gregorius P. IX. conceſſit S. Auguſtini Regulam liter. *Devotionis*. 1235. 17. Ian. 1218.

FRANCISCANI, Auth. *S. Franciſco Aſſiſiate*. In permultas deinceps Congregationes, & Reformationes partiti. S. Fundatoris Ordinem & Regulam, primum ab Innocentio P. III. adprobatam, confirmavit Honorius P. III. liter. *Solet*. 1223. 29. Nov. 1219.

SERVITAE, ſeu B. Virginis Servi, Authoribus VII. *Civibus Florentinis*, quorum Primus *B. Bonavitus*. 1233.

SILVESTRINI ſub regula Benedictina, Auth. *B. Silveſtro* Valliſumbroſae Monacho. Adprobati ſunt ab Innocentio P. IV. Conſt. *Religioſam*. 1247. 27. Jun. 1231.

CRUCIFERI CANONICI REGULARES AUGUSTINIANI in Belgio, Authore mihi necdum explorato. 1248.

AUGUSTINIANI vulgo EREMITAE in unicum corpus redacti. In multas poſtea claſſes diviſi (*i*). 1256.

COELESTINI, Auth. *S. Coeleſtino* P. V. primum Petro Morone, qui fato ceſſit 1296. & ſuum Ordinem adprobarat Conſt. *Et ſi cunctos*. 1294. 27. Sept. 1294.

SECULUM SCHOLASTICUM III.

CHRISTIANUM XIV.

XX. *Sacri Coetus erecti a MCCC. ad MCD.*

A. C.

MONTESIANI in Regno Valentiae Edetanorum Hiſpaniae, ſub regula Ciſtercienſi, Auth. Jacobo II. Aragonum Rege, adprobante ſub an. 1317. Joanne P. XXI. vulgo XXII., ac primo Magiſtro ſeu Praeſide *Guilielmo de Heril*, nobiliſſimo Equite Catalano (*k*). Equeſtris hic Ordo alumnos decurſu temporis admiſit, qui ſacris Scientiis operam navarent. 1317.

MONTIS OLIVETI Monachi, Authh. *S. Bernardo Ptolomaeo*, *Patricio de Patriciis*, *Ambroſio Piccolomineo*, Senenſibus. Privilegiis primum muniti ſunt a Joanne P. XXI. vulgo XXII. literis *Cum a nobis*. 1324. 17. Mai. 1319.

BRIGITTANI, Fundatrice *S. Brigitta*. 1344.

VALLIS VIRIDIS Canonici Regulares prope Bruxellas, Auth., ſeu primo Priore *Joanne Ruſbrochio*. 1349.

JESUA-

(*i*) Sunt qui hujus Coetus inſtitutionem ad an. 1287, revocent, cum *Trithemio* in Hiſtor. Hirſaugica ſub eum an.

(*k*) Conf. *Zurit.* in Annal. Aragoniae lib. 6. cap. 26.

A. C.

1355. Jesuati, alias Clerici Apostolici, Auth. *S. Joanne Columbino*.

1366. Hieronymiani in Hiſpania, Auth. *Ferdinando de Guadalaxara*, 1366. & confirmati a Gregorio P. IX. 1373.

1376. Clerici vitae communis Daventriae, Auth. *Gerardo Magno* Daventrienſi.

Cir. 1390. Benedictini Congregationis Vallis-Oletanae in Hiſpania, Auth. *Antonio de Zelinos*.

XXI. *Sacri Coetus conditi a MCD. ad MD.*

SECULUM SCHOLASTICUM IV.

CHRISTIANUM XV.

A. C.

1424. Hieronymiani Eremitae reformati in Hiſpania & Italia, Auth. *Lupo de Olmedo*.

1441. Apostolini, qui & Barnabitae, Authoribus tribus *Equitibus Mediolanenſibus*.

1473. Paulani, ſeu Minimi, Auth. *S. Franciſco de Paula*, adprobati a Sixto IV. Conſt. *Sedes*. 1474. 27. Mai.

XXII. *Sacri Coetus inſtituti a MD. ad MDC.*

SECULUM SCHOLASTICUM V.

CHRISTIANUM XVI.

A. C.

1515. Benedictini Lirinenses, qui nempe Congregationi Caſſinenſi adjunxere celeberrimum quondam pietate ac ſapientia Coenobium Lirinenſe, primitus a *S. Honorato*, poſt Archipraeſule Arelatenſi, inſtitutum.

1524. Clerici Regulares Theatini, Authoribus *S. Cajetano Thieneo*, *Petro Caraffa* Epiſcopo, deinde Paullo P. IV., *Bonifacio a Colle*, *Paullo Conſiliario*. Eos adprobavit Clemens P. VII. literis *Exponi*. 1524. 24. Jun.

1526. Capucini ſub ſtrictiore obſervantia Regulae S. Franciſci, Auth. *Matthaeo de Baſchi* cum aliquot *Sociis*, primitus ex Laxiore S. Franciſci Obſervantia. Eos adprobavit Clemens P. VII. Conſt. *Religionis zelus*. 1528. 3. Jul.

1530. Paullini e Congregatione S. Paulli Decollati, Authh. *Antonio Maria Zacharia*, *Bartholomaeo Ferrari*, *Jacobo Antonio Moriggia*, ab eodem Clemente primum adprobati literis *Vota*. 1532. 18. Febr.

Cir. 1531. Clerici Rrgulares boni Jesu, Authh. *S. Margarita de Ruſſi* & *Hieronymo Malmellio*.

1537. Somaschi ſeu Clerici Regular. S. Majoli, Authore *S. Hieronymo AEmiliano* 1537. [Ei Canonizationis honores decrevit SS. N. Clemens P. XIII. 25. Mai. 1766.], confirmati a Paullo P. III. 1540. 5. Jun. Conſt. *Ex injuncto*.

1540. Societas Jesu Clericorum Regul., Aut. *S. Ignatio a Loyola*, confirmata ab eodem Paullo Conſt. *Regimini*. 1540. 27. Sept.

Cir. 1547. Basiliani in Hiſpania, Auth. *Epiſcopo Gienienſi*, & primo Rectore *Bernardo a Cruce* ſub Paullo P. IV.

Be-

A. C.

BENEDICTINI in Lusitania, Authh. *Petro de Chaves*, & *Placido de Villalobos*, Benedictinis hispanis. 1558.

CARMELITANI EXCALCEATI, Fundatrice *S. Teresia a Jesu*, confirmati à Gregorio P. XIII. Const. *Pia*. 1580. 22. Jun. 1562.

OBLATI Mediolanenses, Aut. *S. Carolo Borromaeo*. 1578.

TRINITARII REFORMATI in Gallia, Authh. *Juliano de Nantonville*, & *Claudio Aleph*. 1580.

MINISTRI INFIRMORUM, Aut. *S. Camillo de Lelliis*, adprobati a Sixto P. V. Const. *Ex omnibus*. 1586. 18. Mart. 1586.

CLERICI REGULARES MINORES, Authh. *Joanne Augustino Adorno*, *Ven. Francisco* & *Augustino Caraccioli*, adprobati a Sixto P. V. Const. *Sacrae Religionis*. 1588. 1. Jul. 1588.

AUGUSTINIANI EXCALCEATI in Hispania, Aut. *Ludovico de Leone*. 1589.

TRINITARII EXCALCEATI in Hispania, Authore *Joanne Baptista a Conceptione*. Clemens P. VIII. Const. *Ad militantis*. 1599. 20. Aug. adprobavit. 1596.

CONGREGATIO BENEDICTINA reformata SS. Vannis & Indulphi, Aut. *Desiderio de la Cour*, confirmata ab eodem Clemente Const. *Quantum*. 1604. 7. Apr. 1596.

SECULUM SCHOLASTICUM VI.

CHRISTIANUM XVII.

XXIII. *Sacri Coetus stabiliti a MDC. ad MDCC.*

A. C.

BENEDICTINI Congregationis Helveticae, adprobante *Clemente P. VIII.* 1602. 1602.

MERCEDARII EXCALCEATI in Hispania, Authore *Joanne Baptista a SS. Sacramento*, adprobati a Paullo P. V. Const. *Inter omnes*. 1606. 23. August. 1606.

CLERICI DOCTRINAE CHRISTIANAE, cùm Regulares, tùm Seculares in Gallia, Auth. *Ven. Caesare de Bus*, ante an. 1607., quo ipse decessit. Ante 1607.

CONGREGATIO ORATORII JESU in Gallia, Auth. *Petro Berullo* Cardinali, confirmata a Paullo P. V. Const. *Sacrosanctae*. 1613. 10. Mai. 1611.

CLERICI REGULARES PAUPERES MATRIS DEI SCHOLARUM PIARUM, Auth. *S. Josepho Calasanctio*, adprobati & erecti a Paullo P. V. Const. *Ad ea*. 1617. 6. Mart. Religiosi cum tribus sollemnibus votis constituti a Gregorio P. XV. Const. *In supremo*. 1621. 18. Nov.; & ad primaevum regularem statum gloriose revocati a Clemente P. IX. Brevi dato 1669. 23. Oct. 1617.

BENEDICTINI REFORMATI Congregationis S. MAURI in Gallia, Authh. *Laurentio Bernard*, Priore olim Cluniacensi, *aliisque Sociis*, confirmati a Gregorio P. XV. Const. *Sacri Apostolatus*. 1621. 17. Mai. 1618.

BENEDICTINI REFORMATI Congregationis S. PLACIDI, Authh. *Matthia Potier*, *aliisque Sociis* ex Congregatione S. Vannis. 1618.

AUGUSTINIANI EXCALCEATI in Italia, Auth. *Andrea Diez*, Hispano, adprobati a Paullo P. V. Const. *Sacri Apostolatus*. 1620. 5. Mai. 1620.

1621. Clerici Seculares pii Operarii, Auth. *Carolo Caraffa*.

1621. Clerici Regulares Matris Dei in Italia, vulgo de Luca, Auth. Ven. *Joanne Leonardo* 1574; & in Religiosos cum votis sollemnibus erecti a Gregorio P. XV. Const. *In supremo*. 1621 3. Nov.

1622. Trinitarii Excalceati in Gallia, Auth. *Hieronymo Halies a SS. Sacramento*, adprobati ab Urbano P. VIII. Const. *Ad militantis*. inserta Brevi *Alias a nobis*. 1631. 28 Febr.

1624. Canonici Reformati S. Genevefae Parisienses, Auth. *Carolo Faure*.

1625. Clerici Regulares Missionarii, Auth. *S. Vincentio a Paullo*.

1629. Minores Reformati Provinciae S. Salvatoris, adprobati ab Urbano P. VIII. Const. *Sacrosanctum*. 1629. 15. Sept.

1632. Clerici Missionarii SS. Sacramenti, Authore *Christophoro Altierio de Sisgau*, Episcopo Bethlehemi.

1632. Minores Reformati Provinciae Austriae, confirmati ab Urbano P. VIII. Const. *In Apostolicae*. 1632. 11. Dec.

1639. Clerici Seculares nuncupati Bartholomaeitae in communi viventes in Germania, Aut. *Bartholomaeo Holzauser*, adprobati ab Innocentio P. XI. Const. *Creditae*. 1680. 7. Jun.

1650. Grandimontenses Reformati strictioris observantiae in Gallia, Auth. *Carolo Fremont*, olim Grandimontensi.

Ante 1657. Clerici Seminaristae S. Sulpitii in Gallia, Authore *Domino Olier*, qui decessit 1657. 2. April.

Ante 1666. Clerici Seculares Congregationis S. Josephi in Gallia, Auth. *Jacobo Cretenet*, denato 1666.

Ante 1680. Clerici Seculares Missionarii Jesu & Mariae, vulgo Odonistae, in Gallia, Auth. *Domino Odone*, qui decessit 1680.

SECULUM SCHOLASTICUM VII.

CHRISTIANUM XVIII.

XXIV. *Sacer Coetus institutus*

An. Chr. circ. MDCCLV. Congregatio SS. Redemptoris Clericorum Regularium, Auth. Clariss. Viro *Alphonso de Ligorio*, modo, dum haec scribimus an. 1766., Antistite S. Agathae Gotthorum, circiter 1755. sub Benedicto P. XIV.

Animadversiones consectaneae.

XXV. *Non cunctis eodem gradu temporibus in laudatis coetibus efloruit Scholastice.*

I. Haud peraeque omnes, quos hucusque indicavimus, Ordines, Scholasticen excoluerunt & illustrarunt; neque ii, qui potius in eo genere claruere, cunctis jugiter temporibus visi sunt similiter floruisse; sed, uti fert humanae naturae conditio, modo ardentius, modo remissius; jam gradu mediocri, jam sublimi. Quin immo saepe Scholasticae cultura funditus intercidit in nonnullis ex

Ordi-

Ordinibus recenſitis, cùm & ipſi, vel temporum injuria, vel alias ob cauſſas penitus extincti ſunt, aut alteris florentioribus Coetibus aggregati.

XXVI. *Nonnulli ex ipſis adnexi ſunt alteris florentioribus; alii penitus extincti: at quandocumque in ipſis omnibus Theologiae uſus viguit, & Scolaſtice ſedem habuit.*

Etenim, ut ceteros praeteream, *Jeſuati*, qui omnes fuerant laici aduſque an. 1606., deinceps anno 1668. prorſus aboliti ſunt a Clemente P. IX. Deinde *Apoſtolini* fuere primum Congregationi Barnabitarum adnexi a Sixto P. V. & deinceps ab Urbano P. VII. prorſus extincti. Tum Congregatio Canonicorum Regularium Lateranenſium, aut S. Salvatoris, olim viris ſanctimonia, doctrina, dignitate praeſtantiſſimis florentiſſima, & longe lateque per Europam propagata, aliquando fere penitus decidit, deinde inſtaurationem obtinuit, & nunc demum temporis ſat parvo regularium domuum & Canonicorum numero circunſcribitur.

Praeterea celeberrimi Regulares Canonici Vallis Viridis, cum plurimum a primaevo flore defeciſſent, Vindeſimenſi Congregationi an. 1412. aggregati ſunt. Lirinenſis item Congregatio quondam praeſtantiſſima, relicto Lirinenſium nomine, an. 1515. ad Benedictinam Caſſinenſem acceſſit. Coetus demum Canonicorum Regularium S. Victoris Pariſienſis, adeo quondam difuſa & ſpectabilis, jam penitus defecit, nec aliud modo ex eo reſtat, quam primaevum illud S. Victoris Coenobium.

Haec quidem & plura conſimilia vera ſunt, ob ingenitam humanis rebus perpetuae viciſſitudinis conditionem. Enim vero id propalam dubio procul fatendum eſt: quod nempe iidem ſacri Coetus quamdiu ſteterunt floruerunt, Scholaſticen ſuſpexerint, & alumnos quos concupierint ſacra Theologia inſtitutos, eadem impense curaverint imbuendos. Id quod ſatis abunde conſtare putaverim ex cujuſque recenſiti Ordinis Conſtitutionibus aut Regulis, Theologicas diſciplinas, quibus ſuos alumnos erudiri deceat, praeſcribentibus; quemadmodum habetur in Societatis Jeſu Inſtituto (*l*).

XXVII. *Perplurimi Regulares in publicis Academiis Scholaſtices Doctores, & Magiſtri celebratiſſimi.*

II. Neque vero id ejuſmodi Ordinum erga Scholae Theologiam ſtudium intra privata, anguſtaque Clauſtri Gymnaſia ſeſe continuit: quandoquidem ipſorum plurimi Sodales, & ex Canonicis, & ex Clericis, & ex Monachis, & ex Fratribus, non modo ſaepe Scholaſtice inſtituendi publicis Academiis commiſi ſunt; ſed iſtas etiam tanquam cooptati earumdem Doctores & Magiſtri praeclariſſimi, qui fama & ſcriptis Scholaſticen illuſtrarunt, decoravere.

XXVIII. *Quammultae publicae Academiae Regularibus Ordinibus commiſſae ſunt: ac in eis quidem Scholaſtice prae*

Quin etiam permultis Religioſis Ordinibus Univerſitates publicae commendatae ſunt: ut Salisburgenſis & Hierachenſis Patribus Benedictinis; Orcellenſis Patribus Dominicanis; Siguntina Patribus Hieronymianis; Pragenſis, Gandienſis, Vilnenſis, Genuenſis, Panormitana, Braydenſis, Cremonenſis Soc. J. Et in iis quidem, ceteriſque paribus Scholaſtice prae reliquis Scientiis liberalibus, cunctis aetatibus efflo-

(*l*) In Conſtitutionibus a S. Protoparente Ignatio conſcriptis part. 4. Conſtit. cap. 12. & in Ratione Studiorum, in Regulis pro Scholaſtices Profeſſoribus, & alibi ſaepius.

ceteris Scientiis potiſſimum efflo-ruit.

ruit. Jure tandem omnibus in confeſſo eſt, Scholaſtice culturam & ſplendorem potiſſimum e ſacris hiſce Coetibus acceſſiſſe (*m*).

XXIX. *Ex hiſce Coetibus maximus Scholaſtice ſplendor acceſſit.*

III. Nemo unus ibit inficias, in praeindicatis Ordinibus Sanctimoniam, prudentiam, acumen, aequam rerum aeſtimationem ſingulis aetatibus primam fere ſedem habuiſſe; jure itaque quotquot ipſi fuerint, qui Scholaſticen benigno ſaltem animo complexi ſint, inſignia totidem in Scholaſtices commendationem monumenta protulimus.

XXX. *Quot indicati ſunt ſacri Coetus, totidem ſunt prolata in Scholaſticaes praeconium monumenta.*

Obſervatio appendix.

XXXI. *Seminaria vel Collegia, in quibus Adoleſcentes Scholaſticae diſciplinis eruditur, quemque péne numerum ſuperant.*

HIs merito adjicienda eſſent Adoleſcentum Seminaria & Collegia, cùm Regularibus, tùm Secularibus Moderatoribus commiſſa; illa videlicet, quae ex Tridentinae Synodi praeſcripto in ſingulis Epiſcopatibus erecta ſunt, pluraque ſimilia ad eorum normam conſtructa; in quibus nempe Convictores, praeter alias Scientias, Scholaſtices plerumque inſtitutionibus informantur, ac praefervide excoluntur: quis enim ambigat, ejuſmodi Lycea ad Scholaſtices Hiſtoriam & commendationom praeclaro titulo pertinere? Enim vero tot illa ſunt, Europae, Americae, & Aſiae plagis diſperſa, ut numerum ingentem ſuperent; quae proinde vel ne quidem indicare vacat. Ea dabunt accurati ſingularum Regionum Hiſtoriographi.

SYLLABUS III.

AUTHORES SCHOLASTICI.

XXXII. *Syllabi ratio & ordo praemonentur.*

NOn eſt animus eos heic omnes producere, nam pene numero carent; nec ſingula eorum opera rem Scholaſticam concernentia perpetuo adnotare, nec ipſos demum meritis pro dignitate elogiis inſignire: haec omnia alterius ſunt inſtituti. Et quidem rem magnam, dignamque fecerit, qui ſingulari cuidam Commentario ea ſingula conſpicue comprehendenti aſſiduam & egregiam operam aliquando navarit. Profecto legimus paſſim in aliarum Facultatum praeconium earundem Authorum Bibliographias aut Nomenclaturas, nec inutili opera adornatas, nec exiguo plauſu receptas.

XXXIII. *Invitantur Eruditi ad Scholaſticam Bibliographiam concinnandam.*

Equi-

(*m*) Plura de indicatis Ordinibus dabunt *Moriggia* de orig. omnium Religion.. *Salvator de Mallea* de origine Religion., *Pennotus*, & *Molinettus* de Canonicis Regularibus, *Hippolytus Maracsius* de Fundatoribus Marianis, *Aubertus Miraeus* de Clericis in communi viventibus, *Philippus Bonanni* in Catalogo Religioſorum Eccleſiae militantis Ordinum par. 1. *Coronellus* in Catalogo Ordinum Religioſorum, *Petrus Heliot*, tertii Ordinis S. Franciſci, gallus, italice verſus a *Joſepho Franciſco Fontana*, in hiſtoria Ordinum Monaſticorum, Religioſorum, Militarium tom. viii. in 4.: nec non peculiares cujuſcumque deſignati Ordinis Hiſtoriographi: tum accuratiora Bullaria Romanorum Pontificum, qui eos Ordines aut erexerunt, aut confirmarunt, aut privilegiis decorarunt.

XXXIV. *Indicantur varii quoad alias Facultates, etiam Theologicas, Nomenclatores.*

Equidem habemus Bibliographiam Oratoriam ex *Tullio* in Bruto; Grammaticam ex *Suetonio* in Catalogo de illuſtribus Grammaticis; Rhetoricam ex *Balthaſare Giberto*, Academiae Pariſienſis Rhethore; Poëticam ex *Lilio Gregorio Giraldo*, *Petro Crinito*, *Vallemontio*, aliis; Pictoriam ex *Andrea Felibien*, Gallo, Regio Hiſtoriographo; Hiſtoricam ex *Paullo Bolduano*, *Martino Zeillerio*, *Gerardo Joannes Voſſio*, aliis; Canonicam ex *Joanne Doujatio*; Geographicam ex *Dodvvello*, Anglo, *Zeillerio*, *Voſſio*, aliis: Legalem, ex *Auguſtino Fontana*, Comite Scagnello, *Alberico Roxiato*, *Regnudello*, aliis; Mathematicam ex *Philippo de la Hire*, *Cornelio Beughem*, aliis; Medicam ex *Gaſpare Galli*, *Chriſtiano Joanne Langio*, *Joanne Antonide Vander Lender*, Batavo; Philoſophicam ex *Laertio*, *Thoma Stanlejo*, *Henrico Gautier*, *Bruckero*, *Capaſſo*, aliis; Peripateticam ſignate Philoſophiam ex *Guilielmo Du-Val*: plures tandem ex aliis.

Quod vero Theologicas ſpectat, Biblicam Bibliographiam accepimus a *Sixto Senenſi*, Dominicano, *Jacobo Tirino*, S. J. *Auguſtino Calmèt*, Benedictino Congreg. S. Mauri, *Didaco de Quadros* S. J., *Jacobo le Long*, aliis; Polemicam a *Guilielmo Eiſeingrenio*, Germano, *Joanne Sianda a Monte Regali*, Ciſtercienſi, *Antonio Poſſevino*, aliis; Moralem a *Claudio la Croix*, S. J., *Friderico Mayero*, *Joanne Pontàs*, aliis; Concionatoriam a *Ludovico Bail*, Gallo, Pariſienſi Theologo, *Franciſco Combefis*, Dominicano, aliis; Myſticam, cum ejuſdem Hiſtoria, a *Gotthofredo Arnoldo*; Theologicam & ſpiritualem ab *Angelo Rocca*, Auguſtinenſi; Theologicam Interpretum Magiſtri Lombardi ab *Ant. Poſſevino*; Theologicam Interpretum S. Thomae a *Xante Mariales*; Theologicam Profeſſorum Academiae Marburgenſis a *Joanne Tilemanno*, vulgo *Schenk*; Theologicam ſignanter Proteſtantium a *Jacobo Verheidenio*, Batavo; ab aliis plures. Ergone minus digna erit Theologico-Scholaſtica noviſſima, quae ſingillatim Catholicos univerſos Authores Scholaſticos aduſque noſtram aetatem, cum eorum ſingulis Scholaſticis commentariis, digniſque elogiis repraeſentet? Ipſam itaque ſummis labris, ut ajunt, hic Syllabus praelibaverit.

SECULUM SCHOLASTICUM I.

CHRISTIANUM XII.

XXXV. *Scholaſtici Authores ab an. Chriſti MCLX. aduſque MCC.*

Author Floruit, vel Obiit Anno Chriſti.

Obiit 1164. 20. Jul.

PETRUS *Lombardus* patria Novarienſis apud Italos, & ex Theologicae Scholae in Pariſienſi Academia Praeſide ejuſdem Lutetiae Pariſiorum Antiſtes; *Sententiarum & Scholaſticorum Magiſter* jure merito nuncupatus. Hanc de Petro cenſuram tulit Heterodoxus *Rog. Aſcham* (*z*): *Lombardus* (inquit) *inter omnes Papiſtas optimus & doctiſſimus*. Vir equidem fidei zelo, ingenio, doctrina, ſacra eruditione praeſtantiſſimus, poſteriſque Theologis egregius Anteſignanus.

Sen-

(*z*) In Apolog. pro Coen. Dom. ap. *Thom. Pope Blount* in Cenſura Celebriorum Authorum ad an. 1141. in Petro Lombardo.

A. C.

Sententiarum libri IV., quibus Author universae Theologiae Summam ex Orthodoxorum Patrum Decretis atque Sententiis (o) mirabili compendio & arte complexus est.

Hic primus Theologiae Scholasticae Conditor, tametsi quipiam, haud communiter exauditi, *Baldoinum*, illustrem Parisiensem Theologum, pronuntiaverint; cui nempe vel Lombardi Epitomen, vel aliam omnino parem, ac prius editam adjudicant (*).

F. 1170. *Petrus Pictavienſis*, Petri Lombardi dignus & addictissimus discipulus, Parisiensis Ecclesiae & Academiae, in qua per annos duodequadraginta Theologiam docuit, Cancellarius = Liber Sententiarum (p).

F. 1172. *Gulielmus Autissiodorenſis*, Episcopus Gallus, in Parisiensi Academia olim Professor = Summa Theologiae, primum typis excusa Parisiis 1500.

O. 1173. *Richardus de S. Victore*, Gallus, aliis Scotus. Canonicus Regularis Augustinensis = Libri VI. de Trinitate, methodo fere prorsus Scholastica.

O. 1173. *Robertus de Melidano*, cognomento *Foliotus*, Angligena, Parisiensis Theologiae Professor, Herefordensis Episcopus, dictus *vetus Scho-*

(o) *Leo á S. Joanne* in prodromis suae Theologiae adserit, eam Lombardum compegisse Epitomen ex LXXV. Authoribus.

ADNOTATIO.

(*) De hoc Baldoini argumento fuse disserit *Thomasius* Tract. de Plagio a sect. 493. post *Genebrardum* in Chron. ad an. Chr. 1163 & ipse Thomasius Plagii faedum crimen Lombardo adfigit; eique adstipulari videtur *Caveus* in Hist. de Script. Eccles. Sec. XII. ad an. 11 1. in Petro Lombardo, ubi pene Baldoino primas defert.

Ceterum *Lupessio D' Argentreo*, in Disp. de multiplici genere divinae Gratiae, verosimilius est ex Lombardo Baldoinum exscripsisse. Quin etiam *Oudinus* in Comment. de Script. Eccles. ad Sec. XII. in Dissert. de Petro Lombardo c. 2. & Caveum ardenter confutat, & Lombardum a plagio vindicat adversus Thomasium; conjectatque ibidem, Baldoinum obscurum fuisse, ingnotumque Theologum, qui sub an. 1382. vitam agebat Oxonii primarius Theologiae Professor.

Ego vero & cum Oudino Lombardum ab objecto plagio penitus immunem volo, & deinde vehementer suspicor, hunc illum esse Baldoinum, doctum virum, Canonicum Regularem S. Victoris Parisiensis, & Abbatem Sanctae Mariae Alticerris, sub an. 1139. florentem: quem nempe inter alios Abbates, claros ejusdem Ordinis Theologos, recensuit *Joannes de S. Victore* in Mss. Memoriali historiarum ad an. 1139. quod in Bibliotheca Navarraei Collegii adservatum dixit *Launoius* ubi de Schol. celebr. c. 59. art. 4.

(p) Hunc *L' Englet* in chronologicis Scriptorum tabellis Theologos inter Scholasticos recenset; itemque *Mabillon* de Stud. Monasticis in Bibliotheca Ecclesiastica §. 10. Et ipsam quidem Petri Theologiam Notis, Observationibus, atque Vindiciis primus adornavit *Hugo Mathoudus*, Gallus, ex Benedictina Congr. S. Mauri an. 1655. Obiit Petrus circa 1206., si fides sit *Gautiero* in Dissert. 1. de Theol. Dogmat. Schol. c. 2. art. 2. n. IX., aut 1205., si adsentiamur *Bulaeo* in tom. 3. Univers. Paris. in Catal. illustr. Academic. in Petro Pictavio, ubi etiam ex Alberici Chronico eum dicit Archiepiscopum Ebredunensem.

Scholasticus = Summa Theologica: ubi de Deo, Angelis, Homine; Verbi Incarnatione, Sacramentis (*q*) (*).

Fulgentius, Abbas Benedictinus Montis Angelorum in Helvetis = Tractatus in universam Theologiam (*r*). F. 1174.

Gulielmus Petroburgensis, Anglus; Monachus Benedictinus Rameseganus: plurium Author = Distinctiones Theologicae (*s*). O. cir. 1180.

Petrus cognomento *Cantor*, Gallus, Theologicae Scholae Parisiensis Rector, & primos inter Scholasticos Clarissimus, Tornacensis Episcopus electus: plurium Author = Opusculum de contrarietatibus Theologiae. Mſ. O. 1197.

SECULUM SCHOLASTICUM II. XXXVI.

CHRISTIANUM XIII.

Scholastici Authores a MCC. ad MCCC.

Gulielmus Leycestre, Anglus, ut conjicio, clarus Theologus: plurium Scriptor = Distinctiones Theologiae. Lib. 1. F. 1210.

Robertus de Chorceon, seu *Chorceone*, Anglus, celeberrimus sua aetate Scholasticus, & Cardinalis = Summa Theologica Mſ. = Lecturae sollemnes. F. 1212

S. Joannes de Matha, Gallus, Falcone in Provincia ortus, Parisiensis Academiae Theologus Doctor & Professor, Ecclesiae Parisinae Canonicus, utriusque Juris peritissimus, Albigensium oppugnator, ordinis SS. Trinitatis cum S. Felice Valesio Institutor, Pontificius ad Dalmatas Legatus a Latere, Innocentii P. III. Praeceptor; sanctimonia, doctrina, miraculis spectatissimus; *Doctor Eminens* Parisiis nuncupatus: perplurium Author = Perdocti in Magistrum Sententt. Commentarii, Theologiam universam complexi: & iis dicitur primus omnium in Lombardum scripsisse (**). O. 1213. 17. Dec.

Gu-

(*q*) Plura de hoc egregio Scholastico *Oudin.* in commentar. de script. Eccles. Sec. XII. ad an. 1160. & *Marthen.* tom. 5. Anecd. a p. m. 895.

ADNOTATIO.

(*) POrro ex Teologicis nostri Roberti tractatibus haud pauca profert *Bulaeus* (In Hist. Un. Par. ad an. 1152. Sec. IV. Differt. IV.) ut Theologiae vere Scholasticae & laudabilis quaestionumque Theologicarum, quae in Scholis agitari hoc seculo consueverant, ut idem ait, ideam ad posteros transmittat; quemadmodum postea, ut Pseudo Scholasticae ideam repraesentet, plura ex libris Gualteri de S. Victore, quem superius memoravimus (Cap. I. pag. 6.) in medium adfert.

(*r*) Apud *Mabillon* de Stud. Monast. par. 2. cap. 6. At de eo fundate dubitat *Legipont.* part. 4. p. m. 112.

(*s*) Plura *Leland.* c. 241. quem videsis.

ADNOTATIO.

(**) HAec respective ferunt S. Joannis Biographi in sui Ordinis Historia & Annalibus: puta *Georgius Innès*, *Baro*, *Andrade*, *Mallea*, *Abtuna*, *Gonzalez*, *Figueras*, & ex iis aliisque novissime *Francisc. de la Vega* in Hist. suae Castellanae

O. 1217. *Gulielmus Praepoſitivus* Natione Lombardus, Lutetiae Eccleſiae Cancellarius, inſignis Theologus Pariſienſis, Ebredunenſis Epiſcopus, in S. Thomae Summa ſaepe laudatus = Summa Theologica Scholaſtica ex dictis SS. Patrum. Mſ.

O. 1221. 4. Maj. *Robertus Pullanus*, aut *Pullus*, Anglus, egregius Theologus Pariſienſis, ac Romanae Eccleſiae Cardinalis & Cancellarius = Libri VIII. Sententiarum, vel Summa de Trinitate. Eam Notis, Obſervationibus & Vindiciis primus etiam illuſtravit praememoratus *Hugo Mathoudus* (*).

O. 1223. 23. Nov. *Gulielmus de Seliniaco*, Gallus, ex Decano & Epiſcopo Autiſſiodorenſi Antiſtes Pariſienſis = Summa Theologica.

F. 1230. *Philippus Grevius*, Eccleſiae Pariſienſis Cancellarius = Summa Theologica.

F. 1238. F. 1239. *Thomas de Hales*, Anglus, Minorita: plurium Author = Diſputationes Scholaſticae.

Alanus de Inſulis, Belga, Pariſienſis Theologiae Profeſſor, alter ex iis, qui primi omnium Magiſtri Summam commentati ſunt: plurium Scriptor = In VI. Sent. libros.

Richar-

nae Provinciae tom. I ſparſim: ipſeque ſubdit, Urbanum P. VIII. dum Pariſiis Legatum ageret Pontificium, nonnulla S. Joannis ſcripta, quae ibi reperit, exſcripſiſſe, ac ſecum detuliſſe; tum multos Authores fidem facere quod viderint plura ex iis operibus, quae apud Trinitarios Scriptores Conditori ſuo adjudicantur.

Enimvero Joannes a nullo, quem viderim, ex adcuratioribus Nomenclatoribus inter Scriptores connumeratur. Porro apud Trithemium, Eiſeingrenium, Bellarminum, Labbeum, Caveum, Oudinum, Poſſevinum, Morerium, Dupinium, Joan. Albert. Fabricium in Bibliotheca mediae & infimae latinitatis a Cl. Manſio correcta & aucta, Natalem Alexandrum, Graveſonium, Michaelem a S. Joſeph, Trinitarii Ordinis Excalceati olim ſummum Praeſidem, in Bibliographia ſacra & prophana: tum apud multas Bibliothecas, etiam Mſs. E. C. Labbeanam, Colbertinam, Tillerianam, Bodleianam, VVanleianam, Taurinenſem, Geſneriam pluribus auctam, Konigianam, Riccardianam, Lugduno-Batavam: adde plures Anecdotorum editores, E. G. Henricum Caniſium, Baluzium, Mabillonium, Marthenium, Pezium, cum Theatro Anonymorum & Pſeudonymorum, nec non permultos Hiſtoriographos Gallos cum Roberto Gaguino Trinitario, ac prae ceteris Bulaeo in celeberrima Pariſienſis Univerſitatis, ejuſque Academicorum operum Hiſtoria: apud hos, inquam, ſpeciatim Authores, quos ſingulos diligenter conſuluimus, de noſtri Joannis quibuslibet Commentariis, etiam Mſs., altum plane ſilentium.

Nihilotamenſecius alii, quos non vidimus, eos fortaſſe referunt; aut potius ii omnes eadem fortuna, qua multo plurimi, perierunt, at eorum tamen notitia a primoribus Ordinis Patribus ad poſteros alios haud interrupta traditione devenit. Videatur laudatus *de la Vega* in vita S. Joannis n. 703.

ADNOTATIO.

(*) *Ludovicus Jacob a S. Carolo*, Carmelita, in Pulli Elogio, quod operi laudatus Mathoudus praefixit, adſerit indubitanter, ipſum e vita migraſſe an. Chr. circ. 1150. ſub Eugenio P. III. & hanc Theologiam conſcripſiſſe, priuſquam Petrus Lombardus ſuam concinnaſſet. Sed haec tamen opinio vulgo non obtinet Videſis *Aubertum Miraeum* in hiſt. gener. Cardinalium, in Roberto Pullano, & *Guliel. Cave* de Scriptor. Eccl. ad an. 1144. in Roberto Pulleyno.

Richardus Wiltonus, Anglus, Ord. SS. Trin. Oxonienſis, Pariſienſis, & Cantabrigienſis Doctor, Armachanus Archiepiſcopus & Cardinalis: plurium Scriptor = In IV. Sent. Libris IV. = Quodlibeta diſputata = De Auxiliis divinae Gratiae. O. 1239. 21. Dec.

Haymo de Faversham, Anglus, Minorum Miniſter Generalis, magnae doctrinae, prudentiae ac ſanctitatis vir = In IV. Sentent. libros. O. 1239. 1. Nov.

Robertus Backon, Anglus, Oxonienſis Theologus Profeſſor: plurium Scriptor = Scholaſticae Lectiones Ordinariae. F. 1240.

Robertus Cowton, aliis *Othon*, Anglus, Franciſcanus = In IV. Sent. libri IV. = Quodlibeta Scholaſtica. F. 1240.

Alexander Alenſis, aut *Halenſis*, natione Scotus, profeſſione Franciſcani Ordinis alumnus, Theologus Scholaſticus famigeratiſſimus, & forte nulli ſecundus = Celeberrima Summa totius Theologiae, juſſu Innocentii P. IV. & Alexandri P. IV. diplomate conſcripta & LXX. Eccleſiaſticorum Virorum ſyngraphis comprobata (*t*) = In IV. Sent. libros. O. 1245. 27. Aug.

Joannes de Rupella, in Pariſienſi Academia Theologiae Magiſter. Primus omnium dicitur Magiſtri Summam commentatus fuiſſe: plurium Author = In IV. Sent. libri 4. F. 1247.

Gulielmus Arvernus, alias *Pariſienſis*, quatenus Pariſiorum Antiſtes, & quidem Doctrina Scholaſtica conſpicuus = Tract. de primo Principio = De dono Scientiae = De operibus virtutum = Summa virtutum = Summa vitiorum. O. 1248.

Gulielmus Shirwode, Anglus, Canonicus & Cancellarius Lincolnienſis, eminentiſſimae literaturae vir: plurium Scriptor. = Lectura in IV. Sent. libris 4. = Theologicae Diſtinctiones. O. 1249.

Gualterus Brugenſis, Minorita, Pictavorum Epiſcopus: plurium Author = In IV. Sent. = Quodlibeta Scholaſtica. F. 1250.

Eduardus Kanevesburgo, Anglus, Ord. SS. Trin., doctrina & pietate conſpicuus: plurium Scriptor = In IV. Sent. libris IV. O. 1257. 4. Maj.

Adamus de Mariſco, Anglus, Minorita, DOCTOR ILLUSTRIS cognominatus: plurium Editor = In IV. Sent. = Lectiones Theologicae. F. 1258.

Benedictus Taracredus, Peruſinus, Dominicanus: plurium Scriptor = Lectura in IV. Sent. F. 1259.

Benedictus; ex eodem Ord. Praedic., Cumanus Epiſcopus = Lib. Quaeſtionum Theologicarum. F. 1260.

Georgius Caſcanus, aliquorum opinione ſatis fundata, Mediolanenſis: plurium Author, = In IV. Sent. F. 1261.

Gulielmus Jordanus, Anglus, Ordin. Praedicat.: plurium Scriptor = In IV. Sent. = Tract. de clara viſione Dei. = Determinationes variarum quaeſtionum [*u*]. F. 1261.

(*t*) Sed eos tamen Alenſianae ſummae honores recens pluribus abjudicat *Jacobus Echard* in ſua Dominicana Bibliotheca tom. 1. in S. Thoma a p. m. 320. Quo videlicet Minoritis vicem rependat, quod contendant, a ſumma illa Thomam permulta in ſuam mutuatum fuiſſe.

(*u*) Hunc *Echard.* in ſua Biblioth. revocat ad an. 1389. contra Poſſevinum & Anton. Senenſem, quibus nos adſentimur.

F. 1262. *Jacobus e S. Andrea*, Senenſis, Dominicanus: plurium Scriptor = Lectura in IV. Sent.

O. 1265. *Eduardus Ledred*, Londinenſis, Ord. Ss. Trin., Oxonienſis Academiae Theologus Doctor & Profeſſor: plurium Scriptor = Flores Theolog. = Tr. de Trinitate = De Angelis = De Auxiliis.

F. 1267. *Gulielmus de Oona*, Anglus, Minorita, dictus DOCTOR FUNDATUS: plurium Author = In IV. Sent. = Quaeſtion. Ordinariae.

F 1268. *Hamraldus*, Romanus Theologus = In IV. Sent. = Quodlibeta.

F. 1269. *Hannibaldus*, Romanus, Pariſienſis Theologus, veroſimilius Dominicanus; & Cardinalis = In IV. Sent., ubi ſectatur S. Thomae ac Petri de Tarentaſio doctrinam; adeo, ut eorumdem Adbreviator habitus ſit = Quodlibeta.

F. 1270. *Robertus Oxfordius*, Anglus, Dominicanus: plurium Scriptor = Protectorium Fr. Thomae Aquinatis = Determinationes variae = Lib. contra Henricum Gandavenſem.

F. 1270. *Thomas Dockinge*, Anglus, Minorita: plurium Author = In IV. Sent. libri 4. = Quaeſtiones ordinariae.

O. 1274. 7. Mar. *S. Thomas Aquinas*, Italus, Dominicanus, Scholaſtices Coriphaeus, ANGELICUS DOCTOR jure optimo nuncupatus: clariſſimus perplurium Author = Summa Theologiae, in III. aut IV. partes diſtributa [x] = Commentarius duplex in IV. Sentent. libros. [y] = Quaeſtiones diſputatae = Plura Scholaſtica.

O. 1274. 15. Jul. *S. Bonaventura*, Balneoregii Hetruriae finitimi ortus, Franciſcanae familiae Generalis, Albanenſis Epiſcopus, Cardinalis, SERAPHICUS DOCTOR merito dictus: plurium Scriptor. = In IV. Sent. = Perplura Scholaſtica.

F. 1275. *Henricus Magnus*, Doctor Pariſienſis = Summa Theologica ſuper Magiſtrum Sent.

F. 1275. *Gulielmus*, Lugdunenſis, Dominicanus, patriae Eccleſiae, ut fertur, Epiſcopus: plurium Author = In IV. Sent. libris 4.

F. 1276. *Carolus Anglicus*, Gente & Cognomine, Ord. Ss. Trinitatis, clarus Oxonii Scholaſticus: plurium Scriptor = In IV. Sent. libri IX.

F. 1276. *Richardus de Aberdonia*, Anglus, ejuſdem Ord., Oxonienſis Doctor: plurium Author = Quodlibeta Scholaſtica = Tr. de Eſſentia & Attributis Dei = De Verbi Incarnatione.

O. 1276. 22 Jun. *Petrus e Tarentaſio*, quod ad Sabaudiae Ducis ditionem pertinet, Dominicanus, poſtmodum *Innocentius* V., a ſanctimonia, prudentia, doctrina commendatiſſimus = Compendium Theologiae = In IV. Sent.

F. 1277. *Ulricus Engelbertus*, Teuto, Ord. Praed: plurium Author = Lib. quo plures Theologiae difficultates enodantur = Lib. quaeſtionum theologicarum. *Petrus*

(x) Sunt qui cum *Franciſco Garcia Dominicano*, ac *Petro de Alva* Minorita S. Thomae Summae Partem Secundam tanquam germanum foetum proprio marte compoſitum ex integro abjudicent; ſed eam tamen ex integro *De Rubeis* Sancto Doctori nervoſe vindicat in Differt. Criticis in S. Thomam Differt. 14.

(y) Secundum vero Commentarium contra multorum opinionem Thomae abjudicat ipſe *De Rubeis* Admonitione praevia ad tom. IX. Venetae Edit. S. Thomae §. v. cum *Echardo*.

Petrus Arvernus, ſeu *Alvernus*, aut de *Alvernia*, quod ab Galliae Arvernia ortum duxerit, non Dominicanus, quemadmodum contra plures Dominicanos, & Oudinum eos incaute ſequutum perſpicue probat *Echardus* (z), ſed ſocius Sorbonicus & Pariſienſis Canonicus, ac forſan Claromontanus Epiſcopus; S. Thomae, cum Pariſiis praelegeret, diſcipulus = Supplementum 99. Quaeſtionum ad Summam D. Thomae, quod ad ejuſdem Summae calcem exhiberi ſolet [a]. F. 1277.

Rogerius Bacconus, Anglus, Minorita, praeſtantiſſimus in Oxonienſi Academia Theologiae Doctor = In IV. Sent. F. 1278.

Udalricus, vel *Uldaricus de Argentina*, ſeu *Argentinenſis*, Germanus, Ord. Praedicat., Alberti Magni Auditor digniſsimus = Summa Theologiae = In IV. Sent. F. 1278.

Joannes Pariſienſis, cognomento *Pungens-aſinum*, ejuſdem Ord., Theologus Profeſſor Pariſiis = In IV. Sent. = Quodlibeta varia = Plura Scholaſtica. F. 1279.

Gulielmus de Samuco, aliis Gallus, aliis Syrus, aut Palaeſtinus, Montis Carmeli quondam Eremita: plurium Author = In IV. Sent. libri 4. F. 1279.

Gulielmus Pagham, ſeu *Paghanerus*, Anglus, Oxonienſis & Pariſienſis Doctor, ac Midenſis Epiſcopus in Hibernia: plurium Author = In IV. Sent. = Placita Theologica & ordinaria. F. 1279.

Henricus Heſſerburne, Dominicanus: plurium Scriptor = Proceſſus in Theologia lib. I. F. 1280.

Leonardus Piſtorienſis, ex Ordin. Praedic. = Theologica Summa tomis II. F. 1280.

S. Albertus Magnus, nobiliſſimus Lavinganus in Germania, ex Ord. Praed., Epiſcopus Ratiſponenſis, ſanctimoniae, doctrinaeque laude praecliariſſimus, dignus S. Thomae Praeceptor: perplurium Author = Summa Theologiae in duas partes tributa = In IV. Sent. = Perplura Scholaſtica. O. 1280.

Rupertus aut *Robertus de Ruſſia*, vel *Ruthenus*, Miraeo *Haſſus*, Minorita = In IV. Sent. O. 1280.

Robertus Kiluvarbius, cognomento *Biliveri*, Anglus, ex Ord. Praed., Cantuarienſis Antiſtes & Cardinalis: plurium Scriptor = Commentarii in IV. Sent. = & in Summam D. Thomae. Primus, ut conjicio, qui eam commentatus eſt; ſi tamen reapſe eam ſit commentatus; quoniam diligentiſſimus *Echardus* ubi ad an. 1279. de Roberti operibus prolixe differit, ejuſmodi commentarium in Summam D. Thomae omnino ſilet: idemque puta de laudato *Oudino* ad an. 1260. Robertum inſcite Franciſcanis adſcripſit *Caveus* in Hiſt. rei literariae ad an. 1272. O. 1280.

(z) De Script. Domin. ad an. 1301. in ipſo Petro.

(a) Apud *Caſimirum Oudinum* ſupplem. de Script. Eccleſ. omiſſis a Bellarmino ad an. 1280. in Petro Alverno, ac rurſus in Comment. de Script. Eccl. ad Sec. XIII. an. 1280. & *Dupin.* de Script. Eccl. ad Sec. XIII. in eodem P. Alverno. *De Rubeis* illud probabiliter adjudicat *Henrico de Gorcomio*, in editione S. Thomae, quam adornavit, tom. 20. Admonitione praevia, cap. 6. n. 3.

F. 1286. *Richardus Clapole*, aliis *Knapwel*, Anglus, Ordin. Praed.: plurium Author. = In IV. Sent. = Quaestiones Theologicae = De immediata Dei visione = Lib. adversus corruptorium D. Thomae.

F. 1288. *Richardus de Mediavilla*, Anglus, Minorita, Oxonii & Parisiis inter doctos DOCTOR SOLIDUS & COPIOSUS adpellatus = In IV. Sent. = Plura Scholastica.

F. 1289. *Henricus Teuto*, Dominicanus, Alberti Magni dignus Discipulus = In IV. Sent.

F. 1290. *Thomas Suetonius*, Anglus, Ord. Praed.: plurium Author = Breviarium Theologiae = Summa Theologiae = Compendium S. Thomae = Quaestiones difficiles.

O. 1290. 11. Apr. *Anselmus de Kaneresburgo*, Anglus, Ord. Ss. Trinitatis, Oxoniensis Academiae Doctor & Theologus Professor: plurium Scriptor = Tr. de Fide.

O. 1291. 13. Dec. *Joannes de Bosco*, Anglus, ejusdem Ord., Parisiensis Doctor: plurium Scriptor. = In IV. Sent. libris XIV.

F. 1292. *Bernardus*, Claromontanus, ex Praed. Ord: plurium Author. = In IV. Sent. = Pro D. Thoma contra adversarios libri II.

O. 129?. 29. Jun. *Henricus a Gandavo*, Belga, S. Alberti Magni in Colonia Discipulus, Parisiensis DOCTOR SOLLEMNIS dictus, Tornacensis Archidiaconus, apud exteros quosque Scriptores; etsi tantum Virum Trinitarii Patres, & Servitae suum velint alumnum: plurium Scriptor. = In IV. Sent. = Quodlibeta Theologica dicta AUREA = Summa Theologica, seu Quaestionum ordinariarum = Plura.

F. 1294. *Hugo de Mancestria*, Anglus, Minorita: plurium Editor. = Compendium Theologiae.

O. 1295. 1. Oct. *Cornelius*, Gente Hibernus, Manapiae ortus, Ord. Ss. Trinitatis, Oxoniensis Doctor: plurium Author = In IV. Sent. libri IV. = Tr. de Incarnatione Christi.

F. 1295. *Hugo*, Argentoratensis, Ord. Praed: plurium Scriptor = In IV. Sent. = Theologicae veritatis Compendium libris 6. = Quodlibeta = Quaestiones = Disputationes.

F. 1296. *Bertrandus* seu *Bernardus e Trillia*, Gallus, Ord. Praed. = In IV. Sententiar.

O. 1298. *Gulielmus Hottun*, sen *Odo* vel *de Odone*, Anglus, Ord. Praed; Parisiis Doctor Theologus, Archiepiscopus Dublinensis: plurium Author. = In IV. Sent. = Lecturae Scholasticae.

F. 1298. *Gulielmus de Oppembach*, Germanus, Academiae Parisiensis Professor = In IV. Sent. = Quaestiones disputatae.

XXXVII. *Scholastici Authores a MCCC. ad MCD.*

SECULUM SCHOLASTICUM III.

CHRISTIANUM XIV.

F. 1302. *Andreas a Neuclaste*, Gente vel Anglus, vel Lotharingius, professione Dominicanus. = In IV. Sent.

F. 1302. *Gulielmus Garronis*, vel *Guarronis*, aliis e *Varra*, Anglus, Minorita,

norita, Joannis Scoti digniſſimus Praeceptor: plurium Author. = In IV. Sent. = Lecturae Scholaſticae = Quaeſtiones ordinariae.

Guillelmus Blaro, Scotus Ord. Ss. Trin; Oxonienſis Doctor = Lecturae Scholaſticae = De Fide Orthodoxa. O. 1303. 8. Mar.

Humfridus Neckton, Anglus, patria Norfolcenſis, Carmelitanus, & primus ex Anglis Carmelitis in Cantabrigienſi Academia Doctor: plurium Author. = Lib. ſuper articulis theologicis = Quaeſtiones ordinariae. = Lecturae Scholaſticae. *Daniel a Virgine Maria*, tom. 3. Speculi Carmelitici num. 3945. duos ex hoc uno Humfrido Nectonum & Neckionum conficit; ſed ei non conſentit noviſſima *Bibliotheca Carmelitana* in Hunfredo Nectono. O. 1303.

Richardus Vuyrem, Scotus, Ord. Ss. Trin., Theologus Doctor Oxonienſis, Epiſcopus Sydonienſis in Phaenicia = In IV. Sent. libris VIII. = De SS. Trinitate = de Angelis. O. 1304. 21. Mar.

Gualterus Vinterbonius, Salisburgenſis, Ord. Praed.: plurium Scriptor. = Lib. Quaeſtionum theologicarum. F. 1305.

Thomas Anglicus, cognomento *Jorgius*, patria Galenſis, aut Vallenſis, Ord. Praed., & Cardinalis: plurium Author = In IV. Sent. = Lib. multarum quaeſtionum theologicarum, Mſs. F. 1305.

Joannes a Friburgo, Ord. Praed.: plurium Author, Hungariae Epiſcopus. = In IV. Sent. F. 1306.

Joannes Duns, natione Scotus, aliis Hibernus, ſed vulgo *Scotus* compellatus; Minorita, in Oxonii & Lutetiae Academiis celeberrimus Scholaſtices Profeſſor; ob ingenii acumen, & doctrinae profunditatem DOCTOR SUBTILIS nuncupatus = In IV. Sent. Commentarii duo = Liber Quodlibetorum = Plura Scholaſtica. O. 1308.

Gualterus Jorſius, Anglus, Ord. Praed; Archipraeſul Armachanus: plurium Scriptor = Summa Theologiae, libris IV. = Tr. de peccato originali = Promptuarium Theologiae. F. 1310.

Bartholomaeus Bolſenech, Dominicanus, Sacri Palatii Magiſter. = In IV. Sent. = Lib. de viro completo: ubi plura theologica. F. 1311.

Gerardus Haucinus aliis de *Ancinis*, Ord. Praed. in Theologia Magiſter = In IV. Sent. MS. F. 1312.

Alexander ab Alexandria, Pariſienſis Academiae Doctor, uti ferunt Minorum Annales apud noviſſimum *Fonſecam ab Ebora* (*b*), *Bulaeus* (*c*), alii; non vero Barcinonenſis, ut ipſe aliquando aſſeueram, inductus a *Poſſevino* (*d*); e Genuae Miniſtro ſui Minorum Ordinis Miniſter Generalis VI.: plurium Editor. = In IV. Sent. O. 1314.

Raymundus Lullus, origine Catalanus, Patria Majoricenſis, DOCTOR ILLUMINATUS dictus, Patronus Academiae Majoricenſis, quae propterea *Lulliana* nuncupatur. Et eum quidem Baleares Inſulae ut Beatum, Doctorem, Martyrem, & Patronum immemorabili cultu reverentur: perplurium Author. = Lib. quaeſtionum ſuper IV. Sent. O. 1315.

(*b*) Ad an. 1313. n. III.

(*c*) De Univ. Pariſ. t. 4. in catal. illuſtri. Academicor. in Alexandro.

(*d*) In App. ſacro, in Alexand. ab Alex.

Sent. = Lib. de Conceptione Immaculatae Deiparae. Hunc adverſus aliorum ſententiam agnoſcit legitimum Raymundi foetum *Cuſtureriu*s apud *Bollandianos* ad diem 30. Junii, ubi de vita Lulli.

O. 1316. 22. Dec. *AEgidius Columna*, vulgo *Romanus* ab Urbe patria; ex praenobili Columnenſium Romanorum ſtirpe, S. Thomae Diſcipulus & Defenſor, Auguſtinenſium Prior Generalis, Archipraeſul Bituricenſis, electus Cardinalis, DOCTOR FUNDATISSIMUS & *Beatus Doctor* adpellatus: plurium Author. = In IV. Sent.; at non extat integra expoſitio. = Plura Scholaſtica (*e*).

In Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Conſtitutionibus Par. 5. cap. 2. de officio Regentis, praecipitur, ut Scholae ſuae AEgidii doctrinam ſectentur; ita vero, ut ubi ejus ſcripta deſiderentur, ex Sancti Thomae doctrina ſuppleatur.

F. 1316. *Albertus a Padua*, Auguſtinianus, Doctor Pariſienſis, Aegidii Columna dignus alumnus = In IV. Sent.

F. 1317. *Galfridus Meldronius*, Scotus, Or. Ss. Trin., Doctor Oxonienſis: plurium Scriptor = In IV. Sent. libris IV.

F. 1317. *Joannes de Neapoli*, ſic a patria, profeſſioneque nuncupatus [*f*], Dominicanus: plurium Scriptor = In IV. Sent. = Quaeſtiones plurimae Theologicae Pariſiis diſputatae.

O. 1317. *Gerardus Bononienſis*, ſic a patria cognominatus, Carmelitanorum Prior Generalis XI., Doctor Theologus Pariſienſis, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio: plurium Scriptor = In IV. Sent. = Quodlibeta varia.

F. 1318. *Petrus*, Archiepiſcopus Aquenſis. = In IV. Sent.

O. 1319. 21. Oct. *Georgius Bruis*, Scotus, Or. Ss. Trin. Theologus Doctor, genere, doctrina, pietate conſpicuus: plurium Scriptor = In IV. Sent. libris II.

F. 1319. *Bertrandus a Turre*, Minorita, Doctor Pariſienſis: plurium Author. = In IV. Sent.

F. 1319. *Antonius Andreas*, Aragonenſis in Hiſpania, Minorita, dignus Scoti diſcipulus = In IV. Sent. egregius Commentarius, primum editus, perpolitus, notiſque adornatus a Cardinale *Sarnano*.

F. 1320. *Jacobus de Viterbio*, ex Doctore Theologo Ordinis Auguſtinenſis Archipraeſul Neapolitanus, ob acutiſſimum in diſputando ingenium DOCTOR SPECULATIVUS compellatus: plurium ineditorum Auth. = In IV. Sent.

F. 1320. *Joannes Canonicus*, aut *Canon*, Minorita, Scoti in Pariſienſi Academia dignus auditor: plurium Scriptor. = In IV. Sent. = Diſputationes ordinariae.

F. 1320. *Bonaventura Patavinus*, Auguſtinenſis, Cardinalis: plurium Author. = In IV. Sent. tomis IV.

F. 1320. *Gulielmus Mansfelde*, Ord. Praed: plurium Scriptor. = Quaeſtiones

(*e*) Conſuleſis *Jacobum Bergomenſem* in Chronicorum ſupplemento, ubi de noſtro Aegidio.

(*f*) Ap. *Echard.* ad an. 1330. Conf. ejuſdem Joannis Vitam & Elogia praefixa ſuis qq. editis Neapoli 1618.

nes ordinariae = Defenſorium Sancti Thomae = Lib. de Angelis = L. contra Henricum Gandavenſem.

Joannes Dumbleton, Anglus, Oxonienſis Theologus: plurium Author. = Summa Theologiae major libris x. = Summa Theologiae minor lib. I. F. 1320.

Petrus de Aquila, cognomento *Scotellus*, Minorita. = In IV. Sent. = Quaeſtiones in IV. Sent. F. 1321.

Joannes Baſſolius, Minorita, DOCTOR ORDINATISSIMUS compellatus. Floruit anno, quem ei cum *L'Englet* in tabellis chronologicis adſignamus; alii vero cum *Eiſeingrenio* revocant ad an. 1466. = In IV. Sent. F. 1321.

Andreas Hepbrunus, Scotus, Ord. Ss. Trinitatis, Oxonienſis Doctor: plurium Author = De notitia Dei = De Angelis. O. 1322. 5. Marr.

Petrus Aureolus, Gallus, Minorita, Archiepiſcopus Narbonenſis, aut Aquenſis in Provincia, Joannis Duns dignus auditor, DOCTOR FACUNDUS nuncupatus: plurium Author. = In IV. Sent. = Compendium Theologiae = Quodlibeta varia. O. 1322. 17. April.

Hieronymus de Atharia, Hibernus, Ord. Ss. Trin., Oxonienſis Doctor & Profeſſor, clariſſimus Scoti diſcipulus: plurium Author = In IV. Sent. libri II. = Defenſorium doctrinae Scoti = De SS. Euchariſtia = De Praedeſtinatione. F. 1323.

Jacobus Hibernus a Natione cognominatus, ejuſdem Ord., Theologus Doctor Cantabrigienſis = In IV. Sent. libris IX. = De Incarnatione Chriſti libris II. O. 1324. 7. Feb.

Bertrandus Mediolanenſis, Minorita, aliquorum opinione Cardinalis: plurium Scriptor. = In IV. Sent. F. 1323.

Hervaeus Natalis, Brito, ſui Ord. Dominicani Magiſter Generalis, inſignis vir, ac fere ſummus aevi ſui Teologus habitus: plurium Author = In IV. Sent. = Quodlibeta. = Plura Scholaſtica. O. 1325.

Alexander de S. AElpidio, Italus ex Marchia Anconitana, Auguſtinenſium Prior Generalis & Epiſcopus Molfetanus: plurium Scriptor. = Quaeſtiones Theologicae = Quodlibetorum libri III. O. 1325.

Joannes Winchelſen, Minorita: plurium Author. = Quodlibeta theologica = Lecturae Scholaſticae. O. 1326.

Franciſcus Mayronius, Gallus, Minorita, Scoti diſcipulus, dictus DOCTOR ILLUMINATUS: plurium Scriptor. = In IV. Sent. = Quodlibeta = Plura Scholaſtica. O. 1327.

Gulielmus de Montinduno, Anglus, Or. Ss. Trin., Doctor Oxonienſis, aliis Sorbonicus: plurium Scriptor = In IV. Sent. libris II. = Tr. de Angelis. O. 1327. 5. Sept.

Joannes Jedburgius, Scotus, ejuſdem Ord., Doctor Sorbonicus, Archiepiſcopus Damaſcenus in Phaenicia: plurium Scriptor = In IV. Sent. libris VIII. O. 1328. 7. Mai.

Gualterus Catton, vel *Gatthon*, Anglus, Minorita = In IV. Sent. = Lib. Quaeſtionum. F. 1328.

Adamus Goddam, Anglus itidem ac Minorita, Oxonienſis Thologiae F. 1328.

giae Doctor & Profeſſor, ingenii acumine & eruditione clarus: plurium Author = In IV. Sent.

O. 1328. *Auguſtinus Triumphus*, Anconitanus apud Italos, Auguſtinenſis, permagni nominis Author; Carolo II. ejuſque filio Roberto, Neapolitanis Regibus a Conſiliis: *Beatum* plerique illum adpellaverunt: plurium Scriptor. = In IV. Sent.

F. 1329. *Gualterus Burlaeus*, Anglus: plurium Scriptor = In IV. Sent. = Quaeſtionum lib. I.

O. 1331. *Engelbertus*, Abbas Benedictinus Admontenſis in Styria = Tr. de gratia Salvatoris & juſtitia damnationis humanae = De libero arbitrio = Plura [g].

F. 1332. *Gulielmus de Rubeone*, Minorita, Provinciae Aragonenſis olim Miniſter. = In IV. Sent. tomis II. fol.

O. 1333. 13. Sept. *Durandus a S. Portiano*, Arvernus, Ord. Praed; Epiſcopus Anicienſis & Meldenſis, DOCTOR RESOLUTISSIMUS jure compellatus: plurium Author. = In IV. Sent.

F. 1334. *Rainerius a Piſa*, ſeu *de Piſis*, ſic dictus a patrio ſolo, ex Ord. Praed., virtutibus & ſcientiis vir clariſſimus = Pantheologia, ſeu totius Theologiae Summa, & quidem Scholaſtico-dogmatico-myſtica. Ejus annus emortnalis, valde dubius; forte veroſimilius eſt 1351. At certum videtur, ſummam inchoaſſe 1333.

F. 1336. *Alphonſus*, Hiſpanus, Ord. Auguſtiniani, Archipraeſul Hiſpalenſis = In IV. Sent.

F. 1337. *Alvarus Pelagius*, Hiſpanus, Minorita, apud aliquos Scoti diſcipulus, Decretorum Doctor, Epiſcopus Coronenſis in Acaja, & Sylvenſis in Luſitaniae Algarbiis: plurium Scriptor. = In IV. Sent. = Summa Theologiae.

F. 1337. *Robertus Cowton*, aliis *Cotbon*, Anglus, Minorita, acuti ingenii, & ſolidi judicii vir, DOCTOR AMAENUS, pro more illorum temporum vulgo dictus: plurium Author. = In IV. Sent. = Quodlibeta Scholaſtica.

F. 1338. *Durandus Campanus*, Gallus, ex eodem Ordine, Reginae Galliae & Navarrae a Confeſſionibus: plurium Editor = In IV. Sent.

F. 1339. *Henricus de Urimaria*, Germanus, Auguſtinenſis doctiſſimus, Pariſienſis Doctor & Profeſſor: perplurium Scriptor. = In IV. Sent. = Lib. de Verbi divini Incarnatione.

F. 1339. *Gulielmus De-Lamara*, Anglus, Minorita: plurium Author. = In IV. Sent. = Quodlibeta ſophiſtica = Correctorium S. Thomae = Plura.

F. 1339. *Joannes de Colonia*, ſeu *Colonienſis*, Minorita, perdoctus Scoti diſcipulus. = Quaeſtiones Magiſtrales ex Scoti voluminibus excerptae & illuſtratae.

O. 1340. 21. Jan. *Edmundus Albonus*, Anglus, Or. Ss. Trin; Theologus Profeſſor Oxonienſis: plurium Scriptor = De Ss. Trinitatis arcano.

F. 1340. *Stephanus Brounus*, Anglus, ejuſdem Ord., Oxonienſis Doctor = Lecturae Scholaſticae ſuper Magiſtrum Sent.

Guliel-

(g) Videſis laudatum *Legipont.* in Engelberto.

Gulielmus Sutampton, Or. Praed: plurium Author. = In IV. Sent. libris IV. = Lib. Quaeſtionum Theologicarum. F. 1340.

Joannes Lutterellus, Anglus, Oxonienſis Academiae Profeſſor: plurium Author. = Lib. adverſus Ockami diſputata. = Praelectiones Oxonienſes lib. I. = Determinationes variae. F. 1340.

Gerardus Odonis, Rutenenſis e Caſtro Rodulphi, Gallus, Minorum Miniſter Generalis XVIII., deinceps Patriarcha Antiochenſis, & Eccleſiae Catanenſis in Sicilia perpetuus Adminiſtrator, a probitate, prudentia, doctrina commendatiſſimus: = Plurium Scriptor. = In IV. Sent. F. 1341.

Petrus de Palude, ſeu *Paludanus*, Burgundus, Ord. Praed., Patriarcha Hieroſolymitanus: plurium Author = In IV. Sent. O. 1342. 21. Jan.

Guido Perpinianus, ſic nuncupatus ab Urbe patria, cognomento *Terrena* ſeu *de Terrena*, Pariſienſis Doctor, ſui Ord. Carmelitani Prior Generalis, deinceps Epiſcopus Majoricenſis & Elnenſis: plurium Author. = In IV. Sent. = Quodlibeta = Quaeſtionum liber (*). O. 1342. 21. Aug.

ADNOTATIO.

(*) HEic opportune Scriptores aliquot perſtringendi veniunt, ubi de noſtro Guidone ſermonem inſtituunt. Et primo omnium loco *VVernerus Rollevvenk* Cartuſianus (in ſuo Faſciculo temporum ad an. 1354.) eum perperam vocavit Cluniacenſem Pontificem.

Deinde *Carmelitani Pariſienſes* in prima, quam an. 1528. luci publicae commiſerunt, Guidonis Summae de Haereſibus editione, in Hiſtoriam & Geographiam peccarunt enormiter, dum in Epiſtola nuncupatoria, quam Joannes Roch Carmeli Meldunenſis Prior eorum nomine Antonio a Pratis Senonenſi Archiepiſcopo & Cardinali ſacravit, decretorie ſcribunt, Guidonem *in ea Betycae parte, quae nunc Majorica dicitur, Epiſcopum fuiſſe*. Sic illi.

Quin etiam Carmelita alter Colonienſis *Joannes Seinerus*, Volckmartianus, fato functus 1636. 6. Jun., in editione Concordiae Evangelicae Guidonis, quam ſub an. 1631. procuravit Coloniae, in quadam adnotatione Operi ſub initium praefixa, ſuorum Pariſienſium, ac Tabularum Geographicarum, ut inquit, authoritate fretus, Trithemium, Poſſevinum, Bellarminum confidenter perſtringit, quod Guidonem Majoricenſem & deinde Helnenſem Epiſcopum dixerint; intendens utique fuiſſe duntaxat Epiſcopum Helnenſem in Majorica, quae, ait, non aliquis certus eſt locus cuidam Epiſcopatui deſtinatus ſed potius provincia quaedam ſpatioſa in Boetica, multos in ſe complexa Epiſcopatus, quorum alter Helnenſis eſt.

Bone Deus! Caecutierunt Authores iſti in meridie; quoniam ex obviis Hiſtoriae ac Geographiae tabulis, cum veteribus, tum modernis, ad evidentiam edoceri poterant, quod Majoricenſis & Helnenſis duo ſint Epiſcopatus, quos ſucceſſive Guido Antiſtes moderatus eſt; illum videlicet, ſic dictum a Majorica, quae non in Boetica, ſed in Mediterraneo pelago ſita eſt, altera nempe ex duabus praeclaris Inſulis, quas Graeci apud Ptolomaeum, ſeu Romani apud Diodorum, Baleares vocarunt; iſtum vero, ad quem Guido ſub an. 1330. ex Majoricenſi traductus eſt, ab Helena, ſeu corrupte Helna, quae eſt Urbs ac Sedes Epiſcopalis Provinciae Ruſſinionenſis, olim Hiſpano Regi, modo tamen Gallo ſubjectae. Haec quidem lippis atque tonſoribus nota ex *Ptolomaeo*, *Diodoro*, *Joanne Gerundenſi* Epiſcopo (in Paralipomenis Hiſpaniae l. I. ap. *Hiſpaniam illuſtratam* tom. I. edit. 1603.) *Raynaldo* (ad an. 1321. a n. 7.) aliiſque complurimis: adeo miror vehementer, Turonenſem Carmelitam noviſſimae Bibliothecae Carmelitanae Scriptorem ſui Guidonis Hiſtoriam ab hiſce pudendis Conſodalium naevis non vindicaſſe, praeſertim ubi Seinerum laudat tanquam excellentem Poetam, tum Philoſophum, Rhetorem & Concionatorem diſertiſſimum ap. Biblioth. Carmel. in Seinero. De-

O. 1342. 23. Nov. *Joannes Alerius*, vel *de Alerio*, Toloſas, ſui Ord. Carmelitani Prior Generalis: plurium Scriptor. = In IV. Sent. (*h*)

F. 1343. *Gulielmus Cremonenſis*, Auguſtinianorum Generalis Magiſter, deinde Novarienſis Antiſtes, & Cardinalis: plurium Author. = In IV. Sent. MS.

F. 1344. *Thomas de Strasburgo*, ex eodem Ordine, Doctor Pariſienſis a doctrinae profunditate magnopere commendatus. = In IV. Sent.

F. 1345. *Gerardus Senenſis*, Auguſtinenſis pariter Ordinis haud ignobilis Theologus, & J. U. C. plurium Scriptor = In I. Sent.

F. 1346. *Joannes Gualenſis*, cognomento *Junior*, Anglus. = Lectura Sententiarum libris IV. = Lib. Diſputationum.

O. 1346. *Joannes Bachonius*, Anglus, Carmelitanus, DOCTOR RESOLUTISSIMUS adpellatus: plurium Author celebratiſſimus = In IV. Sent. = Quodlibeta. = Quaeſtiones Ordinariae = Placita Theologica = Plura Scholaſtica. Dicitur opinioni Jeſuiticae de Scientia Media praeluxiſſe.

Ejus doctrinam non ita pridem Comitiorum Generalium edicto Carmelitanus Obſervantium Ordo tenere atque ſectari adſtrictus eſt.

O. 1347. *Gulielmus Ockam*, Anglus, Minorita, perdoctus Scoti diſcipulus: Nominalium Scholam inchoavit, aut maxime ſtabilivit: plurium Scriptor = In IV. Sent. = Compendium Theologiae = Quodlibeta.

O. 1348. 4. Aug. *Petrus de Caſa*, alias de *Caeſis*, aut de *Caſſia*, Provincia Aquitanus, patria Lemovicenſis, Carmelitanorum Prior Generalis, Epiſcopus Vaſionenſis, Patriarcha Hieroſolymitanus, doctrina & ſanctimonia conſpicuus: plurium Author. = In IV. Sent.

O. 1348. *Joannes Guent*, Cambricae regionis alumnus, praenobilis Theologus: plurium Author. = In IV. Sent. = Quaeſtiones diſputatae.

O. 1349. *Thomas Bradwardinus*, Anglus, Ord. Praed. (*i*) vel Minorita [*k*], aut neutrius Ordinis, ſed ſecularis profeſſionis (*l*), Oxonienſis Academiae

Demum, ut alia praeteream ab *Alphonſo de Caſtro* & *Leone Allatio* in Guidonem immerito effuſa, quorum vindiciae hujus non ſunt inſtituti, *Carolus VVitaſſe* (in tract. de Ss. Euchariſtia quaeſt. 2. art. 1. ſec. 2.) Authorem noſtrum *ignariſſimum* adpellavit. At magna tamen, impudentique injuria Virum ſua aetate ſapientiſſimum, ac, prout ea ferebant tempora, literatiſſimum, affecit: Virum inquam, quem dixerunt antonomaſtice *Doctorem Pariſienſem*, *Apoſtolici Palatii Lectorem*, *acerrimum Fidei Quaeſitorem & Vindicem*; Virum denique pleriſque clarum exaratis Commentariis in Sacram Scripturam pene univerſam, in Jus Canonicum, in Ariſtotelem, in Magiſtrum, tum adverſus haereſes quaslibet; & aliis, quos cum laude ac vindiciis poſt *Nicolaum Antonium* (in Bibliotheca Hiſpana Veteri tom. 2. l. 9. c. 5. a num. 252.) dedit noviſſimus Carmelitanae Bibliothecae *Author* (tom. 1. §. 108. art. *Guido Terrena*.) Noviſſime Guidonem inter alios Apoſtolici Palatii Lectores retulit ac impenſe laudavit *Caraſa* (in Comment. de Gymnaſio Romano cap. 6. n. 7.)

(*h*) Nobiſcum ſentit qui & eum impenſe commendat, *Author* magnae Bibliothecae Eccleſiaſticae in Joan. de Alerio; necnon *Author* Bibliothecae Carmelitanae in eodem Joanne: eſto *Sixtus Senen.* in Biblioth. S. lib. 4. ipſum claruiſſe ſcribat an. 1348.

(*i*) Ap. *Anton. Senenſem*, *Fernandezium*, *Pium*, *Altamuram*, *Poſſevinum*, renitente *Echardo* de Script. Domin. ad an. 1349.

(*K*) Ap. *Oudin.* in ſupplem. de Script. Eccl. ad an. 1350.

(*l*) Ap. laudatum *Echard.*

demiae Theologus Profeſſor, Archiepiſcopus Cantuarienſis = Libri de Gauſſa Dei: ubi prolixe de gratia per Chriſtum & de humani arbitrii libertate; at ſecundum aliquos non admodum ſolide. Sunt qui huic tanquam principi Authori de ineluctabili Praedeterminatione ſententiam adſcribant; quippe ſuſpicantur, Wiclefum Anglum ab hoc Anglo Theologo didiciſſe, ſolam coactionem libertati repugnare; verum Thomas dubio procul Eccleſiae judicium docilis expectavit [*m*].

Nicolaus Liranus, Normannus e Britannia, Minorita, Doctor Theologus Pariſienſis: perplurium Scriptor. = In IV. Sent. O. 1349. 14. Oct.

Robertus Holkot, Anglus, Ord. Praed. in Oxonienſi Academia Theologiae Doctor & Profeſſor: plurium Author. = In IV. Sent. O. 1349.

Joannes de Erfordia, Thuringus, Natione Teutonicus, profeſſione Minorita: plurium Scriptor. = In IV. Sent. F. 1350.

Nicolaus Dorbin, aliis *Dorham*, Anglus e Dunelmenſi Dioeceſi: plurium Author = In IV. Sent. = Determinationes Quaeſtionum. F. 1350.

Gulielmus Safontius, aut *Safontis*, Toloſas, Auguſtinenſis Ordinis Theologus: plurium Author = In IV. Sent. = De Deo Trino & Uno. F. 1350.

Hugo de Ductona, Anglus, Dominicanus: plurium Scriptor = Lecturae Scholaſticae = Diſputationes Scholaſticae (*n*). F. 1350.

Thomas Argentinenſis, Germanus, Auguſtinenſium Prior Generalis, prudentiae, ac doctrinae laude ſpectatiſſimus: plurium Scriptor. = In IV. Sent. O. 1357.

Gregorius Ariminenſis, a patrio ſolo cognominatus, Theologus Doctor & Profeſſor, Scholaſticorum ſui temporis ſubtiliſſimus (*o*) ſui Auguſtiniani Ordinis ſummus Praeſes, Argentinenſi ſucceſſor: plurium Scriptor. = In IV. Sent. O. 1358.

Adamus Wodeham, Anglus, Minorita, Ockami diſcipulus, ac eruditione fere Magiſtro aequalis: plurium Author. = In IV. Sent. O. 1358.

Gualterus Bederychworth, Anglus, Benedictinus: plurium Scriptor. = In IV. Sent. = Lectiones Scholaſticae. F. 1359.

Gulielmus Alnevick, Villoto *Almoic*, Anglus, O. Minor., Theologus Oxonii Doctor & Profeſſor: plurium Author. = In IV. Sent. F. 1359.

Petrus e Perpiniano, ſic dictus a patrio ſolo, cognomento *Rimes*, aliis *de Rivo*, & *de Riu*, tunc Catalanus in Provincia Ruſſinionenſi, Carmelitanus, Pariſienſis Academiae Doctor Theologus: plu- O. cir. 1360.

 rium

(*m*) Haec totidem fere verbis Clariſ. *Mich. a S. Joſeph* in Bibliograph. tom. 4. lit. T. p. m. 415. *in Thoma Bradvvardino*. Et quidem *D' Argentraeus* in Collectione judiciorum de novis erroribus ad an. 1330. ex laudato Bradvvardini Commentario in multis ipſum Erronem demonſtrat, & quantum ad Syſtema de libertate creata, VVicleffi, Huſſi, Hieronymi de Praga, Lutheri, Calvini, Baii, Janſenii Praecurſorem oſtendit.

(*n*) Laudatus *Echard.* eum rejicit ad an. 1339. *Altamura* in Biblioth. Dominicana ad 1340.

(*o*) Teſte *Labbeo* in Diſſert. de Script. Eccleſ. tom. 1. in Gregorio Ariminenſi; tum *Davide Clemente* in Bibliotheca curioſa lit. A. ſub eodem Gregorio in Notis, ubi & curioſe laudat, enuntiatque plures Theologiae Scholaſticae noſtri Authoris editiones ab an. 1480. ad 1544.

rium Scriptor. = Quaeſtiones Sententiarum = In IV. libros Sentent. [p]

F. 1360. *Gulielmus Roethwel*, Anglus, Dominicanus Theologus & Eccleſiaſtes: plurium Author. = In IV. Sent. = Quaeſtiones Scholaſticae.

F. 1360. *Joannes de Imenhuſem*, Germanus: plurium Scriptor. = In IV. Sent.

F. 1363. *Ranulphus Higdenus*, Anglus, Benedictinus Ceſtrenſis = Diſtinctiones Theologicae.

F. 1363. *Jacobus Altavilla*, Germanus Rinaugienſis, haud ignobilis Theologus. = In IV. Sent. = Lib. variarum Quaeſtionum.

O. 1366. 26. Dec. *Alphonſus Vargas*, Toletanus, Auguſtinenſis, in Pariſienſi Academia Theologus Doctor & Profeſſor, Pacenſis primum Antiſtes, deinde Hiſpalenſis Archipraeſul. = In IV. Sent.

F. 1370. *Godeſcalchus*, Colonienſis, Carmelitani Ord., Theologiae Doctor Pariſienſis & Profeſſor, ſumma literarum laude celebris = Quaeſtiones Sententiarum libris VII.

F. 1371. *Hugolinus Malabranca*, Italus ex Urbe-veteri, Auguſtinenſium Prior Generalis, Pariſiis in regenda Cathedra Gregorio Ariminenſi Succeſſor, Epiſcopus Ariminenſis, & Patriarcha Conſtantinopolitanus Titularis: plurium Scriptor. = In IV. Sent.

O. 1372. 8. Aug. *Franciſcus de Baccone*, Catalanus, Carmelitici Coenobii Gerundenſis, aut Peraladenſis Sodalis, Ordinis Magiſter, & Cataloniae Praeſes, Pariſienſis Profeſſor, DOCTOR SUBLIMIS adpellatus: plurium Author = In IV. Sent. MS.

O. 1372. *Gulielmus de Sancta Fide*, Anglus, Carmel. Ord., Cantabrigienſis Theologus Doctor. = Initiationes Theologorum = Theologicae determinationes = Quodlibeta = Tr. de Immaculata Deiparae Conceptione.

O. 1374. *Joannes Baliſtarius*, vernacule *Balleſter*, Catalanus origine, domo Balearis ex Inſula Maioricenſi, in Pariſienſi Academia Sentent. Lector, Carmelitarum Prior Generalis: plurium Author. = In IV. Sent.

O. 1376. *Joannes Marcheley*, Anglus, Minorita = Lib. Quaeſtionum Theologicarum = Lib. de Conceptione Deiparae.

F. 1378. *Bernardus Oller*, ſeu *Ollerius*, Manreſae in Catalonia ortus, clarus Theologiae Profeſſor, Carmelitici Ordinis ſummus Praeſes: plurium Scriptor. = Tract. Schol. de Immaculata Deiparae Conceptione.

F. 1381. *Michael Angrianus*, Bononienſis, ejuſdem Carmelitani Ord. Prior Generalis: plurium Author. = In IV. Sent. = Quaeſtiones Sententiarum = Tr. de Immaculata Deiparae Conceptione.

F. 1382. *Guillelmus Brounus*, Anglus, Ord. Ss. Trin., Cantabrigienſis Doctor, & Epiſcopus Eboracenſis: plurium Scriptor = Tr. de Trinitate = Fide = Angelis.

O. 1384. *Gombaldus Ulugius*, vel de *Ulugia*, Gente Aragonus, Or. Praed., Cervarienſis Conventus in Catalonia profeſſus, Pariſienſis Academiae Magiſter, doctrina & eruditione praeſtans = Scriptum in IV. Sent. libros (q). *Alber-*

(p) *Aloyſius Pons Icart* in Comment. de Tarraconis excellentiis cap. 41. Petrum ex Tarraconis Urbe oriundum adſerit.

(q) Plura citatus *Echard* ad eum an. in Gombaldo.

Albertus de Rickmerſdorp, Saxo, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Halberſtatenſis: plurium Author. = In IV. Sent. F. 1384.

Bertramus, aut *Bernardus*, Germanus. Ord. Praedic., Epiſcopus Thefelicenſis: plurium Scriptor = In IV. Sent. F. 1385.

Nicolaus Gorram, ſeu *Gorranus*, Gallus, Ord. Praedic. Philippo Francorum Regi a Confeſſionibus: plurium Author = In IV. Sent. F. 1386.

Jacobus de Teramo ſeu *Taramo*, Canonicus Aprutinus in Italia: plurium Scriptor = In IV. Sent. = De Pontifice Max. Monarchialis Lib. F. 1387.

Franciſcus Martinius, Catalanus, patria Barcinonenſis, Carmelita in Coenobio Barcinonenſi, Academiae Pariſienſis Theologus: plurium Author. = Comment. pereruditus de Ss. Deiparae Conceptione, ubi Tract. 5. probat rationibus centum, eam fuiſſe Immaculatam = Compendium veritatis Immaculatae Conceptionis Virginis Mariae. F. 1388.

Gulielmus Egumonde, vel *Edmundus*, Anglus, Auguſtinenſis: plurium Scriptor. = Replicationes Scholaſticae. F. 1389.

Fridericus Wagny, Germanus, Patavienſis Epiſcopus ex Viennenſis Academiae in Auſtria Theologo Profeſſore; a pietate & doctrina haud mediocriter commendatus: plurium Author. = In IV. Sentent. F. 1389.

Gulielmus Shirburne, Anglus, ut opinor. = Quodlibeta Theologica. F. 1389.

Joannes de Aquis, Catalanus, Carmelita, Theologiae Doctor ac Profeſſor; profundae doctrinae ac ſingularis eloquentiae vir: plurium Author = In IV. Sent. libros. F. cir. 1390.

Gulielmus Geynesburg, Anglus, Minorita, Epiſcopus Wigornienſis: plurium Scriptor = Lib. Diſceptationum Scholaſticarum. F. 1390.

Henricus Euta, vel *Oyta*, ſeu *Gyta*, Germanus, Academiae Viennenſis in Auſtria Fundator, doctrina, & meritis clariſſimus: plurium Scriptor = In IV. Sent. = De Conceptione Deiparae. F. 1390.

Henricus de Huecta, Germanus, Ord. Carmelitani = Breviarium Sententiarum libris IV. = Quaeſtiones Scholaſticae lib. 1. (*r*). F. 1390.

Marſilius ab Inghen, Germanus, olim Pariſienſis Academiae Rector, Colonienſis Eccleſiae S. Andreae Canonicus & Theſaurarius, Heidelbergenſis Academiae Conditor, primuſque Rector & Doctor, literarum laude conſpicuus: plurium Author. = In IV. Sent. O. 1394.

Joannes Tyſſington, Anglus, Minorita: plurium Author = Certamina Scholaſtica. O. 1395.

Gerardus Zutphanienſis, in Academia Coloniae Agrippinae Theologus Profeſſor. = Quaeſtiones Sententiarum = Quaeſtiones Quodlibetariae. De hoc Authore Eruditi Viri nonnihil dubitant. F. 1398.

Joannes Kynyngham, Anglus: perplurium Author. = In IV. Sent. Lectura libris IV. = De natura Angelica = De Spiritu S. O. 1399.

Henricus de Langeſtein, dictus *de Haſſia*, Natione Teutonicus, Societatis Sorbonicae, ex Canonico Eccleſiae Vormatienſis Auguſtinianus, Doctor & Profeſſor Pariſienſis, & Viennenſis in Auſtria. = In IV. Sent. MS. F. 1399.

Joan-

(*r*) Ex Henrico de Euta, & Henrico de Huecta unum conficit *Author* Biblioth. Carmelitanae in *Henrico de Huecta*: nec mea quidem ſententia improbabiliter.

F. 1399. *Joannes Bockinghamus*, Anglus, Benedictinus, Oxonienſis Academiae Theologus Doctor & Profeſſor, Epiſcopus Lincolnienſis = Quaeſtiones in IV. Sent. = Ordinariae Diſceptationes = Plura (s).

F. 1400. *Joannes Blaeneus*, Anglus, Ord. Ss. Trin., Doctor Theologus Oxonienſis: plurium Author = In IV. Sent. libris IV.

O. 1400. 16. Nov. *Michael Ayguanus*, Carmelitanus Prior Generalis, famoſus apud Pariſienſes Theologus: plurium Scriptor. Deceſſit anno adſignato, ut ex Sepulchrali Inſcriptione nonnulli colligunt. = Quaeſtiones diſputatae in IV. Sent. libros.

O. 1400. *Simon de Cremona*, ſeu *Cremonenſis*, Auguſtinianus clari nominis Eccleſiaſtes: plurium Author. = In IV. Sent. = Quaeſtiones de Sanguine Chriſti.

XXXVIII. *Scholaſtici Authores a MCD. ad MD.*

SECULUM SCHOLASTICUM IV.

CHRISTIANUM XV.

F. 1401. *Joannes Witlich*, Colonienſis: plurium Auth. = In IV. Sent.

O. 1406. *Joannes Edaeus*, genere Vallus, patria Herefordienſis, Minorita: plurium Scriptor. = In IV. Sent.

O. 1407. *Joannes Wrotham*, Londinenſis, Carmelitanus, Oxonienſis Academiae Theologus Doctor: plurium Scriptor. = In IV. Sent,

O. 1407. *Joannes Brammart*, Aquiſgranenſis, Natione Teutonicus, Ord. Carmelitani, Theologus Pariſienſis: plurium Author. = In IV. Sent.

O. 1407. *Joannes Maro*, ſeu *Maronis*, Anglus, Doctor Oxonienſis. plurium Scriptor. = Lectura Sententiarum libris IV.

F. 1409. *Gulielmus Butler*, Minorita: plurium Auth. = Lectura Sentent. libris IV. = Quaeſtiones aliquot. = De Indulgentiis Pontificiis.

F. 1409. *Gulielmus Harſyk*, Anglus, Carmelitanus, Theologiae Doctor ac Profeſſor Cantabrigienſis. = Lib. Diſtinctionum Theologicarum.

F. 1409. *Nicolaus Bayarde*, Anglus: plurium Scriptor. = Lib. Diſtinctionum Theologicarum = Placita Theologica.

O. 1410. 4. Maj. *Alexander* V. primum *Petrus Philargus*, aut *Philarstus*, natione Graecus, Minorita, ſummus Pontifex renuntiatus an. 1409. 25. Jun: plurium Author. = In IV. Sent. = Quodlibeta: & haec MSS. apud varias Bibliothecas.

F. 1414. *Joannes Capreolus*, Toloſas, Ord. Praed., inſignis D. Thomae Vindex. = In IV. Sent. pro tutela S. Thomae doctrinae.

F. 1415. *Jacobus Suzatus*, Germanus, Ord. Praed., Theol. Profeſſor in Colonienſi Coenobio, & S. Inquiſitionis Quaeſitor: plurium Scriptor. = In IV. Sent. = De Ss. Miſſae Sacrificio. = De Unitate Eccleſiae.

O. 1419. *Joannes Gerſon*, qui & *Carlerius*, Pariſienſis Academiae famigeratiſſimus Cancellarius, gente Gallus, profeſſione Monachus Ord. Coeleſtinorum: perplurium Editor. = Collectiones variae in IV. Sentent. = Commendatio Theologiae Speculatricis, & pro eadem addiſcenda Documenta = Plura. Bene-

(s) De eo *Pitſaeus* Act. 14. pag. 563.

Benedictus Cinigrandus, Aragonenſis in Hiſpania, Dominicanus, ut reor. = In IV. Sent. F. 1420.

Rogerius Ivonius, aut *a S. Ivone*, Anglus, Ord. Ss. Trinit., Doctor Theologus Cantabrigienſis, Scholaſtice ac Polemice clarus: plurium Author = Lecturae Scholaſticae. F. 1420.

Petrus de Alliaco, Gallus, Compendii natus, Pariſienſis Academiae doctiſſimus Cancellarius, dignus Gerſonis Magiſter, Cameracenſis Epiſcopus & Cardinalis: perplurium Author. = In IV. Sent. = Lib. de Sacramentis. = Concordia Theologiae cum Aſtrol. & Hiſtoria. O. 1425.

Joannes Bernegham, Anglus, Ord. Carmel., Theologiae Doctor, Vir ingenio, virtute, ſapientia, eruditione ornatiſſimus. = In IV. Sent. F. 1429.

Thomas Waldenſis, Anglus, Ord. Carmel. Prior Generalis in Anglia, Henrici V. Regis Angliae a Confeſſionibus, clariſſimus ſui aevi Theologus in Scholaſtice ſimul & Polemice: plurium Scriptor. = In IV. Sentent. O. 1430.

Henricus de Eimbeck, dictus *Magiſter Engelus*, Saxo, haud exiguae, vulgariſque doctrinae Scholaſticus: plurium Scriptor. = In IV. Sent. O. 1430.

Gratianus, Florentinus, Auguſtinenſis = Quaeſtiones in IV. Sentent. MS. Cum *Gratiano* Brixiano cave ne eum confundas. F. 1431.

Henricus de Gauda, ſeu *Gaudanus*, Batavus, Heidelbergenſis Academiae Profeſſor: plurium Author = In IV. Sent. = Quaeſtiones diſputatae. F. 1234.

Nicolaus Botlesham, Anglus, Ord. Carmel. Cantabrigiae, ac Lutetiae Academiarum Theologus Doctor = In IV. Sent. = Quaeſtiones Theologicae = Tabulare Sententiarum. O. 1435.

Heimericus de Campo, Germanus = In IV. Sentent. = Compendium Quaeſtionum. = Quaeſtiones variae = De authoritate Concilii. F. 1437.

Henricus Werlius, aut *Werklera*, Teuto, Minorita, Colonienſis Academiae Doctor: plurium Scriptor. = In IV. Sent. libris IV. F. 1438.

Gulielmus Beckley, Anglus, aut Scotus, Ord. Carmel., Doctor Theologus Cantabrigienſis, profundus Theologus, & excellens Concionator: plurium Author. = Quodlibeta = Quaeſtiones ordinariae. O. 1438.

Joannes de Turrecremata, Hiſpanus, Ord. Praed., Cardinalis, in Theologia & Jure Canonico peritiſſimus: plurium Scriptor. = Summa Scholaſtico-Polemica de Eccleſia & ejus authoritate. F. 1439.

Joannes Erneſtus, Germanus, Heidelbergenſis Academiae Rector: plurium Scriptor. = Quaeſtiones ad libros Sententiarum. = Quaeſtiones aliae diſputatae. = Liber de Authoritate Concilii. F. 1440.

Nicolaus Cantilepus, Britannus, Ord. Carm; Theologus Doctor Cantabrigienſis: plurium Author. = In I. librum Sentent. O. 1441.

Auguſtinus de Roma, Auguſtinenſis, Epiſcopus Nazianzenus & Ceſennenſis, ſanctimonia & doctrina clarus: plurium Editor. = In I. Sent. grande volumen, quod deinde in compendium redegit *Gulielmus Becchius*, Florentinus = De Libero Arbitrio = Plura. O. 1445.

Antonius a Matellica, patria Picens, Minorita: plurium Scriptor. = In IV. Sentent. Hunc cum Bituntino confundit Villotus. F. 1447.

Nico-

F. 1442. *Nicolaus de Cusa*, vel *Cusanus*, Germanus, Cardinalis, fere cunctis scientiis excultus: plurium Author. = Complementum Theologicum = Tr. de visione Dei = Plura.

F. 1448. *Joannes Talangerus*, Anglus, Ord. Bened. in Oxonienſi Academia Th. Doctor & Profeſſor = In IV. Sent. libris IV.

F. 1450. *Henricus de Boyo*, Brito, Carmelit. = In IV. Sentent. (*t*)

F. 1451. *Gulielmus Vorilongus*, Brito, Minorita: plurium Scriptor. = In IV. Sentent. juxta doctrinam S. Bonaventurae & Scoti.

F. 1454. *Nicolaus de Orbellis*, Andegavenſis, Minorita, Doctor Pariſienſis, in Philoſophia Scholaſtica nulli ſecundus: plurium Editor. = In

O. 1455. IV. Sentent.

Alphonſus Toſtatus, Hiſpanus, Salmanticenſis Doctor & Profeſſor, Major Hiſpaniae Referendarius, Epiſcopus Abulenſis, virtutibus clarus, in Scientiis pene cunctis prodigium & mundi ſtupor: perplurium Author. = Opuſc. de Ss. Trinitate. = Ingenioſum trium concluſionum Defenſorium.

O. 1459. *S. Antoninus*, patria Florentinus, ex Ord. Praed., Florentiae

2. Maj. Archipraeſul: plurium ſapientiſſimus Scriptor. = Summa Theologiae.

F. 1460. *Henricus Gorichem*, ſeu *Gorkum*, Germanus, in Colonienſi Academia Scholaſtices magni nominis Profeſſor: plurium Author = In IV. Sent. = Summarium S. Thomae = Quaeſtiones & Determinationes variae = Plura Scholaſtica. Proxime laudata Carmelitana Bibliotheca eum Carmelo adjudicat; id quod tamen omittunt Trithemius, Poſſevinus, Sweertius, Geſnerus, Andreas & alii Nomenclatores cum *Oudino* de Script. Eccleſ. ad an. 1430.

F. 1463. *Iacobus Aſculanus*, Picens, Minorita. = In IV. Sent. = Doctrina Scoti in tabulas digeſta = Quodlibeta.

O. 1464. *Joannes Capgrave*, Anglus, Auguſtinenſis Ordinis perinſignis

12. Aug. Theologus Scholaſticus & Biblicus: plurium Author = In IV. Sent.

F. 1468. *Georgius Molitoris*, Germanus Norimbergenſis: plurium Scriptor. = In IV. Sent.

F. 1469. *Godeſcalchus Meſchedius*, Germanus Veſtphalus, Erfordienſis Academiae Profeſſor. = In IV. Sent. = Quaeſtiones variae diſputatae.

F. 1469. *Gualhardus de Rupe*, Toloſas & Carmelitani Ordinis in Provincia Toloſana Provincialis, Vir probitate ac doctrina clarus: plurium Auth. = Determinationes Theologicae = Lectura Theologica.

F. 1470. *Gulielmus Forleon*, Brito, Minorita, Pariſienſis Academiae Theologus Profeſſor: plurium Author. = In IV. Sent. = Quaeſtiones variae.

F. 1471. *Joannes e Lutria*, Germanus, Erfordienſis Academiae Profeſſor: plurium Scriptor = In IV. Sent.

O. 1471. *Dionyſius Richel*, vulgo *Cartuſianus* ab Inſtituti profeſſione, Natione Germanus, eximiae pietatis ac doctrinae Vir: perplurium Author. = In IV. Sent.

F. 1474. *Gaſparinus Borrus*, ex Ord. Servorum B. V: plurium Scriptor. = In IV. Sent. libri IV. ad mentem Scoti. Ge-

(*t*) Hunc ita a *Poſſevino* laudatum in Appar. Sacro in Henr. de Boyo, praeterit omnino noviſſima *Bibliotheca Carmelitana*.

Gerardus Elten, Germanus: plurium Author = Quaeſtiones Sententiarum lib. 1. = Quaeſtiones diſputatae lib. 1. F. 1475.

Gualterus Hunte, Anglus, Ord. Carm. in Oxonienſi Academia Theologus Doctor & Profeſſor: perplurium Author = In IV. Sent. = Lecturae Theologicae = Lib. de Praedeſtinatione. O. 1478. 28. Nov.

Dominicus de Dominicis, Venetus, Epiſcopus Torcellanus & deinde Brixienſis: plurium Scriptor. = Tract. Scholaſticus de Sanguine Chriſti = De filiatione Jo: Evangeliſtae ad Ss. Deiparam. F. 1478.

Henricus Bury, ſeu *Bedericus*, Sudovolcas Anglus, Auguſtinenſis. = In IV. Sent. = Quaeſtiones Theologicae. F. 1480.

Petrus Niger, Germanus, Ord. Praed: plurium Auth. = Clypeus Thomiſtarum adverſus omnes doctrinae S. Thomae obtrectatores. F. 1481.

Stephanus Bruliſer, aut *Brulever*, Mactovienſis ex Minore Britannia, Minorita, Doctor Pariſienſis: plurium Author. = Reportata in IV. Sent. libros S. Bonaventurae = De Ss. Trinitate. F. 1483.

Sixtus P. IV. primum *Franciſcus a Rovere*, Savonenſis in Statu Genuenſi, Minorita, ad Summum Pontificatum adſumptus 1471. 9. Aug. = Tr. Scholaſticus de Sanguine Chriſti = De potentia Dei = De futuris contingentibus = De Ss. Deiparae Conceptione. Ex iis duo poſtremi MSS. O. 1484. 13. Aug.

Ambroſius Coriolanus, Auguſtinenſium Prior Generalis: plurium Scriptor. = In 1. Sent. = De eſſentia Dei = De Scientia & Sapientia Chriſti = De proprietatibus Angelorum = De Concept. B. V. O. 1485.

Guido Brianſonius, Gallus, Minorita = In IV. Sent. F. 1488.

Gulielmus Stubes, Anglus, Rector Collegii Jeſu Cantabrigiae: plurium Author = Declaratio Scoti ad librum II. Sent. F. 1489.

Gulielmus Bechius, Florentinus, Auguſtinenſium Prior Generalis, ac deinceps Feſulanus Epiſcopus: plurium Scriptor = In 1. Sent. = Abbreviatio primi Sent. Auguſtini de Roma = De poteſtate eccleſiaſtica. O. 1490.

Gabriel Biel, Germanus, ex Ord. Clericorum in communi viventium, in Tubingenſi Academia Theologus Profeſſor: plurium Author = In IV. Sent. = Accurata expoſitio Canonis Miſſae. F. 1491.

Gulielmus Blakeney, Anglus, Carmelitanus, Cantabrigienſis Doctor Theologus: plurium Scriptor. = Diſputationes Scholaſticae ſubtiliſſimae. De nimia curioſitate tanquam Magiae deditus, accuſatus eſt. O. cir. 1491.

Nicaſius, Mechlinia Oriundus, jam inde a tertio aetatis anno oculis captus, Lovanii Theologicam Lauream adeptus, & indulgente Romano Pontifice Sacerdos creatus: plurium Author = In IV. Sent. O. 1492.

Conradus Henſel, Germanus ex Haſſiae provincia, Rector Eccleſiae Francfordienſis: plurium Scriptor. = In IV. Sent. F. 1495.

Carolus Fernandus, Brugenſis Belga, Benedictinus apud Coenomanos; licet a puero oculis captus, Theologiam in Pariſienſi Academia publice praelegit: plurium Author = Libri duo pro Immaculata Deiparae Conceptione adverſus Vincentium Bandellum. O. 1496.

Gulielmus Bethus, Anglus, Dominicanus & provinciae Angliae aliquando moderator = In IV. Sent. = Variae Lecturae Scholaſticae. F. 1498.

F. 1500. *Paullus Cortesius*, Protonotarius Apostolicus: plurium Scriptor. = In IV. Sent. libros argutae, romanoque eloquio Disputationes. De hoc latini sermonis, quo perpetuo disputat, nitore rationem ipse reddit Julio P. II. in Commentarii Prooemio, quod legisse non poenitebit.

XXXIX. *Scholastici Authores a MD. ad MDC.*

SECULUM SCHOLASTICUM V.

CHRISTIANUM XVI.

O. 1502. *Henricus Potinus*, Normannus Rotomagensis, Ord. Carmelit., Theologiae Doctor ac Professor Parisiensis, electus Episcopus Philadelphensis: plurium Editor. = Lecturae in IV. Sent. libris IV.

O. 1502. 22. Maj. *Robertus Gaguinus*, Belga, Ord. Ss Trinitatis Minister Generalis: plurium Editor. = Libri duo pro Immaculato Deiparae Conceptu contra Vincentium Bandellum e Castro novo.

F. 1505. *Richardus Billingham*, Anglus, Ord. Ss. Trin., Doctor Oxoniensis: plurium Scriptor = Tr. de Angelis.

F. 1505. *Joannes Lopis*, Valentinus in Hispania, liberalium Artium, Medicinae, ac Theologiae Doctor. = Aureum formalitatum speculum Scoti ac Franciſci Mayronis doctrinam illustrans.

O. 1506. *Vincentius Bandellus e Castronovo*, Italus, Ord. Praed. Magister Generalis: plurium Editor. = Quaestiones Theologicae = De potestate Papae = De beatitudine hominis in actu intellectus.

O. 1509. 18. Maj. *Nicolaus de Niisse*, Gallus, Minorita, Theologus vere magnus & perspicuus: plurium Author = Resolutio Theologorum, seu Commentarii in IV. Sent., & quidem celeberrimi & absoluti.

F. 1510. *Joannes Major*, Scotus: plurium Editor. = In IV. Sent. = Decisiones Sententiarum libris IV. = Placita Theologica.

F. 1514. *Joannes Harley*, Anglus, Dominicanus. = In IV. Sent. duo Commentarii = Quodlibeta = Tract. de Praedestinatione Dei.

F. 1516. *Franciscus Lychetus*, aliis *Lucetus*, Brixiensis, Ord. Minorum Minister Generalis: plurium Scriptor. = In III. priores libros Sententiarum = Quodlibeta Doctoris *Subtilis* Scoti disputata = Theoremata disputata adversus Augustinum Suessanum Neapoli.

F. 1520. *Silvester Prieras* vel de *Prierio*, Pedemontanus, sui Ord. Dominicani Magister Generalis, & sacri Palatii Magister: perplurium Editor. = In IV. Sentent. = Additiones ad Scholastica Capreoli Commentaria = Malleus contra Scotistas = De potestate Ecclesiae.

O. 1523. 14. Sept. *Adrianus* VI., primum cognomento *Florentius*, Belga, Patria Ultrajectensis, Lovaniensis Doctor, Caroli V. Praeceptor, ex Dertusano Antistite in Catalonia & Cardinali Summus Pontifex renuntiatus 1522. 9. Januar: plurium Author = In IV. Sent. = Quaestiones Quodlibet. Extant insignes ejusdem literae ad Germanos Principes.

F. 1526. *Joannes de Salaia*, Hispanus, Valentinae Academiae Theologus Professor: plurium Editor. Eum Nicolaus Antonius abjudicat Franciſca-

ciſcanis, inter quos adnumerarat Wadingus = In II. & IV. librum Sent.

Gulielmus Gregorius, Scotus, Pariſienſis Theologus: plurium Scriptor = In IV. Sent. = Quaeſtiones veſpertinae. F. 1527.

Franciſcus Ferrarienſis, Italus, ſui Or. Praed. Magiſter Generalis: plurium Author = Commentarii luculentiſſimi in Summam Scholaſtico-Polemicam S. Thomae contra Gentiles. O. 1528.

Conradus Wimpina, *a Fagis*, Germanus, opinor: plurium Scriptor = Lib. de ortu, progreſſu & fructu Sacrae Theologiae. F. 1528.

Raphael Novocomenſis, Canonicus Congregat. Lateranenſis: plurium Author = Tract. de Praedeſtinatione = Gratia = Libero arbitrio. F. 1530.

Thomas de Vio, vulgo *Cajetanus* a patria Cajeta, Dominicanus, Cardinalis, Scholaſticus ſubtiliſſimus: plurium Editor = Commentarii, qui poſt primaevos antiquioris Roberti Kiluvarbii, priores editi ſunt, in ſummam D. Thomae = Opuſcula Scholaſtica plura. O. 1534. 10. Aug.

Conradus Koellinus, Germanus Ulmenſis, Ordin. Praed. Theologiae Profeſſor, in multis Germaniae Provinciis Generalis haereticae pravitatis Quaeſitor: plurium Scriptor = In univerſam fere Summam S. Thomae Commentaria, & quidem ſubtiliſſima. O. 1536.

Franciſcus Victoria, Hiſpanus, Ord. Praed., Salmanticenſis Academiae Theologus Profeſſor, & eximius Scholaſtices in Hiſpania Reſtaurator: plurium Editor = Commentarii in univerſam D. Thomae Summam = Relectiones XII. Scholaſticae: ubi de Sacramentis, augmento caritatis, poteſtate Eccleſiae, Arte magica &c. O. 1546.

Ludovicus de Caravajal, Boeticus in Hiſpania, Minorita perdoctus: plurium Author = Theologicarum Sententiarum reſtitutae Theologiae & a ſophiſtica & barbarie pro virili repurgatae ſpecimen, de Deo = Declamatio expoſtulatoria pro Concept. Ss. Virginis. F. 1547.

Ambroſius Catharinus, Senenſis, Ord. Praed., Compſae Archiepiſcopus: plurium Scriptor = Quaeſtiones plurimae ſcholaſticae; e. c. de Praedeſtinatione, Sacramentis, illibata Deiparae Conceptione = Multae Quaeſtiones adverſus dogmata Cajetani. F. 1548.

Claudius Epencaeus, Gallus, Doctor Pariſienſis: perplurium Author = Tract. de Praedeſtinatione = Plures Scholaſtici. F. 1549.

Joannes Viguerius, patria Granatenſis in Hiſpania, Ord. Praed., Toloſanae Academiae Doctor & Profeſſor Theologus: plurium Scriptor = Inſtitutiones ad naturalem & chriſtianam Philoſophiam, maxime vero ad Scholaſticam, quam vocant, Theologiam univerſalium, Conciliorum authoritate, necnon Doctorum Eccleſiaſticorum, praeſertim D. Thomae eruditione confirmatae. F. 1549.

Claudius Spinaeus, ſeu *de Spina*, Gallus, patria Neuſtrius, profeſſione Dominicanus = Epitome in IV. libros Sent. F. 1550.

Joannes Vigerius, Genuenſis Ligur, Minorita, Antiſtes Chius = Lectura in librum primum Scripti Oxonienſis Scoti t. 1. fol. F. 1550.

Antonius de Corduba, Hiſpanus, Minorita: plurium Scriptor = In IV. Sent. = Tr. de Immaculata Deiparae Conceptione. F. 1552.

F. 1555. *Conradus Clingius*, Germanus, in Academia Herfordienſi Electoratus Moguntini Theologiae Doctor = Tract. de Locis communibus Theologicis pro Eccleſia catholica.

F. 1556. *Michael de Palacios*, Granatenſis, Salmantinae Academiae Theologus Profeſſor, Legionenſis & Civitatenſis Eccleſiae Canonicus Magiſtralis: plurium Author = Diſputationes Theologicae = In IV. Sent.

F. 1556. *Hieronymus Perez*, Valentinus in Hiſpania, Mercedarius, primus in Gandienſi Academia Sacrarum Literarum Interpres a S. Franciſco de Borgia delectus: plurium Scriptor = In 1. part. & in 1. Secundae S. Thomae = Tr. de Immaculata Deiparae Conceptione.

O. 1558. *Bartholomaeus de Torres*, Hiſpanus e Burgenſi Dioeceſi, Salmanticenſis Academiae Theologus Doctor ac Profeſſor, & Antiſtes Canarienſis. = De Ss. Trinitate in 17. qq. 1. par. S. Thomae: ubi expenduntur 33. Diſtinctiones 1. libri Sent.

O. 1560. *Melchior Canus*, Hiſpanus, Ord. Praed., dignus Victoriae diſcipulus, Salmanticenſis Academiae Profeſſor, & Canarienſis Epiſcopus. = De Locis Theologicis Opus Scholaſtico-Polemicum; primum quod in eo genere emiſſum fuerit, ac illud quidem eximium & commendatiſſimum = Relectiones Scholaſticae de Sacramentis in genere, ac de Sacramento Poenitentiae.

O. 1560. *Dominicus Soto*, natu Segovienſis in Hiſpania, Dominicanus, Salmantinae Academiae Profeſſor: plurium Scriptor = In IV. Sent. ſeu de Sacramentis = De Juſtitia & Jure.

F. 1563. *Julius Sirenius*, patria Brixienſis, Monachus Hieronymianus = Tract. de Praedeſtinatione = Libero arbitrio = Fato.

F. 1570. *Didacus Valades*, Hiſpanus, Minorita: plurium Author = Magiſtri Sententiarum Epitome.

O. 1573. *Joannes Benedictus*, Gallus, Navarraei Collegii Pariſienſis Doctor, & Magiſtri Sent. publicus Interpres: plurium Scriptor. = Tract. Scholaſticus de Viſionibus & Revelationibus.

F. 1574. *Arnoldus Veſalienſis*, Gallus, ut conjicio = Epitome ſingularum Diſtinctionum in IV. Sent.

O. 1575. *Bartholomaeus Carranza*, Hiſpanus, e Miranda, Ord. Praed., Caroli V. a Confeſſionibus, Archiepiſcopus Toletanus; variae fortunae Vir: plurium Author = Tract. Schol. De Sacramentis. = De neceſſaria Paſtorum Reſidentia Tridenti explicata.

F. 1576. *Georgius Buſtius*, Vercellenſis, Ord. Praed.: plurium Author = Quaeſtiones de fine hominis, Praedeſtinatione, Reprobatione = De divinis Relationibus = De libero arbitrio = De Ss. Euchariſtia.

O. 1577. *Mancius de Corpore Chriſti*, Hiſpanus e Dioeceſi Palentina, Ord. Praed., Academiarum Salmantinae & Complutenſis Theologus Profeſſor = Schola in Summam D. Thomae = Thomae Cajetani explanatio. Haec MSS. Salmanticae apud Sodales.

F. 1579. *Bernardus Bonjoannes*, Epiſcopus Camerinus = Epitome in univerſam Summam D. Thomae.

F. 1579. *Conſtantius Sarnanus*, Umber, Minorita, Cardinalis: plurium Edi-

Editor = Lib. de concilianda doctrina S. Thomae & Joannis Scoti = Summa Theologica. = Directorium in Theologiam ad mentem Scoti.

Laellius Zecchus, Italus, Eccleſiae Brixienſis Canonicus & Poenitentiarius Theologus: perplurium Author = Theologia Scholaſtico-polemica tom. 1. Haecque inter Scholaſticos Recentiores primum tradita. F. 1580.

Bartholomaeus de Medina, Hiſpanus, Ord. Praed; primarius in Salmanticenſi Academia Theologiae Profeſſor: plurium Scriptor = In 1. Secundae S. Thomae = In III. uſque ad quaeſt. LX. complectentem librum tertium Sent. O. 1581.

Franciſcus de Ovando, Hiſpanus, Minorita, Antonii de Corduba dignus Salmanticae Auditor: perplurium Author = Breviloquium Scholaſticae Theologiae in IV. Sent. libros. F. 1582.

Joannes Maldonatus, Hiſpanus e Provincia Extremadurae, Societatis Jeſu: plurium Author = Commentarii breviores in univerſam Theologiam Scholaſticam. = In IV. Sent. libr. O. 1583.

Haec reticentur ab Alegambio & Sotuello in Bibliotheca Scriptorum Societatis; laudantur vero in Bibliotheca nova Hiſpana Nicolai Antonii (utrobique in *Maldonato*): tum tract. in IV. librum Sent. in poſteriore Bibliotheca Eccleſiaſtica Mabillonii §. x.; ubi & eidem *Mabillonius* cum *Philippo Dubois* adſcribit duo de Sacramentis volumina, contra Sotuelli judicium. Quin etiam hunc de Sacramentis commentarium Maldonato adjudicat *Dupinius* in Methodo navandi operam Theologiae cap. 6.

Joſephus Angles, Valentinus in Hiſpania, Minorita, clarus Theologiae Profeſſor, & in Sardiniae Inſula Boſſanus Antiſtes = Flores Theologicarum Quaeſt. in 1. & II. Sent. F. 1584.

Chriſtophorus Sylveſtranus, Veronenſis, Ord. Carmelit. egregius Theologiae Doctor & Profeſſor: plurium Scriptor = Examen Theologicum in quartum Sent. cum ſuis lectionibus ad ſeriem Diſtinctionum Magiſtri = In 1. II. & III. libros Sent. (*u*) O. 1584.

Joannes Molanus, Lovanienſis, regius Theologus, ac Pontificius librorum Cenſor: plurium Author = Scholaſtici tractatus varii: ut de fide haereticis ſervanda = De fide ac juramento, quae a tyranno exiguntur = De fide rebellibus ſervanda &c. O. 1585.

Antonius Senenſis, qui & *a Conceptione*, Luſitanus, Ord. Praed., plurium Editor = Marginales notae in Summam D. Thomae; tum in ejuſdem quaeſtiones diſputatas. O. 1586.

Franciſcus a Chriſto, Luſitanus Conimbricenſis, Auguſtinianus. Theologus Doctor & Profeſſor: plurium Editor = In III. librum Sentent. = De Verbi Divini Incarnatione libri VI. F. 1587.

Seraphinus Razzius, patria Florentinus, Ord. Praed. clarus & criticus Theologus: plurium Scriptor = Praelectiones de locis Theologicis: ubi non raro Canus emendatur. F. 1587.

Alfon-

(*u*) *Author* Bibliothecae noviſſimae Carmelitanae Chriſtophori obitum affigit anno 1608. in Chriſtophoro Sylveſtrano; anonymus alter ibidem laudatus anno 1619.

F. 1587. *Alfonſus de Mendoza*, Hiſpanus, Auguſtinenſis, Ludovici Legionenſis clarus diſcipulus, Salmantinae Academiae Doctor & Profeſſor Theologus = Quaeſtiones Quodlibeticae, ſingularibus Diſſertationibus adjectis.

F. 1588. *Jacobus Attavantius*, Florentinus, ſui Ord. Servorum Magiſter Generalis, Piſanae Academiae Profeſſor: plurium Author = In IV. Sent. = Opus aliud inſigne in ipſum Magiſtrum.

O. 1588. *Angelus Maria Monturſius*, Florentinus, Ordin. Servorum Theologus = In IV. Sent.

O. 1588. *Franciſcus de Mazzara*, Siculus, Capucinus: plurium Editor = Curſus integer Theologicus ſecundum Scoti doctrinam.

F. 1689. *Didacus de Leon*, Hiſpanus, Ord. Carmel., Epiſcopus Columbricenſis, Tridentinae Synodi Pater, linguarum Latinae, Graecae, ac Hebraicae peritus: plurium Scriptor = In IV. Sent. MS. in Carmelitana Bibliotheca Hiſpalenſi.

F. 1589. *Joannes de Ovando*, Hiſpanus, Minorita: plurium Editor = In III. librum Sentent. = Expoſitio in Symbolum Apoſtolorum.

F. 1589. *Joannes Minguez*, Valentinus, Setabitanus. = Compago artificioſa totius Summae D. Thomae.

F. 1589. *Michael Bartholomaeus Salon*, cognomento *Magiſter*, Valentinus, Auguſtinenſis, in Valentina Academia Theologiae Doctor & Profeſſor. = In Secundam Secundae D. Thomae de Juſtitia & Jure.

F. 1590. *Didacus Tapia*, Hiſpanus, Auguſtinenſis = In III. partem S. Thomae.

F. 1590. *Franciſcus Zichetus*, Brixienſis = In I. II. III. Scoti Sententiarum libros = Commentarii in ejuſdem Scoti Quodlibeta.

F. 1591. *AEgidius Mancurtius*, aut *Mancurſius*, Siculus, ex Ord. Minimorum Theologus Profeſſor = Typus omnium Scientiarum, & praeſertim Theologiae Scholaſticae.

F. 1592. *Victorinus Manſo*, ab Averſa Campaniae Urbe, Benedictinus Congreg. Caſſinenſis Abbas & Epiſcopus Arianenſis: plurium Scriptor. = De Harmonia Theologica Patrum & Scholaſticorum, tomis aliquot.

O. 1593. *Petrus Trigoſus*, Hiſpanus, ex Jeſuita Capucinus = Summa Theologica ad mentem S. Bonaventurae, tomis IV. fol.

O. 1594. *Joannes Vincentius*, Aſturicenſis in Hiſpania, Ord. Praed. Salmantinae Academiae Theologus Profeſſor, Alberto Auſtriaco Archiduci a Confeſſionibus deſignatus = Relectio de Gratia Santificante Chriſti Domini = Tract. de origine Gratiae.

F. 1595. *Franciſcus de Herrera*, Hiſpanus, Minorita: plurium Scriptor = In I. & II. Sent. = Manuale Theologicum praecipuarum quaeſtionum, quae communiter in IV. Sent. libros diſputantur = Commentarium in II. Sent. Scoti a Diſt. 28. ad 24. = Tr. de Angelis.

O. 1596. 23. Aug. *B. Angelus Del Pas*, Patria nobilis Perpinianenſis in Provincia Ruſſinionenſi, Minorita & Minoritarum Reformator, Theologus praecliariſſimus: perplurium Editor. = Enchiridion Divinae, Scholaſticaeque Theologiae, in duas partes, ſpeculativam & practicam diſtributum.

Fran-

A. C.

Franciſcus Toletus, Cordubenſis in Hiſpania, Soc. J., Cardinalis: Plurium Author = Commentarii in univerſam Summam D. Thomae. MSS. adſervantur in Romani Collegii Soc. J. Bibliotheca, quos ipſe perlegi. O. 1596. 14. Sep.

Daniel Malonius, ex Hieronymiana Congregatione, Bononienſis Academiae Theologus Profeſſor = Scolaſticae Bibliothecae in II. lib. Sent. tom. I: ubi accurate de Creatione atque Angelis. F. 1596.

Damianus Ginèr, Valentinus, Minorita = Commentarii Scoti in IV. Sent. in faciliorem & clariorem methodum redacti. F. 1597.

Didacus de Cazeres, Hiſpanus ex oppido hujus nominis in Extremadura, ſui Ordin. Hieronymiani Theologus Profeſſor & Viſitator Generalis: plurium Scriptor = Summa Theologiae. F. 1598.

Joannes de Rada, Aragonenſis, Minorita, Antiſtes Pactenſis in Sicilia electus = Controverſiae inter S. Thomam & Scotum. F. 1598.

Joannes de Guevara, Toletanus, Auguſtinenſis, perdoctus Salmantinus Profeſſor = In IV. Sent. = Tr. de Sacramentis in genere. O. 1600.

Ludovicus Molina, Hiſpanus, patria Conchenſis, Jeſuita, celeberrimus Scholaſticus, Eborenſis Academiae Primarius Theologiae Profeſſor. = Commentarii in I. part. D. Thomae tomis II. = Singulariſſimus liber de Concordia divinae Scientiae, Praedeſtinationis & Gratiae cum libero arbitrio = Tr. Scholaſtico-Moralis de Juſtitia & Jure. O. 1600. 12. Oct.

SECULUM SCHOLASTICUM VI.

CHRISTIANUM XVII.

XL. *Scholaſtici Authores a MDC. ad MDCC.*

Gregorius de Valentia, Metymnenſis in Hiſpania, S. J. praeclarus Scholaſticus & Polemicus: plurium Editor = Commentarii & Diſputationes in Summam D. Thomae, tomis IV. fol. O. 1603. 25 Ap.

Gabriel Vazquez, Bellomontanus in Hiſpania, S. J. egregius Theologus: plurium Scriptor = Commentarii in Summam D. Thomae: quibus traditur Theologia Scholaſtica, Polemica & Moralis, tomis VIII. fol. O. 1604. 23. Sep.

Dominicus Bañez, patria Pincianus in Hiſpania, etſi vulgo creditus Mondragonenſis, Ord. Praed., in Salmanticenſi Academia famigeratus Scholaſtices Profeſſor. = Commentarii in Summam S. Thomae = Relectiones de Merito & augmento claritatis. O. 1604.

Bartholomaeus de Ledeſma, ex Dioeceſi Salmantina, Dominicanus. = In IV. librum Sent. ſive de Sacramentis. O. 1604.

Joannes Gonzalez de Albelda, Hiſpanus, Ord. Praed., in Complutenſi Academia perdoctus Th. Profeſſor = In I. p. S. Tho. tomis II. fol. F. 1606.

Petrus de Lorca, Bellomontanus in Hiſpania, Ciſtercienſis, clarus Theologus = Tr. de Fide, Spe, Caritate = De Incarnatione = De Locis Catholicis Scholaſticarum Diſputationum = Plura. O. 1606.

Franciſcus Zumel, Palentinus in Hiſpania, ex Ord. Mercedario, ipſiuſque Commendator Generalis, in Salmantina Academia illuſtris O. 1607.

ſtris Theologiae Profeſſor : plurium Editor = In univerſam fere Summam D. Thom. variis tomis fol. = Variarum Diſputationum tomi III.

F. 1607. *Auguſtinus Gothutius*, Genuenſis, Monelianus, Minorita, Doctor Sorbonicus : plurium Author = Gymnaſium Speculativum in v. claſſes diſtributum : & ex iis quinta Theologiam Speculatricem, aut Scholaſticam ſpectat.

O. 1608. *Petrus de Arrubal*, Hiſpanus, e Dioeceſi Calaguritana, Jeſuita, Theologus Profeſſor Compluti, Salmanticae, Romae = In I. part. S. Tho. tomis II. fol. = De Auxiliis divinae gratiae MS., ut reor.

O. 1608. *Guilielmus Eſtius*, Belga, Duacenſis Academiae Theologus Doctor clariſſimus, Anteceſſor & Cancellarius : plurium Author = In IV. Sent. ſimulque in Summ. D. Thomae.

F. 1608. *Chriſtophorus Gillius*, aut *AEgidius*, Luſitanus, patria Brigantinus, e Soc. J; Eborenſis Theologus Profeſſor. = Commentarii Theologici de ſacra doctrina, & eſſentia atque virtute Dei, tomis II. fol.

F. 1609. *Franciſcus Cabreyro*, Luſitanus, Ciſtercienſis, in Conimbricenſi Academia primarius Theologiae Profeſſor = Commentaria doctiſſima in univerſam Summam D. Thom.

F. 1610. *Gregorius Ruiz*, Pintianus in Hiſpania, Minorita. = In IV. Sent.

F. 1610. *Joannes Roa de Avila*, Prior Caberi Ord. Canonicorum Regularium S. Auguſtini : plurium Author = Tract. de Providentia & Praedeſtinatione Dei = Pro Immaculata Ss. Virginis Conceptione = Plura MSS. adſervata in Bibliotheca Romana Barberina.

O. 1611. 26. Feb. *Antonius Poſſevinus*, partia Mantuanus, S. J., omnigena Scientiarum eruditione clariſſimus : perplurium Editor = Bibliotheca ſelecta de ratione ſtudiorum : ubi tomo I. libro III. agitur ex profeſſo & pro dignitate de Studiis Theologiae Scholaſticae.

O. 1611. *Michael Ilot de Ribera*, Catalanus, Ord. Praed; Perpinianenſis Academiae Theologus Profeſſor & Ordinis Magiſter : plurium Author = Epitome librorum IV. Sent.

F. 1613. *Andreas Duvallius*, Gallus, Doctor & Profeſſor Pariſienſis : plurium Scriptor. = In I. Secundae S. Thom. tomis II. fol.

F. 1613. *Didacus Alvarez*, Metymnenſis in Hiſpania, Ord. Praed., Romae Theologus Profeſſor famigeratus, Archiepiſcopus Tranenſis in Regno Neapolitano : plurium Author = De Divinae Gratiae Auxiliis libri IV. = De Incarnatione = Plura.

F. 1614. *Joannes de Irivarne*, Caeſar-Auguſtanus, Minoritarum Aragonenſium Cuſtos & Lector emeritus : plurium Editor = In IV. librum Sent. Scoti = De actibus humanis = De Immaculato Virg. Conceptu.

F. 1615. *Hieronymus Tamarit*, Setabenſis ex Valentino Hiſpaniae Regno, Minorita. = In I., & meliorem partem II. Sent.

O. 1617. 25. Sept. *Cl. V. Franciſcus Suarez*, Granatenſis in Hiſpania, S. J. magnum decus & ornamentum; ſanctimonia & doctrina conſpicuus; cum ſummis Theologis comparandus; DOCTOR EXIMIUS juremerito nuncupatus : plurium Auth. = Commentarii in Summam S. Thomae tomis XXI. fol., quibus item traditur Theologia Scholaſtica, Polemica &

ca & Moralis, ut plura praeteream de Jure Canonico & Civili.

Petrus Cornejo de Pedrosa, Salmanticenſis patriae Academiae Theologus Profeſſor, Carmelitanus = Tractatus varii ab eo Salmanticae praelecti = In tertiam par. D. Thom. = Ipſi adſcribuntur a nonnemine Commentarii in Sentent. libros Joannis Bachonis Carmelitani; quod tamen in dubium vertitur ab *Authore* Bibliothecae Carmelitanae in Petro Cornejo. O. 1618. 31. Mar.

Franciſcus Albertinus, Italus, S. J. Theologus Profeſſor Neapolitanus: plurium Editor = Corollaria, ſeu Quaeſtiones praecipuae Theologicae ex principiis philoſophicis deductae, tom. II. fol. O. 1619.

Robertus Bellarminus, Politianus in Italia, Societatis Jeſu, totiuſque Chriſti Eccleſiae magnum decus & ornamentum, Theologiae Scholaſticae juxta ac Polemicae Profeſſor clariſſimus: plurium Author = Controverſiae Polemicae adverſus ſui temporis haereſes multis voluminibus diſtinctae: ubi perplurimae quaeſtiones mere Scholaſticae definiuntur. O. 1621. 17. Sep.

Ludovicus de Monteſinos, Hiſpanus, ex agro Toletano, ut vocant, Complutenſis Academiae Theologus Profeſſor, CLARUS DOCTOR cognominatns = Commentarii in Primam ſecundae S. Thom. tomis II. fol: ubi de Peccatis, Legibus, Gratia Dei. O. 1623.

Leonardus Leſſius, Belga, patria Brechtanus in Brabantia, S.J., Franciſci Suarezii Romae dignus diſcipulus, magnae notae Theologus: plurium Author = De perfectionibus, moribuſque divinis = De Gratia efficaci, decretis divinis, libertate arbitrii, praeſcientia Dei conditionata Diſputatio Apologetica = Plura. O. 1623. 25. Jan.

Theodorus Smiſing, Germanus, Minorita, Theologiae Lovanii Lector = De Deo uno & Trino, tomis II. F. 1623.

Martinus Becanus, Belga, patria Brabantus, S. J. perinſignis Theologiae Doctor ac Profeſſor: plurium Editor. = Summa Theologiae Scholaſticae, tribus Summae D. Th. partibus reſpondens. O. 1625.

Matthaeus de Souſa, Uliſſipponenſis, Minorita, Lector emeritus = Articulatio libri primi Sent. Scoti ad modum articulorum S. Thomae, cum commentariis & quaeſtionibus. F. 1625.

AEgidius de Praeſentatione & Fonſeca, Luſitanus, Auguſtinenſis, Academiae Conimbricenſis Theologus Profeſſor Decanus: plurium Author = Tract. de Coeleſti Beatitudine tomis III. fol. = De Immaculata Deiparae Conceptione lib. IV. O. 1626.

Hugo Cavellus, Hibernus, Minorita, Archiep. Armachanus: plurium Scriptor = Commentarii in Theologica Scoti opera = Scoti Vindiciae contra Abrahamum Bzovium. O. 1626.

Petrus de Oña, Hiſpanus, Burgenſis, Mercedarius, Cajetae Epiſcopus: plurium Scriptor. = Comment. Schol. de Noviſſimis tom. I. fol. O. 1626.

Philippus Gamachaeus, Gallus, Pariſienſis Facultatis clarus Theologus, Navarraei Gymnaſii Socius, S. Juliani Turonenſis Abbas = Comment. in Summam S. Thom. tom. II. fol. O. 1627.

O. 1628. 23. Octob. *Thomas de Faria*, Ulissipponensis Ord., Carmelit., Conimbricensis Academiae Theologus Doctor, Targensis Episcopus: plurium Author. = In IV. Sentent. duo volumina MSS.

O. 1629. *Basilius Pontius de Leon*, Granatensis, Augustinianus, Salmantinae Academiae celeberrimus Theologus Professor, & aliquando Cancellarius: plurium Author = Disputationes variae ex utraque Theologia Scholastica & Expositiva = Quodlibeticae Quaestiones = Plura.

O. 1629. *Thomas de Lemos*, Hispanus, Ord. Praed. Theologiae Magister sapientissimus: plurium Author. = De Gratia auxiliante panoplia tomis IV. fol. In Biblioth. Barbererina MSS. adservantur.

O. 1629. 10. Jul. *Michael Ripol de Atienza*, patria Caesar-Augustanus, Carmelit. Ord., in patria Academia Primarius Theologiae Professor, Fidei Judicibus Minister a Consultationibus. = Plures Scholae tractatus [x].

F. 1630. *Salmanticense Collegium S. Eliae* Carmelitanorum Sodalium Excalceatorum, quorum primus Author *Antonius a Matre Dei*, hispanus ex Urbe Legionensi = Cursus Theologicus Scholasticus Summam S. Thomae commentariis complectens, tomis minimum XV. fol. (y).

O. 1630. *Joannes Anton. Uson*, Darocensis in Aragonia apud Hispanos, S. J.: plurium Scriptor = In I. part. S. Thom.

O. 1631. *Augustinus Nuñez Delgadillo*, Gente Boeticus, ex Ord. Carmel., in Caesar-Augustana Academia Sacrorum Bibliorum Interpres, & Concionator Regius: plurium Editor = Comment. in I. Part. S. Thomae (z).

F. 1631. *Ludovicus Dola*, Gallus, Capucinus = De concursu Dei & creaturae ad actus liberos ordinis naturalis, praesertim ad pravos, adversus Praedeterminantium & Adsertorum Scientiae Mediae opiniones.

O. 1632. *Didacus Ruiz de Montoya*, Hispalensis, S. J. profundus, ac pereruditus Theologus: plurium Editor = In I. p. S. Thomae tom. IV. fol. = De auxiliis divinae gratiae tomi II. = De Angelis tom. I. Hi postremi MSS., ut conjicio.

O. 1632. *Jacobus Granadus*, Gaditanus in Hispania, S. J. perinsignis Scholasticus = In universam Summam S. Thomae tomis VIII. in 4.

O. 1632. *Adamus Tannerus*, natus Oeni-Ponti oppid. Tirolis provinciae, S. J. Theologus spectatissimus, Pragensis Academiae Cancellarius: plurium Author = Theologia Scholastica speculativa & Moralis practica tomis IV. = Disputationes Theologicae in omnes partes Summae D. Thomae = Dissertatio Peripatetico-Theologica de Coelis.

AEgi-

(x) Scio equidem, eos Tractatus a *Dionysio Blasco* collectos ac editos fuisse Caesar-Aug. apud Augustinum Verges, an. 1679; nescio tamen quales ipsi fuerint, quoniam laudatam Dionysii collectionem evolvere non licuit.

(y) Ceteros clarissimi Operis Authores exhibent, & eos quidem sapientissimos, *Martialis a S. Joanne Baptista* in Bibliotheca Carmelitarum Excalceat. p. m. 347. 350. & *Author* Bibl. Carmelitanae art. *Salmanticense Colleg. Excalceatorum*.

(z) Apud noviſſimam Bibliothecam Carmelitanam, dicitur hic Commentarius hispane conscriptus ac typis excusus. Alii eum volunt adhuc MS. in Matritensi Carmelitarum Bibliotheca latentem

A. C.

AEgidius de Koninck, Belga, S. J., Leonardi Leſſii dignus Auditor: plurium Editor = Tr. de Ente ſupernaturali = De Fide, Spe, Caritate = De Deo Trino & Incarnato. O. 1633.

Joannes Praepoſitus, Belga, patria Atrebas, S. J; Profeſſor Theologus Lovanii & Duaci = In Summam S. Tho. tomis III. fol. O. 1634.

Didacus de Alarcon, ex Dioeceſi hiſpana Carthaginenſi, S. J.: plurium Author = Theologiae Scholaſticae Pars I. O. 1634.

Luiſius Turrianus, aut *Torres*, Complutenſis, S. J., magni nominis Theologus: plurium Editor = Tract. de Trinitate = De Angelis = De Ss. Euchariſtia = De Fide, Spe, Caritate = Plura. O. 1635.

Franciſcus del Caſtillo Velaſco, Madritanus, Minorita, Lector Complutenſis emeritus = In III. Sent. librum tomi II. F. 1636.

Georgius Hemelman, Malacitanus apud Boeticos, S. J., clari nominis Profeſſor Theologus = Quaeſtionum diſputatarum in I. p. S. Thomae Volumina II. fol. F. 1637.

Ludovicus Caſpenſis, vulgo *de Caſpe*, a loco natali Aragoniae Regni, Capucinorum Theologus Profeſſor & Definitor = Curſus theologicus complectens praecipuas materias, quae in Scholis tradi & legi ſolent ſecundum ordinem S. Thomae, tom. II. fol. F. 1638.

Alphonſus Brizeño, Americanus, Chilenſis, Minorita, Theologus Limae Profeſſor = Celebriorum Controverſiarum in I. Sent. Scoti Commentarii. F. 1639.

Joſephus de Cordova, Hiſpanus, Abulenſis, Auguſtinianus, Theologiae Magiſter: plurium Scriptor = In partes D. Thomae Volumina IV. F. 1640.

Claudius Tiphanus, Pariſinus, S. J., Theologus Doctor ac Profeſſor, & Muſſipontanae Academiae Cancellarius: plurium Editor = Declaratio & Defenſio Scholaſticae Doctrinae Ss. Patrum & S. Thomae de Hypoſtaſi & Perſona ad Myſteria Trinitatis & Incarnationis illuſtranda. O. 1641.

Auguſtinus Bernàl, Aragonenſis in Hiſpania, S. J., Doctor Academiae Caeſar-Auguſtanae, doctrina & eruditione praeſtans: plurium Scriptor = De Incarnat. Dominica = De Sacram. in genere = Euchariſtia, Ordine. O. 1642.

Nicolaus Iſambertus, Gallus, Aurelianenſis, Doctor Sorbonicus = Commentarii in Summam S. Thomae. O. 1642.

Marcus Antonius Alòs & Orraca, Valentinus in Hiſpania, Ord. Ss. Trinitatis Theologus = Theologiae Diſputationes ſelectae, tom. I. in 4. F. 1642.

Joannes a S. Thoma, Uliſſipponenſis, Ord. Praed., Complutenſis Academiae primarius Profeſſor & conſpicuus Theologus: plurium Editor = Curſus integer theologicus ſecundum D. Thomae Summam tomis VII. fol. O. 1644.

Martinus Ximenez de Embun, Aragonus ex oppido Lanuza Oſcenſis Dioeceſis, Carmel. Ord., Caeſar-Auguſtanae Academiae primarius Anteceſſor, & Concionator Regius = Tr. de Beatitudine = Actibus humanis = Peccatis. O. 1645. 17. Febr.

A. C.

F. 1645. *Joannes Alphonſus Batiſta*, Caeſar-Auguſtanus in Hiſpania, Ord. Praed., in Patria Academia Profeſſor emeritus = In I. & II. part. S. Thomae tomis III. fol. = Apologia pro authoritate veterum Doctorum Eccleſiae ac SS. PP. adverſus Joan. Bapt. Poza.

O. 1646. *Ferdinandus Quirinus de Salazar*, Conchenſis in Hiſpania, S. J. Theologus, Philippo IV. Hiſpaniae Regi a Concionibus: plurium Editor = Scholaſtica Immaculatae Deiparae Conceptionis Defenſio, & quidem numeris omnibus abſoluta.

O. 1646. *Gaſpar Hurtadus*, Hiſpanus, Mondexarenſis, S. J. clarus Theologiae Profeſſor = Tr. de Deo Trino & Uno = De Angelis = De Incarnatione = De Ss. Euchariſtia = Plura.

O. 1647. *Ludovicus Ribas*, Hiſpanus, patria Valentinus, S. J. Theologus Doctor & Profeſſor = Summae Theologiae tomus I., qui praeſtat Adparatum & VII. Tract. de Deo = De Ss. Trinitate MS.

O. 1648. *Joannes Martinez de Ripalda*, Hiſpanus, patria Pampelonenſis, S. J. Theologus ſubtiliſſimus: plurium Editor. = De Ente ſupernaturali tomi II. fol. = De Fide, Spe, Caritate = Brevis explicatio Literae Magiſtri Sent, cum Quaeſtionibus, quae circa ipſam moveri poſſunt = De electione Succeſſoris Summi Pontificis &c.

F. 1649. *Raphael de Clayes*, Gallus, Capucin. = Sublimes & profundae de Ss. Euchariſtia Theologiae tomis IV. in 4.

O. 1649. *Antonius Perez*, Hiſpanus e Dioeceſi Pampelonenſi, S. J., ob doctrinae ac ingenii profunditatem THEOLOGUS MIRABILIS nuncupatus = Comment. in I. II. & III. par. S. Thom. = Concluſiones Theologicae de Deo Uno & Trino.

O. 1649. *Angelus Manrique*, Hiſpanus, Burgis ortus, Ciſtercienſis, Salmantinae Academiae Theologus Profeſſor, Pacenſis Antiſtes: plurium Editor = Commentaria & Diſputationes in univerſam Summam D. Th. Salmanticae praelectae. MSS., ut reor. = Apologia pro Originali Deiparae innocentia.

O. 1649. *Franciſcus Sylvius*, aliàs *Du-Bois*, in Hannonia natus, Duacenſis Academiae Doctor Theologus, Profeſſor, & Pro-Cancellarius: perplurium Author = Comment. in Summam D. Thomae = Liber Sententiarum.

F. 1650. *Hieronymus Vives*, Hiſpanus, patria Valentinus, Ord. Praedic. Theologiae Magiſter = Tract. contra Scientiam Mediam.

O. 1651. *Franciſcus de Oviedo*, Madritanus, S. J., Complutenſis Academiae Theologus Profeſſor: plurium Editor. = In totam Primam ſecundae D. Thomae = De Fide, Spe, Caritate.

O. 1651. *Petrus de Oviedo*, Hiſpanus, Ciſtercienſis, Tuitenſis Antiſtes. plurium Scriptor = In I. part. Sancti Th. & in I. ſecundae.

O. 1651. *Franciſcus Amicus*, Italus, patria Coſentinus, S. J., Graecenſis Academiae Doctor, Profeſſor, Cancellarius, profundae quidem & copioſiſsimae doctrinae Vir = Curſus Theologicus tomis IX. fol.

O. 1652. *Franciſcus Delugo*, Madritanus, S. J: plurium Author = In I. p. D. Th. = De Sacramentis in genere, ac de Ss. Euchariſtia, Baptiſmo, Confirmatione.

Ri-

Richardus Goldeus a *Ss. Trinitate*, Hibernus, Ord. Ss. Trin; Profeſſor Theologus Complutenſis in Hiſpania, literis, virtutibuſque ſpectatiſſimus: perplurium Author = Tr. de Eſſentia & Attributis Dei = De Beatitudine = Angelis = Gratia = Auxiliis = Scientia Dei = Incarnatione Verbi = Praedeſtinatione = Sacramentis. MSS. ut reor (*a*). O. 1652. 20. Maj.

Dionyſius Petavius, Gallus, patria Aurelianenſis, S. J., abſolutus ſui aevi Theologus: perplurium Criticus Scriptor = De Theologicis Dogmatibus tomis v. fol. quibus luculenter, profunde ac pererudite complectitur Theologiam Scholaſticam, Poſitivam, Polemicam. O. 1652. 11. Dec.

Joannes Thomas Gaſtaldus de Alaſſio, Ligur, ex Ord. Praed., Epiſcopus Brugnetenſis = Comment. in 1. p. S. Thom. a q. 50. ad 64. ubi de Angelis = De potentia motrice ac mirandis operibus Angelorum & daemonum, tomis III. fol. O. 1652.

Marcus Serra, Hiſpanus e Regno Valentino, Ord. Praed. Theologiae Profeſſor & Magiſter = Brevia Commentaria in Summam D. Thomae. F. 1653.

Andreas Cordone, Siculus, Theologiae Doctor & Abbatis titulo inſignitus = Quaeſtiones Theologicae Scholaſticae. O. 1656.

Bernardinus Mazziota, Italus, Capuanus, S. J: plurium Author = Quaeſtiones ſelectae Theologicae tom. 1. fol. O. 1656.

Joannes Martinez, Hiſpanus, Complutenſis Academiae Theologus Doctor & Profeſſor: plurium Scriptor. = Tr. Schol. de Ss. Trinitate. O. 1656.

Ambroſius de Peñaloſa, Hiſpanus, patria Mondejarenſis, S. J. Theologus Profeſſor in Hiſpania primum, & in Auſtria deinde in Academia Viennenſi: plurium Editor. = Vindiciae Deiparae de peccato originali & debito illius contrahendi, rigore theologico praeſtructae, ac a nemine hactenus ex profeſſo diſcuſſae. O. 1656.

Gaſpar Sghemma, Panormitanus, Minorita Conventualis, Theologus Profeſſor: plurium Author = Scotica opuſcula Scholaſtica tomis III. in 4. = Manuale Scoticum juxta IV. Sent. O. 1657.

Raphael Averſa, Italus e Regno Neapolitano, Ord. Clericorum Minorum Praepoſitus Generalis, doctrina clariſſimus: plurium Editor = Univerſa Theologia Scholaſtica ad mentem S. Thomae. O. 1657.

Alphonſus de Peñafiel, origine Hiſpanus, natione Peruanus, S. J. Theologus: plurium Scriptor = Theologia Scholaſtica tomis II. fol. O. 1657.

Bernardus de Aldrete, Zamorenſis in Hiſpania, Soc. Jeſu, Salmanticenſis Academiae primus e Societate Doctor = Tr. de Incarnatione tomis II. fol. = De viſione & Scientia Dei = De Voluntate, Praedeſtinatione, Reprobatione Dei. O. 1657.

Thomas Francès de Urrutigoyti, patria Caeſar-Auguſtanus in Hiſpania, Minorita: plurium Author. = Diſputationes Scholaſticae & Mo- F. 1658.

Mora-

(*a*) Plura de ipſo *Dominicus Lopezius* in Hiſt. Britannica ſui Ordinis Trinitarii in Catal. Alphabetico Scriptorum ſub lit. Z.

rales de Sacramentis. = Certamina Scholaſtica de Ss. Deiparae laudibus, tomis III. fol.

O. 1658. *Franciſcus Guerra*, Hiſpanus e Dioeceſi Placentina, Minorita, Epiſcopus Gadicenſis = Majeſtas gratiarum ac virtutum omnium Ss. Deiparae ſcholaſtice elucidata, tomis II. fol.

F. 1658. *Matthaeus Ferchius*, Veglenſis, Minorita Convent., publicus Patavii Theologus = Epitome Theologica ex Magiſtro Sententiarum, & Subt. Doct. Joanne Scoto = Comment. Scholaſt. de Angelis ad mentem S. Bonaventurae; adjecto tract. de Creatione Scripturali cum SS. Auguſtino, & Bonaventura.

O. 1659. *Joannes Baptiſta Lezana*, Matritenſis, Carmelitanorum praeſtans Theologus: plurium Editor. = Summa ſacrae Theologiae tomis III. fol.

F. 1659. *Petrus de Magallaens*, Luſitanus, Ord. Praed. = De Singularibus Reſolutionibus in univerſam S. Thomae Theologiam = Tr. de Ss. Trinitate = De Scientia Dei = Plura.

F. 1659. *Petrus de Godoy*, ex Hiſpaniae Extremadura, Ord. Praed; Theologus Profeſſor Salmantinus, Epiſcopus Oxomenſis, acumine, ac profunditate doctrinae clarus = In I. II. & III. par. S. Thom.

F. 1659. *Joannes Prudentius*, Caeſar-Auguſtanus, Mercedarius, in Complutenſi Academia primarius Theologiae Profeſſor = Tr. de Divini Verbi Incarnatione.

O. 1659. *Thomas Hurtado*, Toletanus, ex Cl. Reg. Min. familia, Romae, Compluti, Salmanticae clarus Theologiae Profeſſor: perplurium Author = Praecurſor Theologus aſſecla D. Thomae diſputans de ſupernaturalitate entis, reviviſcentia meritorum per poenitentiam &c. = Plura Scholaſtica.

F. 1659. *Joannes Pontius*, Hibernus, Minorita: plurium Scriptor = Curſus Theologicus ad mentem Scoti tom. I. fol.

O. 1660. *Joannes Delugo*, Madritanus, Franciſci jam laudati germanus frater, Soc. J., Cardinalis, in Scholaſtica & Morali excultiſſimus: plurium Editor = Tr. de Dominica Incarnatione = De virtute Fidei = De Sacramentis in genere ac Ss. Euchariſtia = De Juſtitia & Jure.

O. 1661. *Georgius de Rhodes*, patria Avenionenſis, S. J., plurium Scriptor = Univerſa theologia Scholaſtica, tomis II. fol.

O. 1661. *Valerianus Magnus*, Italus, Capucinus: plurium Author = Organum Theologicum, ſeu ratio argumentandi ex humano teſtimonio, ſeu ratione.

O. 1662. *Joannes Martinon*, Gallus, gente Arvernus, S. J; celebris Theologiae Magiſter: plurium Scriptor = Univerſa Theologia Scholaſtica tomis III. fol. cum Apologetica ejuſdem Scholaſtices Praefatione.

O. 1663. *Theophilus Raynaudus*, Ceſpitellenſis in Comitatu Nicaenſi, S.J., perplurium famigeratiſſimus Author. = De Chriſto tomi II. fol. = Plura

F. 1664. *Chriſtophorus Delgadillo*, Madritanus, Minorita, Emeritus Theologiae Lector = Tr. de Angelis = De Incarnatione Dominica = De Ss. Euchariſtia = De Adoratione = Plura.

F. 1664. *Carolus Lanterius*, Genuenſis ex Albintemelio, Minorita, Th. Lector

Lector emeritus: plurium Scriptor. = Tract. de Incarnatione Dominica ex Scoti doctrina.

Dominicus de Marinis, Patritius Genuenſis, Ord. Praed., Archiantiſtes Avenionenſis = Commentaria in univerſam D. Th. Summam, tomis IV. fol. F. 1664.

Marcus Antonius Galicius, Italus, Capucin: plurium Scriptor = Commentaria copioſiſſima in IV. Sent. S. Bonaventurae MSS. O. 1665.

Joan. Baptiſta Gonèt, Gallus, Biterrenſis, Ord. Praed., Theologiae famigeratus Profeſſor, = Clypeus Thomiſticae Theologiae tomis V. fol. = Idem Clypeus in epitomen redactus. F. 1666.

Iſidorus Daluz, Scalabitanus in Luſitania, Ord. Ss. Trinit. Viſitator, Commiſarius, ac Vicarius Generalis, in Academia Conimbricenſi Theologus Doctor, primuſque ac Primarius Cathedrae Controverſiarum contra haereticos Profeſſor publicus = Tract. de Actibus humanis = De Eccleſia Dei. F. 1667.

Sfortia Pallavicinus, Romanus, S. J. clariſſimus Scholaſticus, Cardinalis. plurium Author = Adſertionum Theologicarum libri VIII. = In 1. 2. S. Thomae tom. 1. O. 1667.

Mauritius de Lezana, Oriundus ex Caſtellae Regno in Hiſpania, Dominicanus Theologus = Controverſiae Theologicae in 1. par, S. Thom. = Plura reliquit MSS. in Coenobio ſui Ord. Matritenſi. O. 1667.

Rodericus de Arriaga, Hiſpanus, Lucronenſis, S. J., Pragenſis Academiae praeſtantiſſimus Profeſſor & Cancellarius: plurium Editor = Curſus Theologicus tomis VII. fol. O. 1667. 7. Jun.

Antonius Bernardus de Quirós, Hiſpanus e Dioeceſi Toletana, S. J: plurium Author = Tract. De Deo & Angelis, tomis II. fol. O. 1668.

Iſaacus Habert, Gallus, ex Doctore ac Theologali Pariſienſis Eccleſiae Canonico Vabrenſis Antiſtes: plurium Editor = Tract. de Gratia juxta ſenſum Patrum Graecorum. O. 1668.

Vincentius Ferre, Hiſpanus ex Urbe Valentiae, Or. Praed; Theol. Magiſter & Romae Profeſſor = De virtutibus Theologicis & vitiis his oppoſitis. F. 1669.

Bonaventura Baro, ſeu *Baronius*, Hibernus, ſui Minorum Ordinis Chronographus celeberrimus: plurium Author = Scotus Doctor ſubtilis contra adverſantes quoſque defenſus, & quaeſtionum novitate amplificatus, tomis II. fol. F. 1669.

Martinus de Eſparza Artieda, Navarrus e Dioeceſi Pampilonenſi, S. J., clarus Salmanticae & Romae Theologus Profeſſor: plurium Editor. = Curſus Theologicus tomis II. fol. = Immaculata Deiparae Conceptio ex origine peccati originalis deducta. O. 1670.

Dionyſius Blaſco Aragonenſis in Hiſpania, Carmelitanus, in Caeſar-Auguſtana & Oſcenſi Academiis Theologus Doctor & Profeſſor = Theologia abbreviata tom. 1. fol. = Theologia Scholaſtica, tom. II. fol. F. 1670.

Franciſcus Annatus, Gallus, patria Ruthenenſis, S. J. Theologus perinſignis, Ludovico XIV., Regi Galliae a Confeſſionibus: plurium Author = Tract. de Scientia Media = Exercitatio Scholaſtica O. 1670.

con-

contra novam rationem tuendi phyſicam Praedeterminationem.

O. 1670. *Octavius Worſt*, Batavus, Capucin: plurium Scriptor = Curſus Theologicus.

F. 1670. *Claudius Fraſſen*, Gallus, Minorita, Doctor Pariſienſis: plurium Scriptor = Theologia Poſitiva & Scholaſtica ad mentem Scoti.

F. 1670. *Joan. Paullus Felwinger*, Germanus = Diſceptatio Theologica de ratione in Theologia contra Florianum Druſcium, ſive Joannem Drellium.

F. 1670. *Sebaſtianus Izquierdo*, Hiſpanus, e Dioeceſi Toletana, S. J: ſingulari acumine, doctrina, & eruditione praeditus: plurium Author = Tract. De Deo Uno = De Dei attributis = De Scientia & Voluntate Dei.

F. 1670. *Jacobus Platelius*, Belga, S. J. inſignis Theologus: plurium Editor = Synopſis curſus Theologici = Authoritas contra Praedeterminationem phyſicam pro Scientia Media, cum brevi hiſtoria complectente ortum, pugnas, & palmas ejuſdem Scientiae Mediae = Authoritas contra phyſicam Praedeterminationem ex ipſo PP. Praedicatorum Ordine petitis ſuffragiis ſtabilita.

F. 1670. *Theologi Profeſſores San-Gallenſes* ex Ord. Bened. = Curſus Theologicus in gratiam & utilitatem Fratrum Religioſorum S. Galli, tomis x. in 12.

O. 1671. 30. Dec. *Leo a S. Joanne*, natione Armoricus, patria Rhedonenſis, ſui Ord. Carmelitici Adſiſtens Generalis, Ludovico XIII. & XIV. a confeſſionibus, inſignis Theologiae Profeſſor: perplurium Author = Contextus Scientiae divinae, ſummam Theologiae chriſtianae repraeſentans.

F. 1671. *Gabriel de Henao*, Vallifoletanus, S. J. Theologus pereruditus. plurium Editor = De Scientia Media tomi III. fol. = Empyreologia.

F. 1671. *Philippus a Ss. Trinitate*, Gallus, e Dioeceſi Vaſionenſi, Carmelita Excalceatus, Congregationis Italicae Prior Generalis, perdoctus Theologus Scholaſticus, Myſticus, Hiſtoricus: plurium Author = Summa Theologiae Thomiſticae tomis v. fol. Theologia hiſtorica Carmelitica, Scholaſtica methodo lucubrata = Tr. de Immac. Concept.

F. 1671. *Adamus Burghaber*, Germanus, S. J: plurium Auth. = Diſput. Scholaſticae de Praedeſtinatione = Angelis = Fide = Plura.

F. 1671. *Chriſtophorus Haunoldus*, Germanus, S. J., Friburgenſis & Ingolſtadienſis Academiarum Scholaſticus Profeſſor: plurium Editor = Inſtitutionum Theologiae libri IV. in 4. = Curſus Theologiae ſpeculativae.

F. 1671. *Auguſtinus de Herrera*, Hiſpanus e Dioeceſi Oxomenſi, S. J., Complutenſis Academiae primarius Theologiae Profeſſor = Tr. de Ss. Trinitate = De divina Scientia, Voluntate, Praedeſtinatione.

O. 1672. *Chriſtophorus de Vega*, Navarraeus in Hiſpania, S. J. magni nominis Theologus: plurium Editor = Theologia Mariana, ſeu Certamina literaria de Ss. Deipara tomis II. fol.

F. 1672. *Honoratus Faber*, Gallus, S. J. illuſtris Philoſophus & Theologus: plurium Editor = Summula Theologiae univerſam Theologiam complexa = Plura.

Tobias Lohner, Germanus, S. J: plurium Editor = Inſtitutiones quintuplicis Theologiae: ubi tractatus IV. eſt de Theologia Scholaſtica. F. 1672.

Marcus a Baudunio, Gallus, Capucin: plurium Scriptor = Compendium totius Theologiae tam ſpeculativae quam practicae = Curſus Theologicus, quo conciliantur tres Doctores, Angelicus, Seraphicus, & Subtilis. F. 1673.

Matthias Borrull, Hiſpanus ex Urbe Valentiae, S. J., primarius Theologiae Profeſſor = Tr. de divinis Attributis = Trinitate = Voluntate Dei = Scientia Dei = Scientia Media contra Hieronymum Vives. F. 1673.

Petrus Oxea, Hiſpanus Aragonenſis, S. J., Theologus Profeſſor; plurium Editor = Tract. Scholaſtic. de fide, ſpe, caritate. F. 1673.

Petrus de Abarca, Hiſpanus Aragonenſis, S. J., Salmanticenſis Theologiae Profeſſor: plurium Scriptor = Tr. De Dei Trinitate = Scientia = Praedeſtinatione = Incarnatione = Plura. F. 1673.

Martinus de Torrecilla, Hiſpanus, Capuc: plurium Editor = Curſus Theologicus tomis III. in 4. F. 1673.

Nicolaus Arnu, Lotharingius, Ord. Praed: plurium Scriptor = D. Thomas divinae voluntatis & ſui ipſius fidiſſimus Interpres, tomis IV. = In 1. p. D. Thom. a Q. 1. ad XIX. F. 1673.

Richardus Arſdekin, Hibernus, S. J: plurium Author = Theologia Speculativa in IV. partes diviſa. F. 1674.

Chriſtophorus de Ortega, Hiſpanus e Dioeceſi Conchenſi, Jeſuita, Theologus Profeſſor = Controverſiae Scholaſtico-dogmaticae de Deo Uno, Trino, Incarnato, tomis III. fol. F. 1674.

Carolus Thomaſius, nobilis Raguſanus in Sicilia, Clericus Regularis, Theologiae Doctor: plurium Scriptor = Commentarii & Aphoriſmi in Summam S. Thomae = Quodlibeta Theologica. O. 1675.

Bonaventura Belluius, Catanenſis, Ord. Minor. Convent. Theologus Profeſſor = Tr. Schol. de Dominica Incarnatione. O. 1676.

Joſeph de Vita, Siculus, Ordinis Praedic., in Theologia verſatiſſimus. = De proprio & per ſe principio: ubi impugnat funditus Praemotionem Thomiſticam, tanquam recentem & a S. Thomae mente alienam. O. 1677.

Bartholomaeus a Caſtrovetro, Italus, Capucin: plurium Author = Curſus integer Theologicus ad mentem S. Bonaventurae. O. 1677.

Hieronymus Matranga, Panormitanus in Sicilia, Clericus Regularis, Scholaſtices Profeſſor: plurium Scriptor = Acroamata Theologica in univerſam Summam D. Thomae. O. 1679.

Vincentius Contenſonius, Gallus, Ord. Praed. = Theologia Scholaſtico-Poſitiva, ſeu mentis & cordis, tomis II. fol. F. 1680.

Joannes Caramuel, nobilis Madritanus, ex Abbate Ciſtercienſi Epiſcopus Nolanus, & hinc Vigevanenſis in Inſubria; & Hydruntini Archiantiſtes deſignatus, ſummo vir acumine: perplurium Author = Theologia fundamentalis = Theologia intentionalis. = Theologia praeter-intentionalis = Plura. F. 1680.

Franciſcus Auguſtinus Macedo, Conimbricenſis in Luſitania, ex Jeſui- O. 1681. 7. Maj.

Jeſuita Profeſſo Franciſcanus, in Academia Patavina Profeſſor, MONSTRUM SCIENTIARUM dictus: perplurium Author. = Collationes doctrinae S. Thomae & Scoti in II. & III. Sent. tomis II. fol. = Plura.

F. 1682. *Joannes Opſtraet*, Belga, Doctor Theologus Lovanienſis: plurium Editor = Inſtitutiones Theologicae ad Tyrones.

F. 1683. *Bartholomaeus Durandus*, Gallus Minorita: plurium Scriptor = Clypeus Scoticae Theologiae contra novos ejus impugnatores, praeſertim contra Goneti opiniones, in ſuo Clypeo Thomiſtico adſertas & propugnatas, tomis IV. aut V. in 8.

O. 1684. 1. Aug. *Raymundus Lumbier*, Gente Navarrus, ſui Ord. Carmelitici ſemel & iterum in Aragonia Provincialis, in Caeſar-Auguſtana Academia Theologus Doctor & Anteceſſor primarius, Regius Concionator & ſupremae Inquiſitionis Qualificator: plurium Author = Tr. de Eſſentia & Attributis Dei = Viſione, Scientia, Voluntate Dei = Trinitate = Fide = Incarnatione, Gratia, Scientia Chriſti.

F. 1684. *Ludovicus Bancel*, Delphinas Valentinus, O. P., in Avenionenſi Academia Theol. Profeſſor = Brevis univerſae Theologiae tam Moralis quam Scholaſticae Curſus juxta S. Thomae dogmata.

F. 1687. *Laurentius Brancatus de Lauraea*, nobilis Italus, Minorita & Cardinalis ſapientiſſimus: plurium Author = Theologia univerſa tomis VIII. fol. = In III. & IV. libros Sent. Scoti = Tr. de Praedeſtinatione, Reprobatione & Gratia actuali.

F. 1688. *Gervaſius Briſacenſis*, Germanus, Capucin: plurium Scriptor = Curſus integer Theologicus tomis IV. in 8.

F. 1689. *Florentius de Cocq*, Germanus, opinor, Ord. Praemonſtrat. Theologus Profeſſor = Principia totius Theologiae Moralis & ſpeculativae ex S. Scriptura, Conciliis, &c. compendioſe deprompta.

O. 1691. *Martinus Grandin*, Gallus, Doctor Sorbonicus, & Sacrae Facultatis Pariſienſis Decanus = Theologia fere univerſa tomis V., & nonnullis Diſputationibus aucta a *Carolo Du Pleſſis D' Argentrè*, pariter Sorbonico Doctore, qui illam prelo commiſit an. 1710.

O. 1691. *Raymundus Capiſuccus*, praenobilis Italus, Ordin. Praed., ex Sacri Palatii Magiſtro Cardinalis: plurium Author = De Selectis Controverſiis Theologicis ad mentem S. Thomae reſolutis, tom. I. fol.

O. 1692. *Auguſtinus Reding*, Helvetus, Benedictinus Abbas Einſidlenſis, praeſtantiſſimus Theologus in Salisburgenſi Academia Profeſſor: plurium Author = Curſus Scholaſticus tomis XIII.

F. 1694. *Nicolaus L' Herminier*, Gallus, Pariſienſis Doctor Theologus, Eccleſiae Cenomanenſis Poenitentiarius, & Archidiaconus = Summa Theologiae Scholaſtico-dogmaticae ad uſum Scholae accomodata.

O. 1695. *Ludovicus Thomaſſinus*, Gallus, Congr. Oratorii Presbyter & Theologus eruditiſſimus: plurium Author = Theologia Scholaſtico-polemica, ſeu de dogmatibus Theologicis, tomis III. fol.

O. 1695. 2. Jun. *Philippus de Aranda*, Hiſpanus, Aragonenſis, S. J. Theologus acutiſſimus, Caeſar-Auguſtanae Academiae Doctor, & in Collegio Caeſar-Auguſtano primarius Profeſſor: plurium Author = Schola Scientiae

Me-

Mediae: ubi de praecipuis Jeſuiticae Scholae capitibus = Baſis Theologiae Moralis: ubi ſcholaſtice de ſingulis Ethicae Theologiae principiis = De Dominica Incarnatione.

Hugo, Canonicus Praemonſtratenſis = Apologia contra Petrum Faidit, Sacerdotem Gallum, qui cum tractatu a ſe edito de Ss. Trinitate reprobaſſet Theologicas omnes circa tanti Myſterii explicationem opiniones, Tritheitarum blaſphemiam aperte tradidit. F. 1695.

Franciſc. Antonius de Zambrana Davalos, Hiſpanus, Ord. Ss. Trinit. in Theologia Magiſter, J. U. Doctor, Regi Catholico a concionibus = Commentaria in Prologum Sententiarum Mag. Henrici Gandavenſis; ſeu Quaeſtiones diſputatae de Sacra Theologia, ejuſque Locis & argumentis, tom. 1. in duas partes diviſus. F. 1696.

Thomas Munieſſa, Hiſpanus, Aragonenſis, S. J., famoſus in Collegio Barcinonenſi Theologus: perplurium Editor = Tract. de Providentia Dei = De utraque Gratia = De Dominica Incarnatione = De Ss. Euchariſtia = De Baptiſmo. O. 1696. 17. Nov.

Coeleſtinus Sfondratus, praenobilis Mediolanenſis, Princeps & Abbas S. Galli, & Cardinalis doctiſſimus: plurium Editor = Nodus Praedeſtinationis ex ſacris literis, doctrinaque SS. Auguſtini & Thomae diſſolutus = Innocentia vindicata, id eſt Marianae Conceptionis = Curſus Theologicus in gratiam & utilitatem FF. Religioſorum S. Galli. Curſus hic quandoque alium Authorem praeſefert. O. 1696.

Calliſtus Lodigerius, Urbevetanus, ſui Ord. Servorum B. M. V. Theologus Profeſſor & Regens = Theologicae Diſputationes. F. 1698.

Joſephus Saenz de Aguirre, Hiſpanus, Lucronenſis, ſuae hiſpanae Congreg. Benedictinae Praeſes Generalis, clariſſ. in Salmantina Academia Scholaſtices Profeſſor, & Cardinalis, doctrina, eruditione, critice conſpicuus: plurium Editor = S. Anſelmi Theologia commentariis Scholaſtico-polemicis illuſtrata, tom. III. fol. O. 1699.

SECULUM SCHOLASTICUM VII.

CHRISTIANUM XVIII.

XLI. *Scholaſtici Authores a MDCC. ad MDCCLXVI.*

Emmanuel a Conceptione, Hiſpanus, Navarraeus, Trinitarius Excalceatus: plurium Author = Tr. Scholaſt. de Ss. Trinitate = Dei Scientia = Voluntate = Incarnatione. O. 1701.

Petrus de Medrano, Peruanus Limenſis, S. J., in Cuzcopolitana & Limana Academiis Cancellarius = Roſetum Theologicum Scholaſticum Marianum, ſeu de Ss. Deiparae laudibus ſcholaſtice controverſis. F. 1701.

Antonius Maſſoulie, Gallus, Ord. Praed., in Toloſana Academia Doctor Regens = D. Thomas ſui interpres, praeſertim quoad divinas motiones & libertatem creatam, tomis II. fol. F. 1703.

Joannes Gisbert, Gallus, Jeſuita, in Toloſana Academia Regius Theologiae Profeſſor: plurium Editor = Defenſio Theologiae Scholaſticae, habita in Collegio Toloſano S. J. coram auguſto Senatu = Organum novae Theologiae = Plura. F. 1703.

F. 1703. *Petrus Annatus*, Gallus, Congregat. doctrinae Chriſtianae Praepoſitus Generalis = Adparatus ad poſitivam Theologiam methodicus. ubi L. 1. tribus prioribus articulis Scholaſtice commendatur quammaxime.

F. 1703. *Nicolaus Gavardus*, Auguſtinenſis, Romae in Archigymnaſio Sapientiae publicus Theologiae Profeſſor = Theologia exantiquata juxta doctrinam S. Auguſtini & B. AEgidii Columna.

O. 1704. *Ludovicus Pueyo* & *Abadia*, Hiſpanus, Carmel. Ord., Caeſar-Auguſtanae Academiae Primarius Theologus Profeſſor, & Albarracinenſis Epiſcopus: plurium Editor = Cathedra moralis S. Thomae, VI. tomis in 4. ubi perplura ſpeculativa (*b*).

F. 1604. *Carolus Salpegni*, Panormitanus, Tertii Ord. S. Franciſci, Theologus Doctor & Magiſter = Theologia Scholaſtica in via Scoti, tomis III. fol.

F. 1704. *Joannes Martinez de Ripalda*, Navarrus ex Urbe Olittenſi, S. J., in Xaveriana Academia Collegii Sancta-Fidenſis in novo Regno Granatenſi Theologus Profeſſor & Rector, miſuſque deinde Procurator Generalis ad utramque Curiam Pontificiam & Regiam Matritenſem: plurium Scriptor = De uſu & abuſu doctrinae D. Thomae: ſecunda pars theologica.

O. 1705. *Thyrſus Gonzalez* de Santalla, Hiſpanus ex Caſtella veteri, in Salmanticenſi Academia Primarius Theologiae Anteceſſor, Societatis Jeſu Praepoſitus Generalis, ſapientiſſimus quidem Vir, plurimiſque titulis commendatiſſimus: plurium Editor = Scholaſticae Diſſertationes ſelectae, tomis V. fol.

O. 1706. 6. Aug. *Joan. Baptiſta Duhamel*, in Normannia inferiore natus, regius Philoſophiae Profeſſor, & Scientiarum Academiae Socius: plurium Editor = Theologia ſpeculatrix & practica, tomis II. fol. = Theologiae Summa.

F. 1707. *Iſidorus de Torres*, Hiſpanus, ex Ord. Ss. Trinit., Complutenſis Doctor, & publicus Theologiae Profeſſor = Theologia ſelecta de Peccato & Gratia.

F. 1707. *Antonius Caſtel*, Bilbilitanus in Hiſpania, Minorita, Subtilis Doctor & Profeſſor Theologus: plurium Scriptor = Scholaſtica in libros Sententiarum.

O. 1707. *Hieronymus Raguſa*, Siculus, S. J., Theologus Profeſſor: plurium Author = Theologia tripartita de Deo, de Creatura, de Deocreatura; ſeu de Deo Uno & Trino, de Angelis & Hominibus, de Verbo Incarnato.

F. 1708. *Emmanuel Navarro*, Hiſpanus, ſui Benedictini Ord. Magiſter Generalis, Salmantinae Academiae Doctor Theologus & Primarius Anteceſſor = Tract. Scholaſtico-polemicus de Ss. Trinitate.

F. 1708. *Nicolaus Maria de Tedeſchis*, Siculus, Catanenſis, Benedictinus, ex

(*b*) Celeberrimus hic ſui Coetus Editor noviſſimae Bibliothecae Authorem, cetera diligentiſſimum, fugiſſe videtur,

ex Epiſcopo Liparitano Apamienſis Archiepiſcopus = Scholae D. Anſelmi doctrina = Sacrae doctrinae Synopſis.

Antonius Iribarren (Jacobo Echardo perperam *Irribarreira*) patria Bilbilitanus apud Aragones, profeſſione Dominicanus, in Caeſar-Auguſtana Academia SS. Bibliorum Interpres: plurium Editor = Curſus Moralis: ubi complura Scholaſtica. O. 1709.

Gaſpar Juenin, Gallus, Oratorii Gallicani Presbyter, Seminarii Pariſienſis Cardinalis de Noalles Theologus Profeſſor = Inſtitutiones Theologicae Scholaſtico-polemicae tomis II. fol. = Hiſtoria dogmatica de Sacramentis, etiam Scholaſtico-polemica. F. 1710.

Joſeph Zagaglia, patria Ferrarienſis in Italia, ex Ord. Carmelit. Calceat. & Ordinis Magiſter, necnon in Curia Romana Procurator Generalis: plurium Author. = Curſus Theologicus ad mentem Joannis Bacconii, tomis III. fol. O. 1711.

Vincentius Ramirez, Madritanus, S. J., Complutenſis Academiae Theologus Doctor & Profeſſor acutiſſimus = Tr. de Praedeſtinatione tomis II. fol. = De Scientia Dei tomis totidem fol. F. 1712.

Bernardus Rabaudus, Gallus, Or. Praed., in Toloſana Academia Theologus Profeſſor = Exercitationes Theologicae ad ſingulas partes Summae S. Thomae. F. 1713.

Joannes Saguens, Gallus, Ord. Minimorum, inſignis Theologiae Profeſſor: plurium Author = Opus Poſitivo-Scholaſticum de perfectionibus divinis ad mentem Emmanuelis Maignani ex eodem Ord. = Syſtema Gratiae Philoſophico Theologicum = Appendix de virtutibus infuſis = Plura. F. 1715.

Livinus Meyer, Belga, S. J. praeſtantiſſimus Theologus: plurium Editor = Diſſertatio Scholaſtica de erroribus Pelagianis & Semipelagianis = Hiſtoria controverſiarum de Auxiliis adverſus hiſtoriam Auguſtini le Blanc. F. 1716.

Carolus Witaſſe, Gallus, Sorbonicus Doctor, Socius, & Profeſſor = Sacra Theologia, varios in tractatus diſtributa. F. 1718.

Joannes de Ulloa, Madritanus, S. J., conſpicuus Theologiae Profeſſor: plurium Author = Theologia Scholaſtica tomis V. comprehenſa; adjecto altero de primis & ultimis temporibus, ſeu de principio & fine mundi. F. 1718.

Joannes Baptiſta Gormàz, Hiſpanus, Aragonenſis, S. J. Theologus Profeſſor = Curſus Theologicus tomis II. fol. F. 1718.

Antonius Boucat, Biturícus, Ord. Minim. S. Franc. de Paula, veteranus apud Pariſios Theologiae Profeſſor = Theologia Patrum Dogmatica, Scholaſtico-Poſitiva, to mis V. fol. F. 1718.

Joannes Baptiſta de Benedictis ſub larvato nomine *Benedicti Aletini*, Italus, S. J: plurium Scriptor = Epiſtola apologetica pro Theologia Scholaſtica ad Luiſium Oligorum = Altera Epiſtola, qua priorem vindicat, ad Conſtantinum Grimaldum. F. 1720.

Carolus Dupleſſis D'Argentrè, Gallus, Socius, & Doctor Sorbonicus ac Epiſcopus Tutelenſis: plurium Author. = Tractatus celebris F. 1720.

de

de Elementis Theologicis = Variae Diſputationes Theologicae, commentariis Martini Grandin adjectae.

O. 1720. *Franciſcus Palanco*, Hiſpanus, Minimorum Corrector Generalis & Antiſtes Jaccenſis in Aragonia: plurium Scriptor = Tract. Schol. de Providentia Dei = De Fide = Spe & Caritate = Plura.

F. 1720. *Ludovicus Babenſtuber*, Germanus, Ord. Bened., in Academia Salisburgenſi clarus Theologiae Profeſſor = Univerſa Theologia Part. VIII. in 4. = Diſſertatio pro Schola D. Thomae.

F. 1722. *Joannes de Naxera*, Hiſpanus, clarus ex Ord. Minimorum Theologus = Maignanus redivivus, ſeu tractatus Theologico-philoſophicus de vera quiditate Accidentium manentium in Euchariſtia, juxta novo-antiquam Maignani doctrinam.

F. 1724. *Joannes Marin*, Hiſpanus Oconienſis, S. J., Complutenſis Academiae primarius Theologus Anteceſſor, in Scholis notiſſimus, Ludovici I. Hiſpaniarum Regis a Confeſſionibus = Theologia Speculativa & Moralis, tomis III. fol.

F. 1724. *Dominicus Viva*, Neapolitanus, S. J. Theologus Profeſſor: plurium Editor = Curſus Theologicus Scholaſticus pro Tyronibus inſtituendis, tomis IV. in 4.

F. 1725. *Renatus Hyacinthus Drouven*, Gallus, Ordinis Praed. Doctor Sorbonicus = Commentarii Scholaſtico-polemici de Re Sacramentaria tomis II. fol.

F. 1726. *Joannes de Campo-Verde*, Toletanus, S. J., Complutenſis Academiae Doctor Theologus & primarius Anteceſſor. = Tract. de Dominica Incarnatione tomis II. in 4.

F. 1727. *Nicolaus Segura*, Angelopolitanus in America Hiſpana, S. J., primarius Theologiae Profeſſor = Diſputationes Scholaſticae ſelectae tomis II. fol.

F. 1728. *Antonius de Peralta*, Natione Mexicanus, profeſſione Jeſuita, Theologiae primarius Anteceſſor = Diſſertationes Scholaſticae de divinis Decretis = De Ss. Deipara = De S. Joſeph = Perplura Scholaſtica inedita.

F. 1729. *Joſephus Sanfelicius*, Italus, Jeſuita = Apologia pro Thomiſticae Theologiae praeceptis & inſtitutis, e quibus nempe Janſenii doctrinam damnatam infert.

F. 1729. *Honoratus Tournely*, Gallus, in Academiis Duacenſi & Pariſienſi clarus Theologiae Profeſſor, Capellae Regii Palatii Pariſienſis Canonicus = Praelectiones Theologicae Scholaſtico-polemicae, univerſam fere Theologiam complexae = Tractatus ſingularis Scholaſtico-polemicus de Gratia Chriſti adverſus quoſque Janſeniſmi fautores.

F. 1730. *Cajetanus Delugo & Benitez*, Hiſpanus, Ord. Praed. & Epiſcopus Zamorenſis. = Tract. de concurſu praevio. = Tr. de Gratia Chriſti.

F. 1730. *Vincentius Ludovicus Gotti*, Italus, Ord. Praed., Bononienſis Academiae Controverſiarum Profeſſor, Cardinalis: plurium Author = Theologia Scholaſtico-Polemica ad mentem S. Th. tomis III. fol.

F. 1730. *Ignatius Hyacinthus Amat de Graveſon*, Gallus, Ord. Praed., Do-

Doctor Pariſienſis, Romani Collegii Caſanatenſis Theologus: perplurium Editor = Epiſtolarum ad amicum libri III. in 4: ubi ſparſim, eleganter & exquiſita eruditione pugnat pro praecipuis ſuae Scholae dogmatibus.

Joſ. Maria Perrimezzius, Italus, ex Ord. Minimorum, Epiſcopus Oppidenſis = In ſacram de Deo Scientiam Diſſertationes ſelectae Hiſtoricae-Dogmaticae-Scholaſticae, tomis pluribus. F. 1730.

Paullus a Lugduno, Gallus, Capucin. = Totius Theologiae ſpecimen ad uſum Theologiae candidatorum Scholaſtica methodo compendioſe delineatum: quo traditur Poſitiva, Speculatrix, & Moralis tomis IV. in 12. F. 1731.

Petrus Manſo, Madritanus, Auguſtinenſis, Salmantinae Academiae Theologus Doctor & Profeſſor: plurium Editor. = S. Auguſtinus ſui Interpres = Gratiae Vindex = Gratiae efficacis propugnator = Noriſius Vindex adverſus Emmanuelem Navarro = Plura. F. 1731.

Antonius Mair, Germanus, S. J., Theologus Doctor & Profeſſor in Academiis Friburgenſi & Ingolſtadienſi = Theologia Scholaſtica tomis II. fol. F. 1732.

Marinus Panger, Germanus, Minorita Recollectus, Theologiae Lector emeritus = Theologia Scholaſtica, Moralis & Polemica ad mentem Scoti tomis IV. F. 1732.

Ddidacus de Caſtilla, Hiſpanus, Ord. Carmel., celebris Theologus Bacconianus = Speculum doctrinae Bacconicae, ſeu Commentarii in Theologiam Joannis Bacconis Carmelitani = Commentaria Theologica quodlibetica in libros Sententiarum ejuſdem Bacconis. F. 1732.

Paullus a Conceptione, Hiſpanus, Peraltae in Regno Navarrae ortus, Carmelita Excalceatus ac totius Hiſpanae Congregationis Praepoſitus Generalis, Vir doctrina, eruditione, regulari Obſervantia clariſſimus. = Curſus Scholaſtico-theologicus tomis V. fol. F. 1733.

Marcellinus Siuri, Hiſpanus e Valentiae Regno, ex Praepoſito Valentinae Eccleſiae Epiſcopus Aurienſis, dein Cordubenſis: plurium Author = Theologia Scholaſtica de Noviſſimis tom. I. fol. O. 1734.

Joannes Aliaga, Hiſpanus, ex Ord. Praed., Salmanticenſis Academiae Primarius Anteceſſor = Theologia Thomiſtica: ubi pluribus confutat nonnullas Petri Manſii opiniones. F. 1734.

Joannes de Ferreras, Hiſpanus, Regiae Bibliothecae Praefectus: plurium Author=Diſputationes Theologicae de Deo, tomis III. in 4. = Plnra Scholaſtica cùm edita, tùm inedita. O. 1735.

Fortunatus Venerius, Italus, Barnabita Congreg. Cler. Regul. S. Paulli = Quaſtiones Dogmatico-Scholaſticae, tomis pluribus. F. 1735.

Joſeph a Spiritu Sancto, patria Vicenſis in Catalonia, Trinitarius Excalceatus: plurium Scriptor = Medulla Theologiae, Scholae Jeſuiticae principiis ſolide ſtabilita tomis IV. in 4. F. 1735.

Ildephonſus Roldàn, Hiſpanus, Ord. Baſiliani, Complutenſis Profeſſor, Epiſc. Guamangenſis = Opus Scholaſtico-dogmaticum, praenotatum, *Lux D. Baſilii & D. Thomae*. F. 1735.

Ful-

F. 1737. *Fulgentius Belleli*, Italus, fui Auguſtiniani Ord. Theologus Doctor, Magiſter & Prior Generalis = Mens Auguſtini de modo reparationis humanae naturae poſt lapſum adverſus Bajanam & Janſenianam haereſim juxta Apoſtolicas Conſtitutiones expoſita, tomis II. in 4. = Mens Auguſtini de ſtatu creaturae rationalis ante peccatum, tom. I. in 8.

F. 1737. *Thomas Madalena*, Aragonenſis, Ord. Praed. Theologiae Profeſſor & Magiſter (non larvatus, ut ait *Michael a S. Joſeph* in Bibliographia critica, in articulo *Granvoſca*): plurium Editor = Obſervationes literales in Summam D. Thomae ex Codice Alcañizenſi. = Examen Thomiſticum: ubi plurima pro capitalibus Scholae Thomiſticae opinionibus diligenter adglomerat = Ludus aeſtivalis circa fervorem igneum, ſeu Diſſertatio adverſus Unionem Euchariſticam adſumptivam a Cardinali Cienfuegos propugnatam. = Diſſertatio altera apologetica adverſus duas poſteriores, quae ſuum Ludum aeſtivalem confutarant.

F. 1737. *Anſelmus Schnell*, Germanus, Ord. Bened. Theologiae Profeſſor = Curſus Theologiae Scholaſticae adbreviatus, Part. VIII. tributus.

F. 1737. *Benedictus Schmier*, Germanus, Benedictinus, in Salisburgenſi Academia Theologiae Doctor & Profeſſor Emeritus = Sacra Theologia Scholaſtico-Polemico-Practica, tomis III. fol.

O. 1738. *Vincentius Ferrerius*, Hiſpanus, Ord. Praed. patriae Valentinae Academiae Theologus Profeſſor = Epitome Curſus Theologici ad mentem D. Thomae tomis IV. in 8., & quidem abſoluta.

O. 1738. 12. Mart. *Jacobus Hyacinthus Serry*, Gallus, patria Tolonenſis in Provincia, Ord. Praed., Doctor Sorbonicus, clarus noſtri aevi Theologus: perplurium Scriptor = Praelectionum Theologicarum libri V. = D. Auguſtinus ſummus Praedeſtinationis & Gratiae Doctor a calumnia vindicatus = Schola Thomiſtica vindicata = Hiſtoria Congregationum de Auxiliis divinae Gratiae ſub larvato nomine *Auguſtini le Blanc*.

O. 1738. *Paſchaſius Agramunt* ſub perſonato nomine *Aſcanii Perea* & *Hontemar*, Hiſpanus e Regno Valentiae, S. J. acutiſſimus Theologiae Profeſſor = Diſſertatio Apologetica pro Euchariſtica Unione adſumptiva Cardinalis Cienfuegos, adverſum Ludum aeſtivalem Thomae Madalena.

O. 1739. 19. Aug. *Albarus Cienfuegos*, Hiſpanus, e S. J., in Salmanticenſi Academia Theologus Doctor & veſpertinus Anteceſſor, hinc Archiepiſcopus Montis Regalis in Sicilia & Cardinalis famigeratiſſimus: plurium Author = AEnigmata Theologica, ſeu nova & expeditior enodatio obſcuriorum in Scholaſtice Quaeſtionum tomis II. fol. = Vita abſcondita Chriſti Jeſu in Ss. Euchariſtia: ubi mirabilia mirabiliter ediſſeruntur.

O. 1739. 28. Nov. *Ludovicus Maſchi*, Genuenſis, Ord. Praed. Mag. & Supremae Congreg. S. Inquiſitionis in Urbe Qualificator = Opus Theologico-Thomiſticum: ubi tom. I. partis I. Tr. I. C. 7. & ult. plura diſſerit de Theologia Scholaſtica, & Chronologicum cenſum de nonnullis Theologis Scholaſticis profert.

Ca-

Carolus del Moral, Hiſpanus, Ord. Min., Complutenſis Theologus. = Fons illimis Theologiae Marianae Scholaſticae tomis II. F. 1740.

Vincentius Calatayud, Hiſpanus, Congr. Orat. S. Phil. Nerii & Eccleſiae Valentinae Sedis perdoctus Praepoſitus = D. Thomas cum Patribus: Diſſertationes Theolog. Schol. Dogmat. Myſtic. Doctrin. tomis plurimis. F. 1740.

Edmundus Simonnet, Gallus, S. J. Theologus Profeſſor, & Muſſipontanae Academiae Cancellarius = Inſtitutiones Theologicae Scholaſtico-polemicae, tomis III. fol. F. 1740.

Michael Hieronymus de Monreal, Caeſar-Auguſtanus, S. J., in patria Academia Theologus Doctor, a ſanctimonia, ingenii acumine, doctrinae profunditate commendatiſſimus: plurium Author = Theologia Mariana, cui titulus *Scala myſtica Jacobea* tomis III. in 4. O. 1741.

Antonius Erber, Germanus, S. J., in Graecenſi Academia Scholaſtices Profeſſor & Cancellarius emeritus = Curſus Scholaſticae Theologiae, tomis VIII. in 8. F. cir. 1741.

Aurelius Piette, Auguſtinenſis, Theologiae Profeſſor, ſtudiique Theologici Regens = Elucidatio difficiliorum Theologiae Quaeſtionum. F. 1741.

Paullus Gabriel Antoine, Gallus, S. J. Theologus Profeſſor: plurium Scriptor = Theologia Speculativa & Dogmatica, vel potius ejuſdem Theologiae Epitome. F. 1742.

Raphael Kodig, Germanus = Curſus binarius, id eſt naturalis & ſupernaturalis; ſeu Philoſophia & Theologia invicem concatenata, ſubordinata, & combinata, tomus I. fol. F. 1748.

Creſcentius Kriſper, Germanus, Ord. Minorum Reformatorum S. Franciſci, Theologiae lector emeritus = Theologia Scholae Scotiſticae, tomis IV. fol. F. 1748.

Didacus de Quadros, Madritanus, S. J., Scholaſtices ac Biblices, necnon Hebraicae linguae famigeratus Profeſſor: plurium Author = Tr. de Dominica Incarnatione tom. I. fol. = Caduceus Theologicus & Criſis pacifica ſuper Examine Thomiſtico Thomae Madalena: ubi praecipua Scholae Jeſuiticae dogmata perquam erudite ac eleganter definiuntur, tomis II. fol. & in iis quidem ſub larvato nomine *Martini Ortizii*. F. 1748.

Marcus Antonius Trivellatus, Italus, Theologiae Doctor & Profeſſor = Enchiridion Scholaſticum de Verbi Incarnatione. F. 1750.

Bartholomaeus Sarmentero, & *Franciſcus de la Lanza*, Hiſpani & Minoritae, quorum ille, ni fallor, modo Epiſcopus Vicenſis in Catalonia, hic vero Vallis-Olctanus Doctor, Theologiae Lector = Curſus Theologiae Scholaſticae in via Subtilis, Marianique Doctoris Joannis Duns Scoti, tomis IV. edit. 1750. F. 1750.

Bernardus de Vargas, Malacitanus in Hiſpania, S. J., Theologiae Profeſſor & primarius Magiſter, nec non Supremae Hiſpaniarum Inquiſitionis Qualificator. = Curſus Theologicus ſpeculativus aut Scholaſticus Selectarum Quaeſtionum compendio traditus Tract. & tom. I. de Deo Uno & Trino, II. De Deos Sciente, III. De Deo Vo- F. 1750.

lente & Praedeſtinante, IV. De Beatitudine hominis, & de Actibus humanis.

F. 1752. *Andreas Crespo*, Hiſpanus, S. J. in Complutenſi Academia primarius Theologiae Anteceſſor = Tr. de Angelis.

F. 1752. *Joannes Ximenez*, Hiſpanus Caſtellanae Provinciae, Ord. Carmel. = De Potentia & Cauſalitate primi Motoris, juxta germanam mentem Joannis de Baccone Doct. Reſol. = Tr. de Beatitudine ſupernaturali patriae.

F. 1753. *Nicolaus Piccinus*, J. C. Neapolitanus = Diſſertatio Scholaſtica de Gratia & Praedeſtinatione poſt praeviſa merita.

F. 1754. *Gallus Cartier*, Germanus, Benedictinus, Theologiae Profeſſor = Theologia Scholaſtico-Polemica, tomis III.

F. 1755. *Joſephus Gautier*, Germanus, S. J. in Colonienſi Univerſitate Doctor & Profeſſor publicus = Prodromus aureus ad Theologiam Dogmatico = Scholaſticam ad uſum praecipue Candidatorum Sacrae doctrinae.

F. 1755. *Antonius de Albalate*, Hiſpanus, Minorita Diſcalceatus, Theol. Lector = Curſus Theologicus ad uſum Provinciae Sancti Joſeph, Minoritarum Diſcalceatorum.

F. 1755. *Didacus Gonzalez Matthaeus*, Hiſpanus, Ord. Franciſcani Lector emeritus = Theologia Scotica, tomis IV.

F. 1755. *Joannes Joſephus de Eguiara*, patriae Mexicanae Academiae Primarius & emeritus Theologiae Anteceſſor & Rector, patriae Eccleſiae Canonicus, & Epiſcopus Jucatanenſis: plurium Author = Selectae Diſſertationes Mexicanae ad Scholaſticam ſpectantes Theologiam, tribus tomis diſtinctae: in quibus agitur de Deo, de S. Joſepho, de Dominica Incarnatione &c.

F. 1756. *Joſeph Carpani*, Italus, S. J. = Diſputatio Scholaſtica de delectationibus coeleſti ac terrena ob graduum ſuperioritatem trahentibus ſecum infallibiliter id quod magis delectat.

O. 1757. 20. Jan. *Carolus Renatus Billuart*, Revinienſis ad Ripam Moſae juxta Campaniae fines in Dioeceſi Leodienſi, Ord. Praed. Theologus Doctor: plurium Scriptor. = Curſus Theologiae juxta mentem D. Thomae, in partes IV. tributus, inſertis pro re nata Digreſſionibus in Hiſtoriam Eccleſiaſticam, cum ſupplemento trium tractatuum. = Compendium ejuſdem Curſus. = Thomiſmus triumphans. = Et Apologia pro ipſo contra IX. literas P. Duprè S. J. adverſus eundem.

F. 1757. *Thomas ex Charmes*, Capucinus in Provincia Lotharingiae. = Theologia univerſa ad uſum ſacrae Theologiae Candidatorum, tomis III. in 4. = Compendium Theologiae univerſae ad uſum examinandorum.

F. 1759. *Benedictus Plazza*, patria Syracuſanus in Sicilia, S. J., famigeratus Scholaſtices Profeſſor: plurium Author. = Cauſſa Immaculatae Conceptionis Deiparae Theologico-critice controverſa: ubi ſpeciatim Actione VII. poſt Proluſionem, qua Scholaſtice oppido commendatur, recenſentur critice ordine chronologico priorum Scholaſticorum pro Illibata Conceptione teſtimonia.

Jo-

Joſephus de Araujo, Luſitanus, Soc. J., Uliſſippone primarius Scholaſtices Profeſſor = Curſus Theologicus, tomis II. fol. O. 1759.

Joan. Carolus Boſſius a S. Franciſco Xaverio, Italus, Scholarum Piarum Sodalis, Theologiae Profeſſor = Inſtitutiones Theologicae in tomos IV. in 8. diſtributae. F. 1759.

Joſeph Redlhamer, Germanus, Soc. J., in Viennenſi Academia Theologiae Doctor & Profeſſor publicus, & in ſacra Facultate Caeſareo-Regius Examinator juratus = Inſtitutiones Scholaſtico-Dogmaticae, quas in eadem Academia ſuis Auditoribus expoſuit, tom. IV. in 4. F. 1760. F. 1761.

Euſebius Amort, Canonicus Regularis Lateranenſis, Germanus, clarus Theologiae Profeſſor: plurium Editor. = Theologia eclectica-Scholaſtico-polemico-moralis, tomis III. fol.

Franciſcus Rabago, ſub larvato nomine *Faderici Granvoſca*, Hiſpanus e Caſtella veteri, S. J. Theologus pro Hiſpania in Collegio Romano Profeſſor, Ferdinandi VI. Hiſpaniae Regis a Confeſſionibus = Apologia Theologica pro unione adſumptiva Euchariſtica Cardinalis Cienfuegos adverſus objectiones Thomae Madalena. O. 1764.

Antonius Jacobus Aymar, Italus, ut conjicio, antiquae Franciſcanae Obſervantiae Lector emeritus. = Scholaſticae Exercitationes de Deo, ejuſque Attributis juxta veriora Doctoris Subtilis principia, variis Diſſertationibus tum ad Dogma, tum ad Hiſtoriam ſpectantibus illuſtrata. F. 1764.

Joſeph Monſchein, Germanus, S. J., Theologiae & Ss. Canonum Doctor, atque Academiae Dilinganae Cancellarius = Theologia Dogmatico-Speculativa in praelectionibus publicis tradita. F. 1764.

Joannes Laurentius Berti, Italus, Auguſtinenſis, in Piſana Academia magni nominis Hiſtoriae Eccleſiaſticae Profeſſor: plurium Scriptor. = Inſtitutiones Theologicae Scholaſtico-polemico-hiſtoricae tomis VIII. fol. = Varia Apologemata adverſus plures, qui ſuam & ſui Belleli doctrinam confutarunt. O. 1766. Menſe Martio.

Alphonſus Gonzalez de Apodaca, Hiſpanus, Praemonſtratenſis Canonicus, reor, hodieque florens. = Theologia Scholaſtica ex puris fontibus S. Auguſtini & Angelici Praeceptoris deprompta. Edit. 1766. F. 1766.

Joannes Franciſcus, Bernardus Maria de Rubeis, Venetus, Ord. Praedicatorum; egregius, elegans, pereruditus, criticus S. Thomae adornator, commendator, & vindex: perplurium Author. Hodiedum claret, ac noſtrum Aevum illuſtrat. = Tract. Polemico-Scholaſticus de peccato originali, ejuſque natura & traduce, ac poena; deque multiplici Statu hominis, innocentis, lapſi, reparatique; ac de poſſibili purae naturae ſtatu = Plura Scholaſt. F. 1766.

Petrus Andreas Gauggi, Italus, Carmelitani Ordinis alumnus & Magiſter. = Enchiridion Theologicum Scholaſtico-dogmaticum, juxta mentem Joannis de Baccone, Doctoris cognomento *Reſoluti*, tom. I. & II. Edit. Romae 1764. F. 1767.

Henricus Florez, Hiſpanus, Auguſtinenſis, Complutenſis Theologiae Doctor & Profeſſor, in ſacra doctrina, hiſtoria, re antiqua- F. 1767.

ria, critice, dum haec ſcribimus, celebratiſſimus: perplurium Author= Theologiae Scholaſticae Curſus v. Voluminibus abſolutus.

F. 1767. 2. Jan. *Joachimus Navarrus*, Hiſpanus e Dioeceſi Toletana in Oppido vulgo *Villa-Palacios*, S. J. olim in Academia Complutenſi Theologiae Doctor & Primarius Anteceſſor. Vir magni nominis, etiamnum florens. = Curſus Theologicus ad mentem Doctorum Angelici & Eximii, ſtilo ac methodo antiquo-novis compoſitus, tom 1. Matriti editus 1765.

Animadverſiones conſectaneae.

XLII. *Laudantur Bibliothecae cùm Reales, tùm adumbratae, quae ceteros Authores Scholaſticos patienter quaerenti valeant propinare.*

I. TAntillus hic Authorum Cenſus, qui tanquam plus obvii citius occurrere; relictis etiam nonnullis Recentioribus, quos in Prodromo II. Operis praelibabimus. Plurimi ſuperſunt: & eos quidem patienter quaerenti omnino dabunt, cùm Reales Bibliothecae, quae Scholaſticorum MSS. ac editorum uberiore copia locupletantur; tùm adumbratae, quas videlicet plurimi conſcripſerunt, Eccleſiaſticorum Authorum nomina, ſcripta & elogia literis conſignantes. Ex iis vero aliqui generales Bibliothecas aut Bibliographias perhibentes, cujuſque gentis, ſtatus, conditionis Authores edidere; alii vero particulales ex aliqua tantum gente, ordine, coetu. Obvia ſunt pro utroque genere exempla.

XLIII. *Producuntur Nomenclatores aliquot generales.*

Principio Bibliothecas Generales emiſerunt, ex quo Scholaſtica nata eſt, *Joannes Trithemius*, e Dioeceſi Trevirenſi, Benedictinus Spanheimenſis Coenobii Abbas, denatus an. 1515. 15. Apr. [c] = *Gulielmus Eiſeingrenius*, Germanus, Eccleſiae Spirenſis Canonicus; qui clarebat 1560. (d) = *Aubertus Miraeus*, Alberti Auſtriae Archiducis Eleemoſynarius Major, denatus 1640. (e) = *Poſſevinus* jam laudatus (f) = *Bellarminus*, alias quoque commemoratus (g), cum ſuis Additoribus *Philippo Labbe* S. J, denato an. Chr. 1667. 17. Mart. (h), & *Caſimiro Oudino*, quondam Praemonſtratenſi Presbytero (i) = *Conradus Geſnerius*, Tigurinus, qui fl. 1545. (k) = *Paullus Bolduanus*, Germanus, qui fl. 1614. (l) = *Paullus Freherus*, qui fl. 1688. [m] = *Antonius Teiſſier*, Gallus, Regis Boruſſiae Hiſtoriographus, an. Chr. 1680. (n) = *Ludovicus Morerius*, Gallus, Theologus Doctor, denatus 1680. 10. Jul., cum Continuatoribus (o) = *Matthias Konig*, Germanus, vita functus 1698. (p) = *Guilielmus Cave*, Anglus, qui fl. 1699.

(c) Lib. de Scriptor. Eccleſ.
(d) In Catalogo teſtium veritatis.
(e) Bibliotheca eccleſiaſtica, recuſa cum auctario 1718.
(f) Apparatu ſacro.
(g) Lib. de Scriptor. Eccleſ.
(h) Additiones ad Librum Bellarmini.
(i) Supplemento de Scriptoribus a Bellarmino omiſſis, quod edidit 1668., & Comment. de Scriptor. Eccleſiaſt. tomis III.
(k) Bibliotheca univerſali, poſt plurimum aucta a *Joſia Simlero*, tum a *Joanne Jacobo Friſio* Tigurino & aliis.
(l) Elencho Scriptor. Eccleſ.
(m) Theatr. Virorum eruditione clarorum.
(n) Catalogo Catalogorum.
(o) Magno Dictionario hiſtorico.
(p) Biblioth. veteri & nova.

1699. [*q*] = *Vincentius Placcius*, Hamburgenſis Academiae Profeſſor, fato functus 1699. (*r*).

Tum etiam *Joannes Albertus Fabricius*, Germanus, qui vivebat 1734. (*s*) = *Remigius Ceillierius*, Gallus, qui fl. 1709. (*t*) = *Joannes Gotefredus Olearius*, Germanus, qui ob. 1710. (*u*) = *Georgius Draudius*, Germanus (*x*) = *Jacobus Fridericus Reimannus*, qui fl. 1712. [*y*] = *Niceronius*, Gallus, Clericus Regul. Barnabita, qui fl. 1723. (*z*) = *Ellies Dupin*, Gallus, qui fl. 1726. (*a*) = *Natalis Alexander*, Gallus, Ord. Praed., quovis elogio dignus, qui fato ceſſit 1724. 16. Aug. [*b*] = *Nomenclatores Anonymi* (*c*) = *Michael a S. Joſeph*, Hiſpanus, Trinitarius Excalceatus, Epiſcopus Guadicenſis, qui fl. 1751. (*d*).

XLIV. *Tum particulares de nonnullis Gentibus.*

Deinde Bibliothecas particulares, continentes eccleſiaſticos privatae alicujus Gentis Scriptores, tum alicujus ſingularis Ordinis aut Coetus, plurimi prodiderunt. Primum equidem quoad particulares Gentes edita eſt *Bibliotheca Hiſpana*, a Valerio Andrea Taxandro an. Chr. 1607., ab Andrea Schotto S.J. 1608., a Nicolao Antonio, 1672. = *Francica* a Carolo Perraultio, qui fl. 1700. & aliis = *Belgica* a Franciſco Swertio, qui fl. 1628., Auberto Miraeo, Valerio Andrea, qui fl. 1643., Antonio Sandero, Antuerpienſi & Iprenſi Canonico, qui ob. circiter 1650. = *Anglicana* a Joanne Baleo, Carmelitani Ordinis deſertore, qui fl. 1563., Joanne Pitſeo, Anglo, qui clar. 1619. Michaele de la Roche, qui fl. 1707., & a Joanne Lelando recuſa 1709. = *Hibernica* a Jacobo Varraeo = *Hungarica* a Davide Czvbittingero, qui fl. 1711. = *Friſiana* a Suffrido Petro, Leovardienſi, qui fl. 1593. = *Cimbrica* a Joanne Nollero, Flensburgenſi, qui fatis ceſſit 1725., edita 1744.

Tum etiam *Romana* a Proſpero Mandoſio, nobili Romano, Ord. S. Stephani Equite, qui fl. 1692. = *Floriacenſis* a Joanne de Boſco, Monacho Coeleſtino, qui fl. 1605. = *Florentina* a Michaele Pocciantio, Servitarum Theologo, qui fl. 1589., & Julio Negri Ferrarienſi, S.J. qui fl. ante 1722. = *Galatina*, ab Alexandro Thoma Arcudio, qui fl. 1709. = *Sicula* ab Antonino Mongitore, qui fl. 1707. = *Genuenſis* aut *Liguſtica* a Michaele Juſtiniano, qui fl. 1667. & Raphaele Soprano = *Gedanenſis* ab Ephraimo Praetorio, qui fl. 1713. = *Bergomenſis* a Donato Calvo = *Suecica* a Joanne Scheffero, vulgata 1665. = *Valentina*

(*q*) Hiſtoria literaria Scriptor. Eccleſiaſticor.

(*r*) Theatrum Anonymorum & Pſeudonymorum, tomis II. fol

(*s*) Bibliotheca Latina mediae & infimae Latinitatis, a Cl. *Manſio* correcta & aucta.

(*t*) Hiſtora generali Auth orum ſacrorum & Eccleſiaſticorum.

(*u*) Bibliotheca Eccleſiaſtica.

(*x*) Bibliotheca Claſſica.

(*y*) Bibliotheca acroamatica, Theologica, Juridica &c.

(*z*) Indice operum virorum illuſtrium in Republica Literarum.

(*a*) Bibliotheca nova Eccleſiaſtica.

(*b*) Hiſtoria Eccleſiaſtica, in poſtremis Seculis ubi de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

(*c*) Magna Bibliotheca Eccleſiaſtica, edita ab an. 1734

(*d*) Bibliographia critica ſacra & prophana.

tina a Joſepho Rodriguez, Ord. Ss. Trinit. edita ante 1731. = *Provincialis* aut Scriptorum Gallo-Provinciae, a Petro Joſepho Haitzio, qui fl. 1696. & altero Anonymo, qui eam auxit ad uſque 1718. = *Danica* ab Alberto Tura, edita 1723. = *Sileſiana* a Martino Hankii, qui ob. 1709. = *Melitenſis* a Franciſco Abela = *Colonienſis* a Joſepho Hartzheim S. J. vulgata 1747.

Item *Neapolitana* a Nicolao Toppi, edita 1678. & deinceps aucta a Leonardo Nicodemo = *Numburgica* a Martino Schamelio, Germano, edita 1727. = *Mediolanenſis* a Philippo Argelato Bononienſi, ab ipſo vulgata 1745. = *Lugdunenſis* a Dominico de Colonia, Gallo, Jeſuita 1730. = *Luſitanica* a Joanne Franco Barreto ante 1672. & ab Academia Luſitana circiter 1730. = *Italica* & *Veneta* & *Patavina* a Philippo Thomaſſino, Emonenſi Epiſcopo, qui fl. 1640. = ac noviſſima *Veneta* a Joan. ab Auguſtinis, Minorita Conventuali, edita 1752. = *Peruſina* & *Sarzanenſis* & *Cyrnenſis* ab Auguſtino Oldoino. qui fl. 1678. = *Umbrienſis* a Ludovico Jacobillo edita 1658. = *Italica altera* locupletior a Comite Joanne Maria Mazzuchelli, Brixienſi, 1763. = *Piſtorienſis* a Franciſco Antonio Zacharia Veneto S. J. vulgata 1752. = tandem *Noviſſima Italica*, quae adjectos etiam praeſtat perplurimos ex aliis Gentibus Scriptores, perpetuis lucubrationibus edita ab eodem Franciſco Antonio Zacharia, qui hodiedum inſigni nominis fama claret, cùm haec ſcribimus, an. 1767.

XLV. *Necnon de Ordinibus Regularibus.*

Inſuper quod Ordines Regulares ſpectat, vulgata eſt *Bibliotheca Benedictina* a Magnoaldo Ziegelbauer, Benedictino 1754. in Hiſtoria rei literariae Ord. S. Benedicti parte IV. bibliographica cap. I. ſec. 3. ubi ſpeciatim de ſui Ordinis Scriptoribus Scholaſticis. = *Trinitaria Britannica* a Dominico Lopezio in Hiſt. Britannica ſui Ordinis Ss. Trinitatis, in Alphabetico Scriptorum Catalogo = *Auguſtiniana* a Philippo Eliſio 1654. = *Benedictino-Caſſinenſis* a Mariano Armellinio 1731. = *Benedictino-Maurina* a Bernardo Pezio 1716. = *Carmelitana* a Trithemio, Petro Lucio, Marco Antonio Alegrio, Editore Anonymo, aliis = *Carmelitana Excalceata* a Martiali a S. Joanne Baptiſta ejuſdem Ord. 1730. = *Carthuſiana*, a Theodoro Petrejo, qui ob. 1629. & Carolo Morotio, qui fl. 1681. = *Ciſtercienſis* a Chryſoſtomo Henriquez, qui ob. 1632., Carolo de Viſch, Belga, qui fl. 1656., Bertrando Tiſſier, qui fl. 1672. = *Cluniacenſis* ab Andrea Quercetano 1640.

Tum *Dominicana* multiplex, nempe ab Antonio Senenſi, Luſitano, jam laudato, 1585., Alfonſo Fernandez, hiſpano, 1618., Ambroſio de Altamura, Italo, 1677., Jacobo Quetif & Jacobo Echard, gallis, 1719., & 1721. = *Franciſcana* pariter multiplex, ſcilicet ab Henrico de Villot, Belga, 1600., Ludovico de Rebolledo 1603., Luca de Wadingo 1650., Franciſco Haroldo, Hiberno, 1685., Joanne de S. Antonio, Salmantino, excalceato, 1732. & 1733. ac de *Franciſcanis Conventualibus* a Joanne Franchinio, Mutinenſi, 1693. = *Jeſuitica* a Petro Ribadeneyra, hiſpano 1608., Gaſparo Schotto, qui eam auxit 1613., Philippo Alegambio 1643., Natanaele Sotuel-

lo

lo 1676. = *Capucinea* a Dionyſio Genuenſi, ex eadem Capucinorum familia [quemadmodum reſpective pene reliqui pro ceterorum Ordinum Bibliothecis praelaudati] an. 1680., tum retexta & extenſa e Bernardo a Bononia 1747.

XLVI. *De aliis demum privatis Coetibus, & Perſonis.*

Poſtremo quoad nonnullos alios privatos Coetus, tum Reales Bibliothecas, vulgata eſt *Bibliotheca Regii Collegii Pariſienſis Navarraei* a Joanne Launojo 1677. = *Florentina*, ſeu *Academiae Florentinae* a Jacobo Rillio 1700., & *Luca Joſ. Cerrachinio* in Faſtis Theologicis 1738. = *Academiae Marburgenſis* a Joan. Tilemanno 1727. = *Hiſpana Regia S. Laurentii*, vulgo *del Eſcorial*, a Scipione Teſio, Antonio Poſſevino, Philippo Labbeo, ab annn 1603. ad 1653. = *Trajectino-Batava*, cujus librorum Index prodiit 1718. = *Bibliotheca Bibliothecarum manuſcriptorum nova*, videlicet Vaticanae, Mediceae, Ambroſianae Mediolanenſis, Venetae S. Marci, Ducis Mutinenſis, Regiae Pariſienſis, Colbertinae, Coiſilianae San-Germanenſis, Mazarinenſis, Coiſilinianae, olim Seguerianae, a Bernardo Montfauconio 1715. & 1739. = *Bodlejana*, una cum pluribus *Septentrionalibus* ab Humphredo Wanlejo 1705. = *Telleriana* ab Authore Anonymo 1693. = Cardinalis *Joſ. Renati Imperialis*, ab incerto quoque Authore 1711. = *Barberina* 1681. = *Caſanatenſis* Romana 1761. tomis II. A. B. = *Academiae Lugduno-Batavae* 1716. Mitto demum hujuſce generis venalium Bibliothecarum Catalogos, qui multis abhinc annis fere quotidie producuntur.

XLVII. *Recenſiti Nomenclatores Scholaſticorum Authorum cenſui adſcribendi.*

II. Praelaudati harumce Bibliothecarum & conſimilium Nomenclatores reputandi merito ſunt tanquam dignam obtinentes ſedem inter hujus Syllabi Authores: quippe qui ubi Scholaſticos & Scholaſtica eorumdem Scripta cum laude recenſent, haud exiguo utique ſplendore Matrem & Reginam ſuam Scholaſticen illuſtrant. Quin etiam ſuis illuſtribus Schoiaſticorum recenſionibus ejuſdem Scholaſtices decus & Hiſtoriam novis praeclariſque monumentis amplificant.

XLVIII. *Singulis a ſui exordio aetatibus Scholaſtice reſplenduit; nec permultis ipſa Facultatibus quoad Authorum numerum cedit*

III. Ex adeo ardenti, aſſiduoque tot, tamque gravium Scriptorum ſtudio in Scholaſtice excolenda & elucidanda (echo ex iis diverſae ſint claſſes, quemadmodum in ceteris quibuſque Facultatibus; nempe ſummae, mediocres, infimae) liquido demonſtratur, hanc Sacram Scientiam, nulla temporum injuria remorante, a prima ſui inſtitutione uſque modo perenni curſu ac indeficiente ſplendore floruiſſe. Ac inde quidem bina praeclariſſima licet conjicire pro noſtra Facultate praeconia: primum videlicet, quod tam ingens Virorum, ſanctimonia, doctrina, ingenio, acumine, prudentia, dignitate praeſtantium cenſus eam adeo impenſe ſuſceperit commentandam: alterum vero quod perenni ſeptem Seculorum decurſu & in Scholis permultis & in ſcriptis pluribus micanti radians lumine, nulli fortaſſe Facultati ſecunda reſplenduerit.

XLIX. *Idem omnino eſt Scholaſticorum Authorum cen-*

IV. Tantus tantorum hominum in Scholaſtices cultura & illuſtratione conatus haud ambigere viro cordato ſinit, quin ipſi cordatiſſime in eo ſtudio ſeſe geſſerint; utpote vere agnoſcentes plu-

ri-

ſus, ac Scholaſtices dignitatis Teſtium.

rimam Scholaſticarum exercitatſonum utilitatem, magnitudinem, excellentiam, majeſtatem; attributa nimirum ſuis curis, aſſiduiſque vigiliis digna. Adeo quotquot innuimus ſacrae Scholaſtices Interpretes & Commendatores, totidem ejuſdem dignitatis Teſtes demonſtravimus.

CLAVSVLA.

L.

Critica Animadverſio Juper Scholaſtice tradenda & comparanda.

DEdimus jam pro rudiore noſtro modulo ſacram Scholae Theologiam hiſtorice depictam, encomiaſtice inſignitam, apologetice vindicatam.

LI.

Continet Scholaſtice Sacram Doctrinam univerſam, cunctis Theologis ſcitu digniſſimam: at multas praeterea ſubtiliores diſputationes, non adeo omnibus utiles.

Supereſt poſtrema ſuper ipſa tradenda & comparanda qualiſcumque judicii noſtri Animadverſio. Equidem cenſemus, ipſam prout a praeclarioribus Scholaſticis cum Doctore Angelico illuſtrata eſt, continere totius ſacrae doctrinae, fidei dogmatibus innixae, dilucidam explanationem, cuivis porro Theologo neceſſariam, aut plane perutilem; ſubtiliſſimas tamen praeterea & prolixiores frequenter inſertas Diſputationes, nec adeo neceſſarias omnibus, nec utiles.

LII.

Diſputationes omnes, quibus Scholaſtice exornatur, ad ejus dignitatem & amplitudinem ſpectant: eas addiſcere, ac exhaurire tenentur Magiſtri; haud item eiſdem obruendi Auditores.

Itaque ſapientis erit Profeſſoris, brevitatem hujus vitae, quae fruſtra prodigenda non eſt, agnoſcentis, atque Auditorum Chriſtianaeque Relpublicae potiori utilitati conſulentis, eas pro informandis alumnis Quaeſtiones reſecare, quae in tanta ipſarum copia, perpenſis omnibus, minus utiles videantur. Nonne ad ingenia acrius & ſubtilius exercenda minor illarum numerus ſuffecerit? Praeſtant quidem illae omnes ad Scholaſtices dignitatem, amplitudinem, ſuperabundantiam & ſplendorem: atque adeo exponendae ipſae ſunt ab iis omnibus, qui univerſae Scholaſtices Authores circumferri cupiunt; tum a cunctis Profeſſoribus, qui perfecti abſolutique Magiſtri nomen & decus adpetunt, debent profunde capi ac funditus exhauriri. Verum Scholaſtices Candidati ut quid eis omnibus fruſtra obruendi, cum tempus ſubinde ad utiliora, immo ad neceſſaria haudquaquam ſuppetat? Minime porro ferendum eſt, ut eis illud ex *Seneca* jure obtrudatur: *neceſſaria neſciunt, quia ſupervacua didicerunt.*

LIII.

Seligendae pro Diſcipulis Quaeſtiones Dogmati exponendo ac propugnando opportuniores, aut pro quibus plura ſacro ſuppetant documenta.

Ergo ubi de reſecandis Quaeſtionibus prudenter convenitur, illae videntur ad Scholae velitationes ſeligendae, quae fidei dogmati exponendo, ſeu propugnando opportuniores eluceant; aut illae, ſi mavis, pro quibus potiora ſuppetant Sacri Codicis, priſcorum Patrum, aut Conciliorum documenta.

LIV.

Praeſtat Scholaſtices Alumnos

At quo pacto Scholaſtice pro Auditorum emolumento, atque ſplendore tradenda? Modum hunc ex celeberrimis Doctoribus in Prodromo III. nos adſerimus. Anne vero Polemica Theologia penitus praetereunda? Conſulto plane exiſtimaverim, nonnihil ex illa, etiam ubi nec haereſcs proterendae, nec errores confutandi ſerpunt (puta in Hiſpania, quidquid Eruditiſſimus noſter Feijous (*f*) ſe-

(*f*) In Literis Eruditis & curioſis tom. 3. Lit. 31. n. 54.

secus existimasse videatur) esse Auditoribus committendum; saltem ratione sacrae Theologicae Doctrinae, quae per Dogmatico-Polemicen fundatissime perficitur. Porro vel Theologi nomine haud dignus videtur qui Dogmatico-Polemices saltem fundamenta nesciat; quique de Sacrosanctis Fidei dogmatibus nihil ultra fundate norit, quam quod alter quispiam Catholicae Religionis alumnus vulgo credit. Ecquid vero ubi extemporanea & inexcusabilis cum Acatholico insurgat Disputatio? Nec inconsulto plane Majores nostri prioribus Scholae Seculis cum Polemice conjunctam Scholasticen tradidere.

Polemices fundamentis instituti, etiam ubi haereses profligandae non ferunt.

LV.

Innuitur methodus, qua Theologia Scholastico-Polemica commodius ac utilius tradatur

Jam vero ubi Controversiarum Professores desiderantur, & Scholasticis incumbit onus ex utraque Theologia Institutiones praelegendi, id potissimum enitendum est, ut in tanta rerum, differtationumque diversitate tradenda nitidior ordo praeluceat. Percommoda plerisque visa est methodus, qua vulgo Aevi nostri Recentiores Scholastico-Polemicen in Scholis commentantur. At in eo quispiam deficere dixerit, quod suo tantisper interturbato ordine utriuslibet Theologiae natura, principia, & adserta pro Candidatorum captu confundantur; nec valeat utraque sat methodice addisci.

Commodius fortasse res procederet, si unaquaeque Theologia propriis discriminata & circumscripta materiis & dissertationibus, seorsim statis temporibus traderetur excolenda. Vel etiam ubi opportunius censeatur, si primo Theologici Cursus anno una traderetur Theologia Dogmatico-Polemica Fundamentalis, qualem nos jam apparavimus; ac reliquis deinceps posterioribus annis Una Scholastice; cui tamen in Tractatuum aut Dissertationum exordiis adjicerentur petpetuo Dogmata illa, quae suis locis eadem Scholastice supponit, aut elucidanda sumit; tum sacra ubertim eruditione communita ab Haereticorum objectis vindicarentur: unde plane firmius ac liberalius in Scholastices Disputationibus fluere posset oratio.

LVI.

Hujusce Methodi fere Author e Recentibus Scholasticis Laelius Zecchus.

Et hancce quidem methodum, tametsi partium ordine tantisper immutato, claro exemplo docuit celebratissimus suo aevo Italus *Laellius Zecchus*, alias laudatus, in Tractatibus Theologicis, quibus e Recentibus, quos viderim, Primus omnium universam Scholastico-Polemicam Theologiam compendioso, nitidoque stilo complecti aggressus est.

LVII.

Optat Author & Scholasticos exorat, ut suum adprobent sensum, ac in praxim redigi curent.

Paucis pro Dissertationis coronide sensum nostrum, diuturnis meditationibus conceptum, necnon plurium Doctorum calculis adprobatum, aperuimus. Reliquum est, ut expertissimi juxta ac sapientissimi Scholastices Magistri benevole eum cooptent, prudentique solicitudine, pro locorum ac temporum opportunitate, in praxim redigendum sataganr; quemadmodum & nos in Scholastices & Scholasticorum utilitatem, decus & ornamentum ex animo cupimus, enixeque eosdem obtestamur.

SUPPLEMENTUM
AD PRODROMUM I.
ex documentis noviſſime acceptis.

§. I.

Ad Cap. I. ſub Art. LVII. pag. 28.

CAeſar-Auguſtana Academia ſeſe jurejurando obſtrinxit ad Immaculatae Virginis Conceptionis defenſionem ſub an. 1618., id praecipue procurantibus *Balthaſare Andrès*, primario tunc temporis Urbis Conſule, Decretorum Doctore, & in eadem Academia Interprete, necnon *Hieronymo Aldovera*, Auguſtinenſi, veſpertinae Cathedrae Moderatore, ſuper eo argumento multa tum temporis perſcribente.

§. II.

Ad Cap. II. ſub Art. VI. p. 48.

Extra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, clarum Marianum Theologum Thomam Francès de Urrutygoyti fuiſſe ſuae Franciſcanae familiae Praeſidem in Aragouia, minime vero Barbaſtrenſem Epiſcopum, qualis tamen fuit ejuſdem germanus frater, Didacus Antonius, perdoctus quidem vir, & literatus, uti editi ejus Commentarii de Eccleſiis Cathedralibus, earumque Privilegiis & praerogativis, ac de Intruſione teſtantur.

§. III.

Ad Cap. III. ſub Art. XI.

In praeclarum, quem conteximus, Literatorum Hiſpanorum cenſum, jure quos ſubjicimus, referre licet.

P. 88.

Haec, quae grece ſonant *Ante viam*, praemittunt Theologi, quia eis via ſternitur ſtudentibus, ut alacrius laborem ſuſcipiant, praecognitis addiſcendae diſciplinae natura, dignitate, methodo, ceteriſque adtributis. Ergo ab Scriptoribus de iis Prolegomenis initium ducat Bibliotheca.

AU-

AUTHORES
SYSTEMATICI.

Magiſter Sent. l. 1. in Prol. ibiq. *Interpretes*, *D. Thom. D. Bonav.* heic & in Brevil. prolog. *Doctor ſubtilis Scotus* (ibique Interpretes in Scotum) *Dur. a S. Portiano*, *Guil. Eſtius* &c.

D. Thomas in Summa p. 1. q. 1. ibiq. *Interpretes*: Ex. D. P. *Franc. Suarez* S. J. in 1. p. D. Thom. tr. 1. l. 1. in prooem. *Th. de Vio Cajetanus*, *Chryſoſt. Javellus*, *Domin. Bañez*, *Joan. a S. Th. Bartholom. Medina*, *Gabriel Vazquez* S. J. *Greg. de Valentia* S. J. &c.

D. Bonavent. illuſtratus per *Petr. Trigoſum* Sum. Theolog. q. 1.

S. Albertus M. de Scientia Theologiae in Sum. Theol. tr. 1. tom. 17. inter ejus Opera.

Alex. Alenſis in Summa univerſae Theologiae par. 1. q. 1.

Angelus Vulpes in Summa Theolog. Scotiſtica t. 1. a diſp. 1. ad 4.

Ludov. Abelly Medulla Theologica t. 1. q. prooem.

Roder. Auriaga S. J. tom. 1. D. 1.

Franc. Amicus S. J. tom. 1. D. 1.

Joan. Bapt. Gonèt tom. 1. D. prooem.

Franc. Bonae-Spei tom. 1. D. prooem.

Auguſt. Reding. tom. 1. q. 1. controv. 3.

Phil. a SS Trinitate tom. 1. D-prooem.

Joan. Morandus Curſ. Theolog. tom. 1. quaeſt. prooem.

Nicol. de Niſſe in 4. Lib. Sent. ſeu Reſolution. Theologorum, qu. prooem.

Guilliel. Herincx Sum. Theol. in prologis.

Joan. Martinòn. S. J. t. 1. l. 1. tract. 1. prooem.

Martin. de Eſparza S. J. t. 1. prooem.

Thom. Compton Carletòn S. J. t. 1. D. 1. prooem.

Paul. a Conceptione t. 1. tr. 1. D. 1.

Joan. Gisbert S. J. t. 1. ſeu organo novae Theologiae q. 8. 9.

Honorat. Tournelyus t. 1. de Deo Diſp. praevia tot.

Dionyſ. Petavius S. J. Theol. dogm. t. 1. in proleg.

Creſcentius Kriſper in Theol. D. 1. prooem. tr. 1.

Paull. Mezger in Theol. D. 1. prooem. tr. 1.

Jo. Laurent. Berti in Theologia Hiſtorico-Dogmatico-Scholaſtica, In Prolegomenis.

Jacob. Platelius S. J. Synopſis Curſus Theologici p. 1. in prooem.

Vincent. Ludov. Gotti Theolog. Scholaſtico-dogmatica t. 1. tr. 1. Iſagogico.

Barthol. Durand, Clypeus Scoticae Theol. t. 1. Diſp. prooem.

Vincentius Ferrèr Epitome Curſus Theologici t. 1. D. prooem.

Joſ. Saenz de Aguirre Theol. S. Anſelmi t. 1. tr. 1. D. 2. 3.

Gaſpar Juenin Inſtitutiones Theologicae t. 1. in prolegom. Diſſert. 6.

Nicol. L'Herminier. in Summa Theologiae, in Prolegom.

Joan. Pontius. Theol. Curſ. integ. ad mentem Scoti Diſp. 1. tot.

Vincent. Contenſon. Theol. mentis, & cordis Diſſ. praeambula per tot.

Silveſt. Maurus S. J. t. 1. tract. prooem.

Joan. Bapt. Duhamel. t. 1. in prolegomenis.

Honorat. Fabri S. J. de Prolegomenis Theologiae, in Summula Theologica.

Thom. Mlodzianowski S. J. in Curſu Theol. tr. 1. in Prologo.

Dominic. Marinis in Th. q. 1. prooem

Ludov. Maeratius S. J. tr. 1. D. 1. de Prolegom. Theol.

Joan. Claud. Puteobonelli in qq ſelectis q. 1. in t. 1.

Joan. Zagaglia curſu Theol. ſecundum mentem Bacconi t. 1. contr. 1. de proleg.
Aug. Gibbonius t. 1. tr. de qq. praelim.
Raphael Averſa t. 1. p. 1. D. 1.
Ludov. Bancel t. 1. q. 1.
Gervaſius Pizzurni t. 1. q. 1.
Th. Ex Charmes t. 1. tr. praev.
Steph. Spinula t. 1. p. 1.
Andre. de la Moneda t. 1. D. 1.
Laur. a S. Tereſia t. 1. contr. 1.
Anton. Bouchat. in Theol. tom. 1. tract. prodromo.
Joachim. Navarro S. J. in Curſu Theol. in Prolegomenis.

TRACTATORES.

Melch. Canus de loc. Theolog. libris XII.
Henricus Gandavenſis in Summa par. 1. ab artic. 6. ad 20.
Ludov. Molina S. J. in 1. p. D. 1.
Petr. de Arrubal S. J. in 1. p. D. 1. &c.
Luiſ. Turrianus S. J. Diſput. ſelectae p. 1. D. 1. 2. 3.
Joan. Lallemandet t. 1. D. 1.
Leonard. Peñafiel S. J. t. 1. tr. 1.
Chriſtoph. Gillius S. J. de Sacra doctrina &c. lib. 1.
Ludov. de Ribas S. J. de Deo Uno, in Adparatu.
Ant. Bernaldus de Quirós S. J. de Deo tr. 1.
Matthias Borrull S. J. de Eſſentia Dei Diſſert. 1.
Franc. a S. Auguſt. Macedo Collationes doctrinae S. Th. & Scoti t. 1. a Collat. 1. ad 5.
Franc. Zumel in 1. p. D. Th. q. 1.
Joan. Ferrerius S. J. de Deo Uno lib. prooemiali per tot.
Dionys. Blaſco Theol. Bachonea tr. 1.
Petr. a S. Joſeph Fulienſis, in Idea Theolog. ſpeculativae, in prooem.
Franc. Dulugo S. J. tr. de proleg. Theol. l. 1. q. 1. D. 1.
Joſeph Auguſtinus de prol. Th. t. 1. q. 1. in 1. p. D. Th.
Franc. Vekenus S. J. D. 1. in 1. p. D. Th.
Ludov. Ellies Dupinius tr. de doctrina Chriſtiana & Orthodoxa.
Petrus Annatus in Appar. ad poſitivam Theologiam methodico l. 1. ab art. 1. ad 8.
Balthaſſar Francolinus S. J. in tirocinio theolog.
Carolus d'Argentrè in Elementis theologicis.
Joſeph. Gautier S. J. in Prodromo ad Theolog. Dogmatico-Scholaſticam fere per tot.
Xaver. Mannhart S. J. in Diſſert. theolog. de indole, ortu, progreſſu & fontibus ſacrae doctrinae.
Corolus Joan. Denina de ſtudio theologiae & norma fidei.
Franc. Davenportius in Syſtemate fidei.
Alexander Mazzinelli de locis theologic.
Joan. Bapt. Prileſzki in Prolegomenis theologicis.
Joan. Durelles in Dialecticothea per tot.
Joan. Baptiſta Dall'Occa in Inſtit. theol. tom. 1. ubi de locis theologic.
Emmanuel Maignan in Philoſ. ſacra cap. 1. par. 2. ubi de Locis theolog.
Joan. Saguens de perfectionibus divinis tom. 1. in Prooemialibus theologicis.
Joſ. Monſchein S. J. in Theol. Dogmatico-ſpeculativa tr. 1. in qq. prolegomenis.
Seraphinus Ractius de locis theolog.
Nicol. Auguſtin. Chignoli in Praelect. theolog. p. 1. t. 1. de Locis theolog. Adde ceteros bene multos de eiſdem locis agentes, qui facile conſuli poſſunt.

PRO-

PROLEGOMENON I.

De Theologia generatim.

PROLUSIO POLEMICO-HISTORICA

De Erronibus in Sacram quamlibet Theologiam.

§. I. *De Theologiae Etymo, Notione, Ortu, Progreſſu.*
§. II. *De Theologiae Diviſionibus.*
§. III. *De Convenientia, & Diſcrimine inter praedivisas Theologias.*
§. IV. *De Locis Theologicis.*
§. V. *De ſubſidiis Rationis naturalis, Hiſtoriae, Critices & Rei ſacrae Antiquariae pro ſtudiis theologicis.*

PROLEGOMENON II.

De Theologia Dogmatica ſpeciatim.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De primis & praecipuis Haereſiarchis Dogmatices Hoſtibus per duo priora Chriſtiana Secula.

§. I. *De ejus Notione, Diviſione, Ortu, Progreſſu.*
§. II. *De ejus praeſtantia & Objecto.*
§. III. *De ſancto verae Religionis Dogmate.*
§. IV. *De Anti-Dogmate, ſeu de errore Dogmati oppoſito.*

PROLEGOMENON III.

De Theologia Scholaſtica ſpeciatim.

PROLUSIO HISTORICO-CRITICA

De Theologiae Scholaſticae Obtrectatoribus.

§. I. *De ejus Notione, Origine, Progreſſu.*
§. II. *De ejus Adtributis.*
§. III. *De optima ratione eam tradendi.*
§. IV. *De Diviſione Scholarum, & Syſtematum circa eam.*
§. V. *De receptioribus circa eam Syſtematis.*
§. VI. *Noſtrum Syſtema.*

UNIVERSAE THEOLOGIAE

DOGMATICO-SCHOLASTICAE

PARS I.

DEUS UNUS AC TRINUS.

Hinc omnes pene Syſtematici Theologicam doctrinam exordiuntur; quoniam haec unice Pars eſt Theologia immediata, & directa, quamobrem prae ceteris nobilior, ac difficilior; agit enim immediate, ac directe de Deo, ſeu de Dei Praedicatis, qua talibus, nimirum abſolutis, & relativis, neceſſariis, & liberis, ac pure contingentibus. Arcana haec quis niſi divino communitus Auxilio reverenter penetrare adgrediatur?

TRACTATUS I.

DE DEO UNO.

LIBER I.

De Natura Dei.

A Naturae divinae Praedicatis initium ſumimus, utpote prioribus, & magis obviis, tum Deum, tum Dei Naturam perquirenti.

AUTHORES SYSTEMATICI *ſub hoc titulo.*

Mag. l. 1. Diſt. 8. 22. 36. 37. 42. 43 44. & alias; ibique *Interpretes.*
D. Th. 1. p. a q. 2. ad 13. & q. 21. 25. 26. ibiq. *Interpretes.*
Suar. hic t. 1. tr. 1. l. 1. 2.
Ceteri, qui ſupra (p. 217. ubi de Syſtematicis) in ſuis reſpective locis.
Item *D. Bonaventura* in Brevil. p. 1. paſſim. Et alibi.
Martin Becanus S. J. Summa Theologiae ſchoiaſticae p. 1. tr. 1.
Richard. Arſdekin S. J. t. 2. in Theologia Speculativa p. 1. c. 1. 2. 3.
Joan. Marin S. J. tr. de Deo.
Georg. Rhodes S. J. Theologiae Scholaſticae t. 1. D. 1.
Dominic. Viva S. J. Curſus Theologicus par. 1.
Ludov. Caſpenſis Curſus Theologicus t. 1. tr. 1.
Ludov. Thomaſſinus tr. de Deo.
Joan. de Ulloa S. J. de Dei Adtributis t. 1. D. 1.
Euſeb. Amort Theol. eclectiva t. 1. D. 1.
Praepoſit. a q. 2. ad 11. & q. 13. & 18. 21. 25. 26.
Granad. in Theol. controv. 1. a tr. 1. ad 3. & tr. 5.
Petrus de Godoy in D. th. t. 1. tr. 1. p. 2.
Edmundus Simonnet S. J. Theol. Scholaſtico-dogmatica t. 1. tr. 1. D. 1.
Gabr. Antoine S. J. Theol. Scholaſtico-Dogmat. t. 1. tr. 1.
Chriſtoph. Haunoldus S. J. Th. ſpec. l. 1. tr. 1. c. 1. & deinceps.
Joan. Bapt. Gormàz S. J. t. 1. tr. de Deo.
Sfortia Pallavicinus S. J. l. 1. de Deo.

TRACTATORES *ſub hoc titulo.*

EX PATRIBUS.

S. Dionyſius Areop. lib. de divinis Nominibus, & l. de Myſtica Theologia, & Epiſt. 2. ad Cajum Monachum.
Annius Philo Hebraeus in lib. *Quod Deus ſit immutabilis.*
S. Hegeſippus l. de Monarchia Dei.
S. Irenaeus l. de Monarchia.
S. Epiphanius contra Audeanos.
S. Baſilius hom. quod Deus non ſit Author malorum.
Prudentius Clemens in Apotheoſi ſeu tr. de Divinitate.
Niceas l. de fide in unum Deum.
S. Joan. Chryſoſtomus homiliae v 1. de incomprehenſibili natura Dei contra Anomaeos.
S. Auguſt. l. de Trinitate & unitate Dei, & l. de Eſſentia Divinitatis.
S. Hieronymus Epiſt. de decem Myſticis nominibus Dei, ad Marcellam.
Theophilus Alexandrin. Epiſc. tr. contra Antropomorphitas.
S. Cyril. Alexandrinus Epiſc. ad Caloſyrium adverſus Antropomorphitas.
Anaſtaſius Sinaita Quaeſtione adverſus eos, qui dicunt in divinis tres eſſentias, & orat. dogmat. de Incircunſcripto.
S. Iſidorus in tr. Etymologiar. l. 7. c. 1.
Flacc. Alcuinus in confeſſione fidei, ſeu doctrina de Deo.
S. Joan. Damaſcenus de fide orthodo-

xa l. 1. c. 3. 4. 5. & l. 4. c. 20. 21. & alias.

Theodor. Abucara Dialog. de Deo & Deitate, & Dial. de authore boni & mali.

S. Petr. Damianus Opuſc. de Dei omnipotentia.

Franco Abb. Affliginienſ. libri XII. de gratia, ſeu beneficentia Dei.

S. Anſelmus in Monologio.

Rupertus Abb. Tuitienſis l. de Omnipotentia Dei.

Hugo Victor. tr. de cognitione Divinitatis.

Joan. Ciparissiota Decades X. de Deo.

EX SCHOLASTICIS.

D. Th. in qq. diſputatis de Potentia Dei q. 1. & 7. Item contra Gentiles l. 1. a c. 11. ac deinceps. In Opuſc. contra errores Graecotum. In Compendio Theologiae. Et ſaepe alibi.

Suarez de Juſtitia Dei. Opuſc. 6.

Henric. a Gandavo quodl. 1. q. 1. & quodl. 5. a q. 1. ad 5. & quodl. 8. q. 2. & quodl. 11. q. 2. & in Sum. p. 2. ab art. 21.

Leonard. Leſſius S. J. de Perfectionibns moribuſq. divinis, per libros 13.

Chriſtoph. Ortega S. J. t. 1. controv. 1.

Didacus Avendaño S. J. Problemata Theologica Sect. 1. 2. 3.

Sebaſt. Izquierdo S. J. de Deo Uno fere per tot.

Thom. Munieſſa S. J. de Eſſentia, & Adtributis Dei.

Phil. Moncaeus S. J. Diſp. Theol. D. 1.

Turrian. Selec. p. 1. D. 4. 5. 6. 7. 32.

Ribas tr. 1. 2.

Quir. in ſelectia DD. tr. 2.

Gillius de Eſſent. & Attrib. Dei l. 2.

Arrub. cit. a DD. ad 12. & D. 28.

Lallemandet T. 1. a D. 2. ad 5. & D. 7. 9. 12.

Fr. Ant. Perez in Laurea Salmantina, Certamine 1. Scholaſtico.

Jul. Caeſar Recupitus S. J. de Adtribut. t. 1. l. 1. q. 1.

Georg. Hemelmàn. S. J. in Theol. t. 1.

Franc. Delugo S. J. tr. de Deo.

Joſ. Augnſtinus tr. de Deo.

Joan. Guilleminot S. J. qq. de Dei exiſtentia, eſſentia, adtributis, in qq. ſelect. t. 1.

Petrus a S. Joſeph. de perfect. Dei l. 1.

Bernard. Avargas tr. de Deo Uno, & Trino.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Petrus Lami Atheiſmus everſus.

Fenelonius Arch. Camber. tr. de Exiſtentia Dei.

Thom. Campanella Atheiſmus triumphatus.

Carteſius Meditationes.

Natalis Alexander Diſſert. de Unitate Dei, & aliae adverſus Valentinianos circa Aeonum fabulam.

Mallebranchius de inquirenda veritate.

Fibus S. J. in Demonſtratione tripartita, & in probationibus naturalibus de Exiſtentia Dei.

Moniglia tr. adverſus Materialiſtas.

Hornbekius in Socianiſmo confutato, paſſim.

Mareſius in Hydra Socianiſmi expugnata.

Jo. Franc. Buddaeus Comment. de Atheiſmo.

Nicol. Du-Nourry in Adparatu ab Bibl. Max. Lugdunenſem tom. 2. Diſſ. 3. cap. 12. 13. 15. & Diſſ. 4. c. 7.

Radulphus Cud-Worthus in Syſtematis intellectualis hujus Univerſi commentario, cum notis *Joan. Laurentii Moshemii*, plura ſelectaque ſparſim de Dei Exiſtentia, aliiſque Adtributis.

Theophilus Raynaudus in Theol. naturali a Diſtinct. 5. ad 7.

Jaquelotius Diſſertationes de Exiſtentia Dei.

Thomas Maria Cerbonius in Comment. de Theologia naturali l. 1. de Exiſtentia Dei.

Emmanuel Maignan in Philoſoph. ſacra tom. 1. a cap. 2. fere uſque ad 20.
Joan. Saguens in tr. 1. de Deo & perfectionibus ejus negativis, & tom. 2. diſp. 6. de Sanctitate divina.

CAPUT I.

De Exiſtentia Dei.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Dei exiſtentiam & Unitatem.

CAPUT II.

De Eſſentia Dei.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Dei Eſſentiam.

CAPUT III.

De Adtributis Dei.

§. I. *De Adtributis Dei generatim.*

§. II. *De Adtributis Dei ſigillatim: de Simplicitate, Omnipotentia, Aſeitate, Aeternitate.*

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Dei Simplicitatem, Omnipotentiam, Aeternitatem.

§. III. *De Immenſitate, Vita, Immutabilitate.*

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Dei Immenſitatem, Vitam, Immutabilitatem.

§. IV. *De Miſericordia, Iuſtitia, Inviſibilitate, Incomprehenſibilitate, Subſiſtentia abſoluta.*

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Dei Juſtitiam, Inviſibilitatem, Incomprehenſibilitatem.

LIBER II.

De Scientia Dei.

Id Adtributum librum integrum replet, uti Adtributum Voluntatis, aut Volitionis librum alterum, quia utrumque gravioribus ſcatet difficultatibus, ap. AA. Et quoniam Intellectio Volitioni praecedit, hunc librum ſubſequenti praeponimus.

AUTHORES SYSTEMATICI *ſub hoc titulo.*

Mag. l. 1. a Diſt. 25. ibique *Interpretes.*
D. Th. 1 p. q. 14. 15. 16. 17. ibique *Interpretes.*
Suarez heic t. 1. tr. 1. l. 3. a c. 1. ad 5.
D. Bonav. Brevil. p. 1. c. 8.
Salmanticenſes Curſus Theolog. tr. 3.
Ceteri, qui ſupra, in ſuis reſpective locis.

TRACTATORES *ſub hoc titulo.*

EX PATRIBUS.

S. Joan. Damaſcenus in Parallelis l. 1. c. 2. & de fid. l. 2. c. 30.

S. Au-

S. Auguſt. de Civ. l. 5. c. 9. & l. 12. c. 22 & 27. & in l. de 83. qq. q. 17. de Scientia Dei, & l. de octo Dulcitii quaeſtionibus, ad q. 5.
Saepeſaepius Patres laudati ubi de Dei Adtributis, Voluntate, Providentia.

EX SCHOLASTICIS.

D. Th. in qq. diſput. de Veritate q. 2. 3. Item contra Gentil. l. 1. a c. 44. ad 71. & alibi.
Suar. de Scientia Dei futurorum contingentium opuſc. 2.
Ludov. Molina S. J. Concordia liberi arbitrii cum Gratia, Praedeſtinatione &c. paſſim.
Didac. Ruiz. de Montoya S. J. tr. de Scientia, Ideis, & Veritate Dei.
Didac. Alarcon S. J. tr. 2. de Scient. Dei.
Valentin. Herice S. J. tr. 1.
Auguſt. Herrera S. J. de Scient. Dei
Matt. Borrull S. J. de Scientia Media.
Avendaño Problem. Theolog. a ſect. 5. ad 8.
Quiros cit. de Deo tr. 4.
Peñafiel cit. t. 1. tr. 8.
Ortega cit. t. 1. controv. 2.
Gabr. de Henao S. J. Scientia Media hiſtorice propugnata per duos tomos.
Nicol. Martinez de Scient. D. 1v. Diſputationes.
Phil. Aran. S. J. Schola Scientiae Mediae tr. 1.
Didac. Quadros S. J. (alias *Martin. Ortizius*) Caduceus Theologicus t. 1. & 2. ubi ſparſim de Scient. Media.
Gandav. quodl. 2. q. 1. & quodl. 7. q. 1. 2. & quodl. 8. q. 1. 2.
Moncae. D. 3.
Rib. tr. 4.
Praepoſ. q. 14. & deinceps.
Franc. Annatus S. J. de Scient. Med. t. 1.
Gran. controv. 2. per tot.
Arrub. cit. a D. 29. ad 48.
Lallem. t. 1. D. 8.
Paul. Leonard. Apol. pro Scientia Media.
Nonnius Narbort. de Ordine, deque priori, & poſteriori, pro doctrina de divinis, Scientiis, Praemotione &c.
Franc. Macedo t. 1. collat. 11.
Julius Caeſar Recupitus t. 2.
Franc. Zumel. de variis t. 1.
Georg. Hemelmàn: tr. de Scient. Dei.
Vincent. Ramirez S. J. de Scientia D. tomi duo.
Hieronym. Vives contra Scientiam Mediam tomi duo.
Guilleminot. in qq. ſel. t. 1. de Scientia Dei.
Avargas tr. de Deo Sciente.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Gabriel Daniel S. J. Epiſt. de Scientia Dei ad R. P. Nat. Alexandrum.
Georgius Scholarius tr. de Praedeſtinatione, quem latinitate donavit Carolus Libertinus S. J: ubi de Scientia Media.
Ignat. Graveſon in Epiſtolis contra Scientiam Mediam.
Xaver. Mannhart de ingenua indole Scientiae Mediae.
Serryus & *Meyerus* in ſuis hiſtoriis Congreg. de Auxiliis.
Raynaud. in Theol. natur. Diſt. 8. q. 1.
Emm. Maignan in Philoſ. ſacra tom. 1. cap. 10.
Saguens tom. 2. diſput. 1.

CAPUT I.

De Scientia Dei generatim.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Dei Scientiam.

§. I. *Ejus Diviſiones, Actus, Proprietates.*

§. II.

§. II. *Ejus Objectum.*
§. III. *Cetera relata ad Deum percurrit.*

CAPUT II.

De Scientia Dei ſigillatim.

§. I. *De Scientia Simplicis Intelligentiae.*
§. II. *De Scientia Viſionis.*
§. III. *De Scientia Media directa.*
§. IV. *De Scientia Media reflexa.*

LIBER III.

De Voluntate Dei.

Amor Cognitionem ſubſequitur, ideo poſt quaeſtionem de Intellectu, & Scientia Dei, de ejuſdem Voluntate, & Voluntatis actibus agendum Methodus docet.

AUTHORES
SYSTEMATICI
ſub hoc titulo.

Mag. l. 1. a Diſt. 45. ad 48. ibique *Interpretes.*
D. Th. 1. p. q. 19. 20. Ibique *Interpretes.*
Suar. t. 1. tr. 1. l. 3. a c. 6. ad 8.
D. Bonav. Brevil. p. 1. c. 9. & alibi.
Ceteri, qui ſupra, in ſuis reſpective locis.

TRACTATORES
ſub hoc titulo.
EX PATRIBUS.

S. Aug. de Civ. l. 11. c. 21. & l. 12. c. 14. & in 83. qq. q. 28. & Epiſt. 11. ad Valentinum.
S. Damaſcen. in Paral. l. 1. c. 53.
Anonymus tr. de vocatione omnium Gentium l. 2. c. 19. & ſeqq. & l. 1. ſaepe.
Rupertus Ab. Tuitienſ. l. de Volunt. D.
Hugo Victorinus de poteſtate & voluntate Dei, utra major ſit; & de Voluntate Dei aeterna & una.

EX SCHOLASTICIS.

D. Thom. in qq. diſput. de Veritate q. 23. Item contra Gentil. l. 1. a c. 72. &c. Et ſaepe alibi.
Suar. de libertate Divinae Voluntatis opuſc. 4.
Ruiz de Montoya tomo integro.
Guilleminot. in qq. ſelect. t. 1. de Vol. Dei.
Avargas tr. de Deo Volente & Praedeſtinante.
Borrull tomo integro.
Lallem. t. 1. D. 10.
Herice., *Avendaño.*, *Peñafiel.*, *Alarcon.* Item *Ortega.*, *Quiros.*, *Ribas.*, *Arrubal.* ſuis reſpective locis.
Jul. Caeſar Recupit. t. 2.
Nicol. Segura tomo 1. tr. 3.
Georg. Hemelmàn. tr. de Vol. Dei.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Mallebranchius de natura & gratia ſparſim.
Anton. Arnaldus in animadverſionibus Philoſophicis ac Theologicis ſparſim.
Raynaud. in Theol. nat. Diſt. 8. q. 2.
Maign. in Philoſ. ſacra tom. 1. cap. 9. & 12. & 13.
Saguens tom. 2. Diſp. 2. de Libertate Divina.
Laurentius Alticotius S. J. in Summa Auguſtiniana t. 6. quaeſt. 1. & 2.

CAPUT I.

De Perfectione Divinae Voluntatis generatim.

PROLUSIO HISTORICA

De Erronibus in Dei Voluntatem.

§. I. *Ejus Divisiones, Proprietates, Adfectiones.*
§. II. *Ejus Actus, & Virtutes.*
§. III. *Ejus Objectum.*
§. IV. *Cetera leviora.*

CAPUT II.

De Voluntatis Divinae Libertate.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Divinae Voluntatis Libertatem, Sanctimoniam, Aequitatem.

§. I. *De Libertate Dei in actu primo.*
§. II. *De Libertate Dei in actu secundo.*

CAPUT III.

De Divinae Voluntatis Efficacia in decretis praefinitivis.

TRACTATUS II.

DE DEO PROVIDENTE.

Pertractandum succedit Divinae Providentiae Adtributum, quod ex Intellectus, & Voluntatis actibus coalescit, & in quo quasi praxis utriusque potentiae actuum elucet. Tractatum integrum complet; quia super ipso fusius, & ingeniosius disputat Schola nostra, praehabito fundamento a duobus praecedentibus libris.

LIBER I.

De Divina Providentia generatim.

AUTHORES SYSTEMATICI *sub hoc titulo.*

Mag. l. 1. Dist. 40. 41. Ibique *Interpretes.*
D. Th. 1. p. q. 22. Ibique *Interpretes*
Suar. t. 1. tr. 1. l. 3. c. 10.
Ceteri, qui supra, in suis respective locis.

TRACTATORES *sub hoc titulo.*

EX PATRIBUS.

S. Gregor. Nyssen. Tr. dogmaticus de Fato, & in Carmine arcano v.
Diodorus Episcop. Tr. de Fato, ac Tr. de Providentia.
S. Chrysost. hom. v. de Providentia & Fato, & libri III. de divina Providentia.
Theodorus Antiochenus de permissione peccati libri v.
Theodoretus Cypri Episc. sermon. de D. Providentia.
S. August. de Civ. l. 4. c. 33. & l. 5. c. 1. & 11.
Salvianus l. VIII. de gubernatione Dei.
S. Damascen. de fide l. 2. c. 29.
Synesius Ep. Cyrens. libri II. de Providentia.
Nemesius Ep. Emissen. in l. de natura hominis a c. 42. ad 44.
Anonymus perantiquus Carmen de Providentia Dei.
Anonymus de Vocatione omnium Gentium l. 1. c. 22. & l. 2. saepius.

S. Paulinus Ep. *Nolanus* Poema XIX. de Providentia.

EX SCHOLASTICIS.

D. Th. in qq. disput. de Verit. q. 5. Item contra Gent. l. 3. a c. 71. Et saepe alibi.
Andr. Junius S. J. tom. integro.
Ruiz de Montoya tom. integro.
Muniessa tomo integro.
Franc. Palanco tom. integro.
Arrub. a D. 63. ad 92.
Lallem. tom. 1. D. 2.
Franc. de Arriba Concordia Praedestin. cum libertate creata &c. tom. 1. cum 4. libris.
Ambr. Catharinus tr. de Praescient. & Provid. Dei.
Aran. Schol. Scient. Med. tr. 2.
Herice, *Avendaño*, *Ribas*, *Peñafiel* Item *Quirós*, *Ortega*, *Moncae* suis respective locis.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Nicol. Le-Nourry de D. Providentia in Adparatu tom. 2. Diss. 1. c. 6. & Diss. 3. c. 14. & c. 41.
Raynaud. in Theol. nat. Dist. 8. q. 3.
Maign. Philos. sacra c. 14.
Saguensius tom. 2. Disp. 3.

CAPUT I.

Essentia Metaphysica, Divisiones, Proprietates Divinae Providentiae.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Dei Providentiam.

CAPUT II.

Essentia physica Divinae Providentiae.

§. I. *De Actibus Intellectus ad Divinam Providentiam spectantibus, quoad Scientiam naturalem, & liberam.*

§. II. *De Actibus Intellectus ad Divinam Providentiam spectantibus, quoad Scientiam stricte Mediam.*

§. III. *De Actibus Voluntatis ad Divinam Providentiam spectantibus.*

LIBER II.

De Divina Providentia Praedestinante.

AUTHORES SYSTEMATICI *sub hoc titulo.*

Mag. l. 1. Dis. 40. 41. Ibique *Interpretes*.
D. Th. 1. p. q 23. 24. Ibique *Interpretes*.
Suar. t. 1. tr. 2.
D. Bonav. Brevil. p. 1. C. 8.
Ceteri, qui supra, in suis respective locis.

TRACTATORES EX PATRIBUS.

S. August. l. de praedestinatione sanctorum, & l. de dono perseverantiae, & l. de corrept. & gratia.
S. Fulgent. Rusp. l. de veritate Praedestinationis & gratiae.
Amulo opusc. de Scient. & Praedestinat. divina.
Florus Lugdun. lib. & sermo alter de Praescientia & Praedestinat. contra Joan. Scotum.

S. Pru-

S. Prudentius Galindus tr. de Praedeſtinat. contra ipſum Joan.
Ratramnus l. II. de Praedeſtinat.
Hincbmarus Arch. Remenſ. libr. III. de Praedeſtinatione Dei & libero arbitrio.
Honorius Auguſtodunenſ. tr. de Praedeſtinatione &c.

EX SCHOLASTICIS.

D. Th. in qq. diſput. de Verit. q. 6.7.
Molina in Concordia &c. ad 1. p. D. Th. q. 23. art. 5. a Diſp. 1.
Gandav. quodl. 4. q. 19.
Alarc. p. 1. tr. 4.
Laurent. Brancatus de Lauraca opuſc. 1. 2.
Franc. Carthagena de Praedeſt. & Reprobat.
Cathar. libri 3.
Franc. Macedo t. 1. Collat. 12.
Jul. Caeſar Recupitus de Signis Praedeſtin. & Reprob. tr. duo.
Thyrſus Gonzalez S.J. Diſp. ſelect. t. 2.
Vincent. Ramirez de Praedeſt. tomi duo.
Guilleminot. de Praedeſt. in qq. ſelec. t. 1.
Zumel tr. de Praedeſt. t. 2.
Avargas tr. de Deo Volente & Praedeſtinante.
Ruiz, *Munieſſa*, *Herice*, *Palanco* in ſuis reſpective locis.

EX ALLIIS THEOLOGIS.

Marchio Maffejus in hiſtor- theologica l. 10. & 11.
Nat. Alexander Diſſert. de Praedeſtinatiana haereſi.
Ducheſne, & *Cellotius* & *Jac. Sirmondus* S. J. in hiſt. Praedeſtinatiana.
Uſſerius, *Noriſius*, *Mabillonius* in defenſionibus Gotteſcalchi.
Calmetus Diſſ. in Praedeſtinationem & Reprobationem hominum.
Saguens tom. 2. Diſp. 4.
Gilbertus Mauguinus Vindiciae Praedeſtinationis.
Maignanus Philoſ. ſacra cap. 41.
Carolus Renatus Billuart Synopſis hiſtorica eorum, quae geſta ſunt in cauſſa Gotteſcalchi, & Digreſſio hiſt. num Gotteſcalchus errores ſibi imputatos revera docuerit? & Digreſ. hiſt. de haereſi Praedeſtinatiana.
Laurent. Alticotius in Summa Auguſtiniana tom. 1. q. 6. & tom. 6. in Praefatione hiſtorica de Praedeſtinatianis.

CAPUT I.

Expenditur natura Providentiae Praedeſtinantis.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Deum Praedeſtinantem.

CAPUT II.

Cauſſa, & Effectus Providentiae Praedeſtinantis.

CAPUT III.

Liber Vitae, ac Numerus Praedeſtinatorum.

LIBER III.

De Divina Providentia Reprobante.

AUTHORES SYSTEMATICI *ſub hoc titulo.*

Mag. l. 1. Diſt. 40. 41. Ibique *Interpretes.*

D. Th. 1. p. q. 23. art. 3. ibiq. *Interpretes*.
Ceteri, qui ſupra, in ſuis reſpective locis.

TRACTATORES
ſub hoc titulo.

EX PATRIBUS.

B. Servatus Lupus l. de tribus Quaeſtionibus, quarum altera de Praedeſtinatione bonorum & malorum.
Anonymus in tr. de vocatione omnium Gentium libr. III. ſparſim.
S. Auguſt. laudatus ubi de Providentia generatim, ac de Providentia Praedeſtinante, ſparſim.
Ceteri fere, quos laudavimus, ubi de Providentia generatim, ac de Providentia Praedeſtinante.

EX SCHOLASTICIS.

Qui ſupra ſub Lib. II.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Calmet. Diſſ. in Praedeſtinat. & Reprobationem hominum.
Saguens proxime laudatus.

CAPUT I.

Expenditur natura Providentiae Reprobantis.

PROLUSIO POLEMICA
HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Deum Reprobantem.

CAPUT II.

Cauſſae, & Effectus Providentiae Reprobantis.

CAPUT III.

Liber Mortis, & Numerus Reproborum.

COROLLARIUM.

TRACTATUS III.

DE DEO TRINO.

Poſt Abſoluta Dei Adtributa ſuccedunt explicanda Relativa, quae neceſſaria ſunt, & conſtituunt Sanctiſſimum Trinitatis Myſterium, ut & illa Dei Eſſentiam conſtituunt. Integrum opplent Tractatum, ob multas, & arduas difficultates, quibus hoc Arcanum obvolvitur.

LIBER I.

De Divinis Perſonis univerſe.

AUTHORES
SYSTEMATICI
ſub hoc titulo.

Mag. l. 1. D. 2. 3. 4. & 19. ad 21. & 23. ad 28. Item Diſ. 33. 34. Ibique *Interpretes*,
D. Th. 1. p. a q. 27. ad 32. item a q. 39. ad 43. Ibique *Interpretes* cum *Bartholom. Torres*.
Suar. t. 1. tr. 3. a l. 1. ad 7. & l. 12.
D. Bonav. Brevil. p. 1. c. 2.
Ceteri, qui ſupra, in ſuis reſpective locis.

TRACTATORES
ſub hoc titulo.

EX PATRIBUS.

S. Dionyſius Alexandrinus l. de Trinitate.
S. Hilarius libris XII. de Trinitate.
S. Gregor. Nazianzen. Orat. 25. & 29. & Epiſt.

& Epiſt. de Deo Uno & Trino ad Evagrium.

S. Gregor. Nyſſenus l. de fide Trinitatis ad Simplicium; & l. de Trinitate ad Ablavium, & tr. de Trinit. adverſus Judaeos,

Didimus Alexandr. l. contra Arianos.

S. Ambroſius libri v. de fide, ſeu de Trinitate ad Gratianum Auguſtum.

Diodor. Epiſc. tr. de Trinitate.

S. Chryſoſt. hom. de Trinitate.

S. Hieronymus Literae II. de Hypoſtaſibus ad Damaſum.

Evodius Epiſc. tr. de Trinitatis unitate contra Manichaeos.

S. Auguſtin. lib. xv. de Trinitate &c.

S. Cyril. Alex. lib. VII. de Trinitate.

S. Damaſcen. de fide l. I. c. 8.

S. Fulgent. Ruſpen. l. de Trinit.

Vigilius Epiſc. Tapſenſis libr. XI. de Trinit.

Boethius Severinus l. de unitate Trinitatis.

S. Maximus M. centuriae VII. de Trinitate &c.

S Iſidor. tr. Etymol. l. 7. c. 4.

Flacc. Alcuinus lib. III. de fide Ss. Trinitatis.

Paulinus Patr. Aquilei. l. de Ss. Trinit. qui dicitur *ſacroſyllabus*.

S. Benedict. Anianenſis in teſtimoniorum nubecula de Ss. Trinitate &c.

Ratramnus l. de Trina Deitate.

Theod. Abucara de nominibus trium Perſonatum Dialog.

Mich. Pſellus l. de Ss. Trinit. adverſ. Neſtorianos.

S. Anſelm. in Monologio, & in Proſologio, & in l. de fide Trinitatis &c.

Rupert. Abb. l. de glorificatione Trinitatis.

Richard. Victorinus libri VI. de Trinit. & l. de tribus adpropiatis Perſonis.

S. Thomas a Villanova ſermones II. de Ss. Trinitate.

EX SCHOLASTICIS.

D. Th. qq. diſput. de Potentia Dei q. 2. 8. 9. 10. De Verit. q. 4. &c. & ſaepe alibi.

Greg. Valent. S. J. de Trinitate & Unitate Dei libris IV.

Ruiz. tom. integro de Trinitate.

Franc Zuñiga S. J. tom. de Trinit.

Borrull. tom. de Trinit.

Avendaño t. 2. fere toto.

Quirós t. 2. tr. 7.

Peñafiel t. 2. tr. 14.

Gandav. quodl. 3. q. 3. 4. & quodl. 4. q. 1. 2. 4. & quodl. 5. a q. 6. ad 9. & quodl. 6. q. 1. 2. 3. & quodl. 12. q. 2.

Arrub. t. 2. a D. 1. ad 14.

Alarc. tr. 5.

Franc. Perez laurea Salman. certam. 1. Scholaſt.

Franc. Macedo t. 1. a Collat. 5. ad 10.

Albar. Cardin. *Cienfuegos* AEnigmata Theologica tomi duo.

Petr. a S. Joſeph l. 2. a c. 1. ad 8.

Nicol. Segura de Trinit. t. 1. tr. 1.

Thyrſus Gonzalez Diſp. ſel. t. 2.

Coninch. tr. de Trin.

Franc. Delugo tr. de Trin.

Guilleminot. qq. de exiſtent. Trinit. & de proceſſionib. divinis in qq. ſelect.

Avargas tr. de Deo Uno & Trin.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Georgius Bullus in Defenſione fidei Nicaenae.

Joſeph Blanchinius ad Enarrationem Pſeudo-Athanaſianam.

Maffejus in Opuſculis Hiſtoriae Theologicae adjectis.

Nat. Alexander Diſſert. contra Praxeanos, Noetianos, & Sabellianos.

De Rubeis Diſſ. pro Trinitate adverſus Samuelem Crellium, alioſque.

Petrus Curti S. J. Diſſert. pro Trinit. contra Judaeos & Haereticos omnes Anti-Trinitarios.

Du-

Dupinius de doctrina Veterum Patrum de Trinitate.
Cajetanus Meratius Dif. de Authore & tempore Symboli, quod S. Athanaſii dicitur.
Calmet. Diſſ. in illud *tres ſunt* &c. ex 1. Joan. 5. 7. hoc eſt de tribus teſtibus Ss. Trinitatis.
Joan. Lami de recta chriſtianorum fide & ſententia circa D. Trinitatis Myſterium libri IV.
Maign. Philoſ. ſacra cap. 14.

CAPUT I.

Myſterii Trinitatis cognoſcibilitas.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Ss. Trinitatis Myſterium.

CAPUT II.

Quidditas Trinitatis.

§. I. *De Identitate & Diſtinctione Perſonarum in Myſterio.*
§. II. *De Proceſſionibus, earumque Principiis & Terminis.*
§. III *De Relationibus.*
§. IV. *De Subſiſtentiis.*

CAPUT III.

Proprietates adnexae, ſcilicet Notiones, Circuminſeſſiones, Miſſiones.

LIBER II.

De Patre & Filio.

AUTHORES SYSTEMATICI *ſub hoc titulo.*

Mag. l. 1. Dif. 5. 6. 7. 9. 20. 28. 29. 31. Ibique *Interpr.*
D. Th. 1. p. q. 33. 34. 35. Ibique *Interpr.*
Suar. t. 1. tr. 3. a l. 8. ad 10.
Ceteri, qui ſupra, in ſuis reſpective locis.

TRACTATORES *ſub titulo Filii.*

EX PATRIBUS.

S. Baſilius homil. ſuper τὸ *in principio erat Verbum.*
S. Gregorius Nyſſen. l. de Filii & Spiritus S. Divinitate, & tr. de differentia ſubſtantiae & Hypoſtaſeos & Arcano Carmine de Patre & Filio.
S. Chryſoſt. hom. de Verbi conſubſtantialitate.
S. Auguſt. quaeſt. de aequalitate Filii.
S. Fulgentius Ruſp. l. de Immenſitate Filii Dei.
S. Iſidor. tr. Etymologiar. l. 7. c. 2.
Theodorus Abucara Dial. de conſubſtantialitate Filii, & Dial. quod Filius ſemper generetur a Patre, & Dial. quod Verbum Dei ſit increatum.
S. Cyril. Hieroſ. Catecheſ. de Patre & Filio.
Damaſcen. de fid. l. 1. c. 6. 9. &c.

EX SCHOLASTICIS.

Qui ſupra ſub Lib. I.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Joſephus Placet de praeexiſtentia Verbi.
Nat. Alexander Differt. adverſ. Arianos, & Dif. qua in aliquot Patrum de Filii Divinitate mentem ſpecia-

ciatim inquiritur, & Diſſ. de voce ὁμοούσιον.

Maran de Divinitate Filii.

Chriſtian. Lupus Diſſ. prooemialis de haereſi Ariana, in tom. 1. operum.

Billuart. Digreſſio hiſtorica de Concilio Nicaeno in cauſſa Arii, & Digreſ. hiſt. de Concilio Ariminenſi, & Digreſ. hiſt. quandonam τὸ *Filioque* additum fuit Symbolo?

Xaverius Piacevich S. J. Colloquium inter Latinum & Graecum de additione particulae *Filioque* ad Symbolum fidei.

CAPUT I.

De Perſona Patris.

CAPUT II.

De Perſona Filii.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Filii Perſonam.

LIBER III.

De Spiritu Sancto.

AUTHORES SYSTEMATICI

ſub hoc titulo.

Mag. l. 1. à Diſt. 10. ad 18. & 32. Ibique *Interpr.*

D. Th. 1. p. q. 36. 37. 38. Ibique *Interpr.*

Suar. t. 1. tr. 3. l. 11.

Ceteri, qui ſupra, in ſuis reſpective locis.

TRACTATORES

ſub hoc titulo.

EX PATRIBUS.

S. Baſil. hom. de Spiritu S. & l. de Spiritu S. ad Amphilochium &c.

S. Greg. Nyſſen. l. de Filii & Spiritus S. Divinitate.

Didymus Alexandrinus l. de Spiritu S.

S. Ambroſ. libri III. de Spiritu S. ad Gratianum.

Diodor. Epiſc. tr. de Spiritu S.

S. Chryſoſt. hom. de Spiritu S.

Theodotus Epiſc. Ancyranus libri III. de Spiritu S.

Fauſtus Regienſis, aut *Reienſis* libri II. de Spiritu S.

S. Iſidor. tr. Etymol. l. 7. c. 3. & in l. ſententiar. c. 15.

S. Damaſc. de fide l. 1. c. 7. & 10. 11. &c.

S. Petr. Damianus opuſc. de Spiritus S. proceſſione contra Graecos.

S. Anſelm. l. ſeu Epiſt. de proceſſione Spiritus S. a Patre & Filio contra Graecos.

Rupert. Ab. de Spiritus S. proceſſione.

Richard. Victorin. tr. quomodo Spiritus S. ſit amor Patris & Filii.

EX SCHOLASTICIS.

Qui ſupra ſub Lib. I.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Le Quienius in Diſſ. 1. in lib. S. Joan. Damaſceni.

Leo Allatius in Graecia orthodoxa ſparſim, & in Vindiciis Synodi Epheſinae, & de Synodo VIII. Photiana, & alias.

Nat. Alex. Diſſert. adverſus Macedonianos, & Diſ. adverſ. Photium, alioſque Graecos Schiſmaticos, de Proceſſione Spiritus S. a Filio.

Ignatius Frantz S. J. Diſ. ſuper formulis Graecorum & Latinorum de confitenda Spiritus S. Proceſſione.

Petrus Pithoeus Hiſtoria Controverſiae de Spiritus S. proceſſione.

Nourryus de Spiritus S. Divinitate in tom. 1. adparat. l. 2. Diſſ. 6. c. 6. §. 3. & l. 3. Diſſ. 1. c. 4. ar. 2.

CA-

CAPUT I.

De Principio Spirativo Spiritus S.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Spiritus Sancti Principium.

CAPUT II.

De Persona Spiritus Sancti.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Spiritus Sancti Personam.

UNIVERSAE THEOLOGIAE

DOGMATICO-SCHOLASTICAE

PARS II.

DEUS PRINCIPIUM ET FINIS CREATURARUM.

Postquam Theologia Deum in Deo vidit, Deum videre pergit in Creaturis, quippe quae sunt *opera manuum suarum*, & quas *propter semetipsum operatus est Dominus*. A Theologia directa ad indirectam descendit: a Deo Uno & Trino ad Deum Creatorem progreditur, ubi universae Creationis principium, materiem, finem speculatur. Haec autem contemplatio ad perfectiorem Dei cognitionem & Mysteriorum fidei declarationem necessaria est; ac sub ea ratione ad nostram Theologiam spectat, teste *Suar.* de op. sex dierum tr. 2. in prooem.

TRACTATUS I.

DE CREATIONE RERUM.

LIBER I.

De Opificio sex dierum.

AUTHORES

SYSTEMATICI

sub hoc titulo.

Mag. l. 2. Dist. 1. & a Dist. 12. ad 15. Ibique *Interpr.*
D.Th. p. 1. q. 44. & deinceps, & a q. 65. ad 74. & q. 102. Ibique *Interpr.*
Suar. tom. integro.
D. Bonav. Brevil. p. 2. per tot.
Caeteri Systematici laudati, in suis respective locis.

TRACTATORES.

sub hoc titulo.

EX PATRIBUS.

Lactantius Firmianus l. de Opificio Dei.
S. Basilius homiliae saltem IX. in Opificium VI. dierum, & hom. de Paradiso.
S. *Ambrosius* Hexaëmeron lib. VI. & l. I. de Paradiso, & l. de arbore interdicta.
S. Greg. Nyssen. Hexaëmeron., seu historia de opere VI. dierum (& forte hoc ad Basilium aut alium spectat) & l. de hominis Opificio & Carmine arcano de Mundo.
S. Chrysost. in expositione Geneseos ad cap. I.
S. August. de Genesi contra Manichaeos, & tr. de arbore scientiae boni & mali.
S. Cyril. Alexandr. in cap. I. Geneseos.
Paterius in expositione cap. I. Geneseos.
Georgius Pisides Cosmographia, sive de Opere VI. dierum.

V. Be-

V. Beda l. de Opificio VI. dierum.
Rabanus Maurus in expositione cap. I. Genes.
Moyses Barcepha Episc. Syrus, l. de Paradiso.
Zacharias Ep. Mitylenensis Dialog. de Mundi Opificio contra Philosophorum disputationem.
S. Eustathius Patr. Anthiochen. comment. in Hexaëmeron.
Theodoretus Cyr. Ep. sermo de materia & mundo, ubi de curat. graecar. adfect.
S. Damasc. in Paral. l. I. c. 81. & de fid. l. 2. c. I. & 2. 5. 6. &c.

EX SCHOLASTICIS.

Albert. M. de prima creatione rerum tomo 19. tr. I. 2. 3.
D. Th. in qq. disput. de potentia Dei q. 3. 4. 5. & contra Gent. l. 2. a c. II. saepius.
Gandav. quodl. 8. q. 6. quodl. 9. q. 12.
Molina in I. p. heic.
Jos. Angles Flores qq. in 2. Sent. dist. I. per tot. p. I. & a dist. 12. ad 15.
Franc. Macedo t. 2. collat. I. different. I. & collat. 6. differ. 2.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Nat. Alexander Dissert. de opificio VI. dierum, & Dis. de Paradiso, & Dis. de Evae creatione, & Dis. adversus haeresim Saturnini, & Dis. contra Origenistas.
Franc. Anton. Zaccharias Dissert. adversus Prae-Adamitas.
Augustin. Calmet Diss. de Systemate Mundi ex veterum Hebraeorum sententia.
Nourryus de Mundi creatione in Adpar. t. I. l. 3. Diss. 2. c. 8. ar. I. & tom. 2. Diss. 3. c. 21. & c. 22. art. 6.
Thom. Maluenda Comment. de Paradiso voluptatis.
Huetius Dissert. de situ Paradisi.
Nicol. Abram S. J. de Opere sex dierum in Pharo Vet. testam l. I., & de fluviis & loco Paradisi, lib. 2.
Anonymus Moses vindicatus, seu veritas historiae creationis Mundi adversus Burneti Archaeologias philosophicas.

CAPUT I.

Praeambula de Deo Creatore.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Deum Creatorem.

CAPUT II.

De Universo universe, quoad universalem Creationem.

CAPUT III.

De Universo sigillatim, quoad singula Opera sex dierum.

LIBER II.

De Angelo.

Tractatio de Angelo quoad suae naturae essentiam, & operationes ad Theologiam naturalem adtinet (ut notat *Suar.* heic in prooem.) de ipsis enim tractant Philosophi, cùm antiqui, tùm posteriores in Methaphysica, ubi de Ente Spirituali. Verum & nos quoque heic nonnihil de ipsis, morem gerentes Authoribus nostris, quibus ita visum est adprime utile ad Theologiae Candidati institutionem, seu ornatum. Quo videlicet clarius percipiantur quae ex Scriptura, Traditione divina, & ratione naturali deducta, de Angelis pertractantur.

AUTHORES SYSTEMATICI *ſub hoc titulo.*

Mag. l. 2. a Diſt. 2. ad 11. ibiq. *Interpr.*
D. Th. p. 1. a q. 50. ad 64. item a q. 106. ad 114. ibique *Interpr.*
Suar. tomo integro.
D. Bonav. Brevil. p. 2. c. 6. 7. 8.
Ceteri, qui ſupra, in ſuis reſpective locis.

TRACTATORES *ſub hoc titulo.*

EX PATRIBUS.

S. Dionyſius Areopagita, l. de Coeleſti Hierarchia c. 3. & ſeqq.
Gregor. Nyſſenus Carmeu arcanum vi.
Theodoret. Cyrenſ. Ep. ſermo de Angelis, deque diis ac daemonibus malis, ubi de curatione graecar. adfectionum.
S. Auguſt. de Civ. l. 8. c. 25. & l. 9. a c. 13. ad 22. ubi ſpeciatim de daemonibus, & l. 10. ſaepius de Angolis bonis & malis, & l. 11. c. 9. & ſaapius, & l. 12. c. 1. 3. 6. 9.
Sophronius Hieroſol. hom. de Angelis.
Caſſianus Collat. 5. & 8.
Damaſcen. in Parallel. l. 1. c. 6. & 7. & l. 2. c. 3. & de fide l. 2. c. 3. & 4.
Michael Pſellus dialogus de energia & operatione daemonum.
S. Anſelmus l. de caſu diaboli.
Hugo Victor tr. de Angelorum creatione, natura, confirmatioue, lapſu.
S. Bernardin. Senenſis Serm. de gloria Spirituum Beatorum in Regno Dei.

EX SCHOLASTICIS.

D. Th. in qq. diſput. de malo q. 17. de Spiritual. Creaturis q. 1. de verit. q. 8. 9. Item Opuſc. de Angelis, ſeu de ſubſtantiis ſeparatis.
D. Bonav. Centil. p. 3. a ſect. 13. ad 18.
Stephan. Bubalus de Cancellariis S. J. tomo integro.
Quir. tomo 2. tr. 8.
Ortega tomo 2. contr. 8.
Gandav. quodl. 2. q. 7. 8. & quodl. 4. q. 16. 17. & quodl. 5. q. 14. 15. & quodl. 7. q. 3. & quodl. 11. q. 1. & quodl. 13. q. 6. 7. & quodl. 15. q. 8. 9.
Moncaeus D. 5. 6.
Arrub. t. 2. a D. 148. ad 181.
Alarc. tr. 6.
Angles Flor. ſent. p. 1. diſt. 2. uſq. ad 11.
Cathar. tr. uno.
Fr. Perez laur. Salmant. certam. 3. ſch.
Fr. Macedo t. 2. a collat. 1. ad 6.
Joan. Thom. Gaſtaldus de Angelis tomi IV.
Petr. a S. Joſeph l. 3. per tot.
Franc. Delugo tr. de Angel.
Chriſtoph. Delgadillo tr. de Angel.

EX ALIIS THEOLOGIS.

P. Morinus de Ordinationibus in Ritum Maronitarum.
Noriſius in Vindiciis Auguſtinianis l. 6. c. 10.
Nourryus in adparatu in Tatianum & S. Clem. Alexandrinum, & tom. 2. Diſſ. 3. c. 20. de Angelis, & Daemonibus, & Diſſ. 4. c. 10.
Cotelerius in Notis in cap. 12. Conſt. Apoſtolicarum, & in Epiſt. S. Clementis, & in primum Hermae librum.
Huetius in Origenianis l. 2. q. 5.
Calmetus Diſſ. de Angelorum & daemonum in corpora poteſtate, & Diſſ. in bonos & malos Angelos, & Diſſ. de obſidentibus & poſſidentibus corpora Daemonibus.

Theoph.

Theoph. Raynaud. in Theol. naturali a Diſtinct. 2. ad 4. & tr. de Angelo Cuſtode, ejuſque Antiſtropho malo Genio.

Joannes Antonius Gualtieri Diſſ. de Angelorum exiſtentia & natura, eorumque Ordinibus, Hierarchiis & Officiis.

CAPUT I.

De Angelo quoad ordinem naturae.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Angelos.

§. I. *De perfectione naturali ſubſtantiae Angelicae.*
§. II. *De Intellectu Angelico.*
§. III. *De Voluntate Angelica.*
§. IV. *De Numero, Ordine, Diſtinctione inter Angelos.*
§. V. *De Loco Angelico.*
§. VI. *De Motu Angelico.*
§. VII. *De Virtute Angelica ad alias operationes externas.*

CAPUT II.

De Angelo quoad ordinem gratiae.

§. I. *De I. Inſtanti Theologico.*
§. II. *De II. Inſtanti Theologico.*
§. III. *De III. Inſtanti Theologico.*

LIBER III.

De Homine.

Nempe prout eſt opus ſexti diei, ſcilicet Homo theologice ſumptus: ſupponimus enim ex Phyſica, & Animaſtica conſtitutiva animae, & corporis, ex quibus homo componitur; ac ea heic praecipue ſtatuimus, quae pertiuent ad primam Hominis creationem, ſive ad *hominem Innocentem*, expeditius poſt tractaturi de homine lapſo.

AUTHORES SYSTEMATICI *ſub hoc titulo.*

Mag. l. 2. a Diſt. 16. ad 20. ibique *Interpr.*
D. Th. 1. p. q. 75. ad 101. & a q. 115. ad 119. ibiq. *Interpr.*
Suar. de Opere ſex dierum l. 3. tot.
D. Bonav. Brevil. p. 2. a c. 9.
Niſſe tr. 2. p. 2. a c. 142. ad 148.
Herin. t. 1. tr. 3. D. 6. a q. 7. ad 11.
Martinon t. 1. D. 45.
Granad. t. 3. contr. 8.
Gotti t. 1. tr. 10. a q. 1. ad 4.
Ceteri fere, qui ſupra, in ſuis reſpective locis.

TRACTATORES *ſub hoc titulo.*

EX PATRIBUS.

Theodor. Abucara Dialog. de corpore impaſſibili Adami innocentis.
S. Baſil. ſerm. de ſtructura hominis.
S. Auguſt. tr. de creatione primi hominis.
S. Damaſcen. in Paral. l. 1. c. 8. & de fid. l. 2. c. 12.
Theodoretus Ep. Cyrenſis ſerm. de natura hominis.

Nemesius Episcop. Emissen. l. de natura hominis.

Hugo Victorin. tr. de creatione & statu humanae naturae, in Summa Sentent.

Ceteri, qui agunt de Opificio VI. dierum.

EX SCHOLASTICIS.

D. Th. in qq. disput. de verit. q. 18.

Gandav. quodl. 6. q. 11. & quodl. 7. q. 9. & quodl. 8. q. 10.

Angles Flor. p. 1. a dist. 15. ad 23. & p. 2. dist. 29.

Fr. Macedo t. 2. collat. 6. differ. 3. 4. & collat. 7. dif. 3. & collat. 8. dif. 1.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Nourrys proxime laudatus c. 22. 23. & 24.

Jacob. Gretserus S. J. Exercitationes de hominibus ante Adamum.

Billuart Digressio histor. de Prae-Adamitis.

Franc. Anton. Zaccharias Diss. adversus Prae-Adamitas.

Philippus Priorius sub nomine *Eugenii Romani*, Epistolae seu Animadversiones in librum Prae-Adamitarum, ad Authorem ipsum La-Peirerium directae.

Joan. Baptista Morinus Francopolitanus, Refutatio detestandi libri de Prae-Adamitis.

Joan. Conradus Danhaver, Prae-Adamita utis, idest nullus nemo.

Alticotius in Sum. Augustiniana t. 1. q. 2.

CAPUT I.

De Homine innocente quoad ordinem naturae.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Protoparentem Adamum Innocentem.

CAPUT II.

De Homine innocente qu oad ordinem gratiae.

CAPUT III.

De Homine innocente, si status innocentiae perdurasset.

TRACTATUS II.

DE HOMINE LAPSO.

Innocenti homini succedit methodice lapsus homo. Hic autem est materia, circa quam versatur tota subsequens Theologia, vel ut reparandus per Christum vel ut erigendus & conservandus in gratia, vel ut praemiandus, aut puniendus a Deo.

Plane omnis homo (exceptis Jesu, & Maria) per Adae peccatum est originaliter lapsus; atque adeo de hoc originali lapsu in primis agendum est. Cum autem peccatum sit libera legis transgressio, adeoque supponat in homine libertatem, & Dei legem, quam transgreditur; ideo de libertate primum agimus, deinde de lege: quo facilius ad lapsum originalem deveniamus.

LIBER I.

De Libertate.

Multa, quae heic versant AA. Theologi, spectant ad Physicam, ubi

de

de Cauſſa libera, & ad Animaſticam, ubi de Voluntatis libertate; ac plura quoque ad Dogmatico-Polemicam, ubi de exiſtentia libertatis a neceſſitate, contra haereticos. Nihiloſecius quia materia haec de libero hominis arbitrio Cardinalis eſt, & ſumme connexa cum gravioribus Theologiae controverſiis, ideo eam accuratius fuſiuſque Theologi pertractant.

AUTHORES

SYSTEMATICI

ſub hoc titulo.

Mag. l. 2. Diſt. 24. & 25. ibique *Interpr.*
D. Th. 1. p. q. 83. ac 1. u. q. 9. & 10. ibique *Interpr.* cum *Barthol. Medina* in 1. 2.
Suar. de Grat. t. 1. Prolegom.
B can. p. 2. tr. 1. c. 2.
Rhod. t. 1. tr. 3. D. 3.
Eſpar. t. 1. l. 3. a q. 12. ad 16.
Arſdeck in ſua 1. 2. c. 1.
Viv. p. 2. D. 6.
Paul. a Concept. t. 2. tr. 9. D. 2.
Bonae Sp. t. 2. tr. 1.
Herin. p. 2. tr. 2. D. 2.
Compt. t. 1. D. 85.
Red. t. 2. q. 3.
Marin. tom. 1. tr. 8.
Ceteri, qui ſupra, in ſuis reſpective locis.
Item *AA. noſtri*, & *Thomiſtae* ubi de Scientia & Providentia Dei, Praemotione, Gratia auxiliante, paſſim.

TRACTATORES

ſub hoc titulo.

EX PATRIBUS.

S. Methodius tr. de libero arbitrio.
Olympius Epiſcop. l. adverſus eos, qui naturam & non liberum arbitrium in culpam vocant.
Paullus Oroſius Apolog. de libero arbitrio adverſus Pelagianos.
S. Auguſt. l. unde malum & de libero arbitrio, & quaeſt. aliae de libero arbitrio.
Amulo opuſc. de libero arbitrio.
S. Damaſcen. in Paral. l. 1. c. 9. & de fide l. 2. c. 25.
B. Servatus Lupus quaeſt. de libero arbitr.
Honorius Auguſtodun. tr. de libero arbitrio &c.
S. Anſelmus l. de libero arbitrio, & tr. de concordia praeſcientiae, praedeſtinationis & gratiae Dei cum libero arbitrio.
S. Bernardus tr. de Gratia & libero arbitrio.
Nemeſius in l. de natura hominis a c. 37. ad 41.

EX SCHOLASTICIS.

D. Th. in qq. diſput. de Verit. q. 24. & de malo q. 6.
Molina in Concord. D. 1. & paſſim.
Arand. baſ. theol. mor. l. 4. per tot.
Quadr. in Caduc. t. 1. & 2. paſſim.
Palanc. de Provid. Dei paſſim.
Gandav. quodl. 3. q. 17. & quodl. 4. q. 11. & quodl. 12. q. 26. 27. & quodl. 14. q. 5.
Conin. de Actib. ſupernat. l. 1. D. 2.
Angl. in Sent. l. 2. p. 2. diſt. 24. 25.
Nicol. Segura tom. 2. tr. 5.
Franc. Zumel. t. 2.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Eduardus de Vitry Concluſiones de libero hominis arbitrio &c.
Scipio Maffejus in Hiſtor. theologica, de libertate ſparſim.
Maignan in Philoſ. ſacra cap. 28.
Alticotius in Sum. Auguſtin. t. 1. q. 7. & part. 4. quaeſt. 2.
Raynaudus nova libertas Gibieufiana diſcuſſa.

CA-

CAPUT I.

Expenditur natura libertatis humanae.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in humanam libertatem.

CAPUT II.

De Comprincipiis ad libertatem neceſſariis.

CAPUT III.

De libertatis impedimentis.

CAPUT IV.

De fecunda liberi arbitrii facultate ad actus eliciendos.

CAPUT V.

Concordia liberi arbitrii cum aliquot Myſteriis ſupernis.

LIBER II.

De Lege.

Lex, cujus libera tranſgreſſione lapſus eſt Adam, percommodam heic ſedem offert, ac methodum materiae de legibus, quae ad noſtram quoque Theologiam ſpectat, quatenus Deum intuetur ut *Legiſlatorem*; a quo nempe, ſicut omnis Paternitas, ita & omnis Legiſlatio derivatur, & in quem omnium legum, ac praeceptorum authoritas ultimo prorſus refunditur (teſte *Suar.* heic in prooem.) Hinc ad ſacram doctrinam proprie ſpectat conſideratio legis, tam ſecundum communem rationem ſuam, quam prout ad omnes ſuas ſpecies deſcendit.

AUTHORES SYSTEMATICI *ſub hoc titulo.*

Mag. l. 3. a D. 37. ad 40. ibique *Interpr.*
D. Th. 1. 2. a q. 90. ad 108. ibique *Interpr.*
Suar. tomo integro de Legibus.
Becan. p. 2. tr. 3. per tot.
Arſdeck. l. 2. c. 6.
Platel. p. 2. c. 3.
Bonae Sp. t. 4. tr. 3.
Reding t. 2. a q. 15. ad 20.
Niiſſe tr. 5. p. 1. a c. 271. ad 290.
Amic. t. 5. a D. 1. ad 9.
Gon., *Caſp.*, *Abel.*, *Herin.* in ſuis reſpective locis.
Item multa ſpeculative *AA Morales*, ſub hoc titulo, ut *Caſtropalaus*, *Diana*, *La Croix*, *Holzmann*, *Azor*, *Salmanticenſes*, alii.

TRACTATORES *ſub hoc titulo.*

EX PATRIBUS.

S. Chryſoſt. hom. de unico utriuſque Teſtamenti Legiſlatore.
S. Auguſt. l. de gratia novi Teſtamenti.
Theodoret. Serm. de Legibus.
S. Iſidorus Hiſpal. l. de Gentium vocatione fere per tot.
S. Damaſcen. de fide l. 4.
Hugo Victor. tr. de lege naturali & ſcripta.
S. Antoninus Arch. Flor. in Sum. par. 1. a tit. 11. ad 20.

EX SCHOLASTICIS.

D. Th. contr. Gentil. l. 3. a c. 114.
Guilielm. Pariſienſis tr. de Legibus.

Mo-

Molina de Juſtitia t. 1. tr. 2. a Diſput. 21.
Petr. a S. Joſeph. tomo 3. l. 1.

EX ALIIS THEOLOGIS.

Nat. Alex. Diſſ. de Noachidarum praeceptis, & Diſſ. de Caeremonialibus Legis Moſaicae praeceptis, & Diſſ. de Judicialibus aut forenſibus Legis Moſaicae praeceptis.
Herman. Goldhagen S. J. Meletema Biblico-Philologicum de Religione Hebraeorum ſub lege naturali propoſitum.
Joſ. Biner S. J. de Jure primarum Precum, & Inſtitutionibus.
Serryus Diſp. de Circunciſione.

CAPUT I.

De Lege univerſim.

PROLUSIO POLEMICA HISTORICO-CRITICA

De Erronibus in Legem.

§. I. *Natura, & Varietas legis.*
§. II. *De iis, quibus eſt jus condendi legem.*
§. III. *De iis, qui lege obliganțur.*
§. IV. *De legis Interpretatione, Diſpenſatione, Ceſſatione.*

CAPUT II.

De lege ſpeciatim.

§. I. *De lege aeterna, lege naturali, Jure gentium.*
§. II. *De lege veteri Divina.*
§. III. *De lege nova Divina.*
§. IV. *De lege Canonica.*
§. V. *De lege Civili.*
§. VI. *De lege Privilegiari, ſeu de Privilegio.*
§. VII. *De lege non ſcripta, ſeu de Conſuetudine.*

LIBER III.

De Primario hominis lapſu.

Ad Paradiſum regredimur, ubi Adam transgrediendo Divinam legem, ſibi injunctam, lapſus eſt cum Eva; ſimulque cum Adamo exſule Paradiſo egredimur, & totum mundum in ipſo originaliter lapſum percurrimus. Quo videris, methodum noſtram adprime rerum eventibus reſpondere.

AUTHORES SYSTEMATICI

ſub titulo peccati Adae perſonalis, ejuſque poſteris Originalis.

Mag. l. 2. a Diſt. 21. ad 23. & a 29. ad 33. ibique *Interpr.*
D. Th. 1. 2. a q. 81. ad 83. ibique *Interpr.*
Suar. De Oper. ſex dier. l. 3. & 4. ac in 1. 2. tr. 5. de pecc. D. 9.
D. Bonav. Brevil. p. 3. a c. 1. ad 7.
Herin. t. 1. tr. 3. D. 6. q. 12.
Reding. t. 2. q. 14.
Bonae Sp. t. 4. tr. 2. D. 12.
Ceteri in ſuis reſpective locis.

TRACTATORES *ſub titulo deſignato.*

EX PATRIBUS.

S. Auguſt. tr. de Gratia Chriſti & peccato Originali contra Pelagium & de Civ. l. 13. c. 1. & ſeqq. & l. 14. ſaepius.
Odo Epiſc. Cameracenſis, libri III. de peccato origiaali.
S. Anſelm. tr. de peccato originis &c.

Ano-

Anonymus perantiquus in tr. de vita contemplativa l. 2. c. 8. & 9.

EX SCHOLASTICIS.

4 QUAESTIO II. Quid circa *Notionem*, Naturam, aut Eſſentiam? ADSERO: Definiri ſolet, *Facultas*, aut *Diſciplina agens de Deo*, ſcilicet de iis differens, quae ad Deum quoquo modo pertinent. Profecto apud Patres Graecos vetuſtiores Theologia uſurpabatur ſtricte pro ea duntaxat ſacrae Doctrinae parte, quae de Deo, Deique Adtributis differit: quo ſenſu Joannem Evangeliſtam, & Gregorium Nazianzenum ſingulari ratione Theologos nuncuparunt; quod nempe prae ceteris Evangeliſtis & Doctoribus Chriſti Divinitatem luculentius ille adſeruerit, hic vindicarit. (*x*)

5 Et vero, quemadmodum multis ab inde Seculis uſus obtinuit, Facultas, ſeu Theologia, de qua heic, ſumitur pro doctrina, quae ex principiis divinitus revelatis, fide infuſa cognitis, diſcurrendo, concluſiones deducit, relate ad Deum (vel directe, vel indirecte aut oblique) tanquam Authorem ſupernaturalem (*y*). Haec vero intelligas oportet de Theologia ſub Scholae ſenſu preſſius accepta; quoniam ſi latius ſumatur, quaelibet de Deo aut de re Deum quoquo modo ſpectante diſſertatio, Theologiae titulo donari poteſt.

OBJECTIONES.

6 Objicit *Joan. Ouven* mox laudatus (*z*). Haec, quam definivimus, Theologia, nec eſt, nec dici poteſt Theologia preſſe vera, ſacra, chriſtiana & evangelica, immo potius prophana. Nam 1.° Theologia ſacra eſt ſimpliciſſima; atque adeo nequit in ſyſtema redigi, certiſque humanis legibus, more prophanarum diſciplinarum, adſtringi. 2.° ſacra & vera Theologia eſt *Sapientia* & *Scientia divina*, ex 1. Cor. 8. 4. &c. ergo nequit ita inter humanas ſcientias numerari, ut ad earum regulas & methodos conformari debeat. 3.° Theologia, quam Diſciplinam dicimus, nihil eſt aliud, quam quaedam definitionum, theſium, probationum, objectionum, reſponſionum Syſtematica compages, hoc eſt *confuſa* quaedam *Philoſopho-Theologia*; hoc autem pacto Philoſophia dominatur Theologiae, ipſique velut captivae nequiter inſultat: at ejuſmodi Theologia non eſt ſacra.

4.° Sacra Theologia nihil aliud eſt quam divina revelatio contenta in ſacris literis, quas ille duntaxat, qui ſuperne edoctus didicit, eſt vere Theologus. 5.° ſyſtematica Theologia, ſeu diſciplinaris ſcientia coeleſtis veritatis, neutiquam in foedere gratiae promittitur; nec ipſa a ſalutari Spiritus Sancti operatione proficiſcitur; multi enim ipſam excolunt Deo ingrati, & peccatorum tenebris immerſi: ergo ſacra non eſt. 6.° ſacra doctrina, ſyſtematice digeſta & compacta nihil omnino habet, quod ſuperet captum aut intellectum homi-

(*t*) In Tom. I. Oper. a p. m. 529.

(*u*) Plura de hoc Etymo *Petav.* in Prolegomen. cap. 1. & *Joan. Ouven* in Theologumenis lib. 1. c. 1.

(*x*) Vide *Baſil.* epiſt. olim 141. *Cyril. Alex.* l. 1. in Joan. *Maxim.* l. de Orat. Dominica, *Greg. Nazianz.* orat. 38.

(*y*) Conf. *Eſparza* tom. 1. in Prooem. art. 3. *Reding* tom. 1. q. 1. in praefat. n. 1. et 2. *Franc. Delugo* in praefat. ad ſuam Theol.

(*z*) In toto ſparſim commentar. de Theologumenis.

hominum mere naturalem; atque adeo ejuſmodi doctrinae cognitio & comprehenſio, qualiſcumque ipſa fingatur, mere naturalis eſt, & mera quaedam Philoſophia chriſtiana, quae ſapientiae omni graecanicae, ſeu mere humanae plurimis praeit paraſangis, aut intervallis: ergo non eſt Theologia chriſtiana & evangelica proprie dicta.

7 *Reſpondeo*. Litem de puro nomine, ac irrito quidem conatu, tametſi pompoſo & ſatis prolixo, nobis intentat Ovvenius, immo univerſo pene orbi literato: quippe vult [fortaſſe ſolus] eam eſſe indigitandam meram Philoſophiam chriſtianam, quae omnium votis (a quibus nempe dependent rerum nomina) Theologia preſſe ſacra, chriſtiana, evangelica, divina ſalutatur; quatenus videlicet, eſto multa contineat a naturali hominum cognitione, conatuque profecta, quum plura tamen quantum ad objectum, materiam & finem plane ſuperna atque divina complectatur, ex iis, tanquam ex parte nobiliore, ſupernae ac ſacratiſſimae Theologiae nomenclaturam jure repetit. Hinc

8 *Nego Adſumptum*. Ad 1. probationem *Diſtinguo Antecedens*: ſimpliciſſima quoad veritates revelatas, quae unice credendae proponuntur e. g. a Theologia Catechetica, *Concedo*: ſecus, *Nego Antecedens* & *Conſequentiam*. Summi pretii eſt ſyſtema Theologiae Biblicae ad eaſdem veritates ordinate, rectеque exponendas; Dogmaticae ad eas probandas; Polemicae ad eas defendendas; Scholaſticae ad eas elucidandas. Ad 2: ut ordinate exponatur Scientia illa, quae quantum ad Myſteria revelata, quae continet, divina eſt, maximo adjumento eſt Syſtematis ratio aliunde deprompta, ipſique adplicata. Et quidem hoc pacto naturales ſcientiae huic divinae ancillantur ac ſubſerviunt. Hinc

9 Ad 3. *N. A.* Immerito dicitur *confuſa Philoſopho-Theologia*, & Philoſophiae captiva, quae ſubſidio rationis naturalis adjuta methodice procedit in ſuis diſſertationibus, & ſuper naturam erigitur, materiem ſupernam verſans, & in ſcopum qua ſupernum tendens. Jure heic cum *Damaſc.* (a) reponimus: *porro decet Reginam ancillarum quærendam uti miniſterio: accipiamus igitur doctrinas iſtas* (prophanas) *tanquam veritatis famulas*.

10 Ad 4. *D. A.* ſacra Theologia, ſumpta unice pro materia Myſteriorum, quae fide divina creduntur, *C.* ſumpta aliter, ſecundum communem & opportuniorem ſacrae Theologiae Notionem, *N. A.* & *Con.* Ad 5. *N. Con.* Nihilotamen ſecius ei denominationem ſacrae, chriſtianae ac evangelicae aliunde provenire jam diximus. Ad 6: ex quo doctrina ſacra ſyſtematice ope naturae digeſta, verſet ex munere ſuo ſuperna Myſteria, ſupernumque objectum qua tale reſpiciat, pluſquam Philoſophia chriſtiana eſt, ſi haec ſupponatur principiis mere naturalibus circumſcripta: atque adeo Theologia preſſe ſacra, chriſtiana, evangelica, divina.

11 QUAESTIO III. Quid circa *Ortum*? ADSERO: A primo ſtatim Mundi exordio, una cum Eccleſia Dei, ac fide infuſa, in Protoparentibus noſtris ſacra Theologia inventa eſt; ut mittam, eam antiquius in Angelis, primum crea-

(a) Dialog. 1.

creatis, ac de Deo eximie differentibus, natam esse. Equidem sine dubio Protoparentes fidei Mysteria a Deo revelante accepta suos posteros saepesaepius ingeminato sermone erudierunt; nec enim aliter institui poterat, efformari & crescere sancta Dei Ecclesia, quae in ipsis orta est. Itaque ex *Augustini* mente (*b*) Ecclesia Catholica, Fides divina, Theologia sacra, quae mutuo sese nexu complectuntur, non solum post adventum Domini praedicantur, sed ab initio quoque mundi in sanctis Patriarchis extiterunt (*c*).

13 QUAESTIO IV. Quid circa *Progressum*? ADSERO: Idem pene ipsi cum Ecclesia, Fide, ac Religione progressus; eadem, & quidem varia successu temporum incrementa. Quid enim illas absque doctrina & cognitione de Deo, divinisque Mysteriis subsistitisse, atque in dies processisse credideris? Dixerim: Protoparentum, Abelis, Henos, Noe temporibus Theologiae sacrae Infantia fuit; sub Abrahamo Pueritia; sub Moyse, electoque populo Adolescentia; sub Christo Jesu juvenilis Aetas, quae usque modo indesinenter floruit, florensque cum Ecclesia Christi adusque novissimum diem perennabit. Aut si mavis, sacrae eruditionis gratia, en ei adfixas Epochas, aut Periodos: *Lex naturalis*, *Lex scripta*, *Lex Gratiae*.

14 Itaque sub *Lege naturali* Adam primus Magister edocuit filios, nepotesque Theologiam, quam ab inspirante Numine didicerat. Ab Adamo cura docendi devolvitur ad Noe. Inde Abraham Theologiam hausit, qua filios, nepotes, & aliquorum opinione, Chaldaeos etiam ac Aegyptios instituit. Porro putarunt nonnulli (*d*) sub hac Periodo plura jam aperta fuisse Theologici Studii Gymnasia, quibus nempe praefuerint Sem, Noe filius, Melchisedech, Jacob Abrahami genitus. Sed haec tamen opinio, Eruditorum judicio, incerta est maxime ac parum solida (*e*).

15 Sub *Lege scripta* Moyses, Sacerdotes, Prophetae, Legis Doctores qua sermonibus, qua scriptis Theologiam, seu divinae legis doctrinam perpetuo studio excoluerunt. Scholarum usum ad instituendos Auditores sacra doctrina apud Judaeos increbuisse, nullus est vel mediocriter in sacris Literis versatus, qui dubitet. Eas institutas legimus sub Josue, sub Samuele, sub Elia, sub Eliseo, sub Ezechiele (*f*). Scholas illas, quas nonnulli Prophetarum Asceteria vocant, exceperunt Synagogae, de quibus num ante vel post Babilonicam captivitatem obtinuerint, dubitant Eruditi. Post solutam vero captivitatem eas plurimum crevisse ferunt, adeo ut una Urbs Hierusalem scholas 300. amplius complecteretur. Vehementer tamen dubito, ne ipsae singulae ad erudiendam, addiscendamque doctrinam sacram institutae Judaeis fuerint, ac frequentatae (*g*).

(*b*) Serm. olim 212.

(*c*) V. *Petav.* Theol. dogmat. tom. 1. in proleg. c. 1. & 9. tum *Red.* & *Fr. Del.* proxime citt.

(*d*) Cum *Alap. Fr. Del. Red.* & *Jacobo Boulduc* in comment. de Ecclesia ante legem l. 1. c. 10. & alias.

(*e*) Conf. *Calmet* in Dictionar. Biblico art. *Scholae vel Academiae Judaeorum* sub init.

(*f*) Conf. 1. *Reg.* 19. a ℣. 19. & 2. *Reg.* 18. 4. & 19. 1. & 20. 35. & 4. *Reg.* 2. 3. & 5. *Ezech.* 14. 1. & 20. 1. & 25. 31.

(*g*) Plura de ejusmodi Scholis *S. Hieron.* in Isai. c. 8. l. 3. *Morin.* in exercit. biblic. l. 2. *Vitringa* de Synagogis Veter. *Basnag.* Hist. Judaeor. l. 5. *Ligtfoot.* in Centur. & qui eos omnes,

Quaenam vero fuerit ſub ea Lege Theologica diſciplina, ex ſingulis Veteris Teſtamenti libris abunde doceberis.

16 Sub *Lege Gratiae* Theologia, Authore ac ſummo Theologiae Magiſtro Chriſto Jeſu, incrementum omne, quod erat habitura, obtinuit, retinuitque. Periodus haec, prae ceteris Theologiae fauſtiſſima, percommode in tres partes ſubdividi poteſt. Prima continet Seculum Chriſtiano-Apoſtolicum, quod nempe Chriſtus & Chriſti Apoſtoli atque Diſcipuli illuſtrarunt: ſecunda ſanctorum Patrum Secula ab an. Chr. 100. ad uſque 1200. Tertia Scholaſticorum Secula ab an. 1200. ad haec uſque tempora.

17 Itaque Chriſtus cum Apoſtolis, Patres, Scholaſtici dici poſſunt ſacram Theologiam perpetua ſucceſſione excoluiſſe; & eandem quidem omnes, tametſi ſub diverſo frequenter uſu, rituque. De Chriſto Domino, ſcribit *S. Maximus* M. (*h*) quum Orationem Dominicam inſtituit, *in ea Theologiam docuiſſe*; ac ubi exponit τὸ *Pater noſter*, ſubdit, *ſtatim Dominus, ut par eſt, ab Theologia in illis auſpicari docet orantes*. Quin immo ipſe cenſeo, toties Chriſtum Theologiam docuiſſe, quoties de rebus divinis apud Apoſtolos, ceteroſque Judaeos diſſeruit; tum maxime, quum ſe Deum, verumque Dei filium & ſermonibus & miraculis comprobavit.

18 Magiſtrum imitati ſunt Apoſtoli & Evangeliſtae, vocibus interdum ſcripta coelitus afflati adjicientes, ut eis univerſam quoque futuram olim Eccleſiam inſtituerent. Qualis, quantaque fuerit ea Chriſti & Apoſtolorum Theologia, ex ſingulis Novi Foederis libris facile ediſcimus. Sub hanc primam Chriſtianam aetatem Alexandriae ſub S. Marci Evangeliſtae praeſidio inſtituta eſt Schola ſacrae doctrinae, ſive Aſceterium, quod diu ſubſtitit, & quidem Viris divina & ſeculari literatura conſpicuis florentiſſimum (*i*).

19 Sancti Eccleſiae Patres ſuccedentibus aevis eamdem a Chriſto & ſtolis traditam Theologiam qua voce, qua ſcriptis adſerere & confirmare pergunt; prout teſtantur eorundem opera, adcurate, caſtigateque recenſita a Monachis *San-Mauraeis*, & indicata a *S. Hieron. Bellarm. Eyſeingrenio, Poſſevino, Dupinio, Caveo, Oudino*, aliis.

20 Sub haec tempora & Chriſtiani, & Judaei ſuas paſſim erigunt Scholas; illi nempe Chriſtiana Theologia informandi; iſti vero Legis, aut Theologiae Moſaicae inſtitutionibus pervicaciter retentis imbuendi (*k*). E ſcholis Chriſtianis Alexandrina prae ceteris commendatur; cui nempe Pantaenus, Clemens, Origenes, & id genus alii praefuerunt (*l*).

De

omnes, alioſque deſloravit, *Calmet* in Diſſert. de Scholis Hebraeor. Jeremiae commentario praemiſſa, & in Diction. Biblico art. *Scholae, vel Academiae Judaeorum*: tum *Altingius* in Hiſtor. Accademiar. Habraear. & *Sigon.* de Rep. Hebrae l. 2.

(*h*) Lib. de Orat. Dominica.

(*i*) V. *Philon.* l. de vita contemplativa, & *Hieron.* l. de Viris illuſtr. c. 6. & 36. cum notis *Dominici Vallarſii* in tom. 2. Oper. S. *Hieron.*

(*k*) Circa Judaicas ejuſmodi Scholas poſt. i. Chriſtianum Seculum retentas, erectas, inſtauratas Conferendi *Morin.* in Exercit. Bibl. *Bartoloccius* Biblioth. magna Rabbinica, *VVolfius* Biblioth. Hebraea, *Hottinger.* Biblioth. *Baſnag.* hiſt. Jud. *Vitring.* de Synagog. veter. *Calmet* Diſſer. de Schol. Hebraeor.

(*l*) Ex *S. Hier.* de Vir. illuſtr. in Pantaeno & Clemente, qui ſequutus eſt *Euſeb.* hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 10. & 11. & l. 6. c. 3. Hunc confer ad ea loca cum notis *Valeſii* & variorum.

De aliis ejuſmodi Gymnaſiis jam *ſupra* diximus quantum ſatis (*m*).

21 Poſtremo ſub Scholaſticorum Secula fulgentiſſimum nitorem, una cum conſpicua methodo, ſacra Theologiae diſciplina obtinuit. Tunc enim temporis, vix Lombardiana Scholaſtice nata eſt, Scholae in nobiliorem Academiarum formam compoſitae, reſtitutae, erectae, frequentatae; Theologici Commentarii paſſim editi; Theologiae compendium, in quo omnia, quae ad Theologiam pertinent, diſtincte ac ordine exponuntur; tum Theologiae Syſtema, in quo ita ſingula Theologica capita nectuntur, ut alia ex aliis ordine fluant ac rationibus confirmentur, valde multiplex; Theologia demum tanquam ſcientiarum omnium Princeps, ſummo clariſſimoque Profeſſorum & addiſcentium ſtudio exculta, & illuſtrata. Et haec ſatis de Synoptica Theologiae Hiſtoria (*n*).

§. II.

De Theologiae Diviſionibus.

22 QUAESTIO I. Quotuplex generatim eſt Theologia? ADSERO: Multiplex. Dividitur 1.° in *Naturalem* & *Supernaturalem*. Illa differit de Deo ut Authore naturali, quod Metaphyſicam, propterea dictam naturalem Theologiam, ſpectat: unde apud *Auguſtin.* (*o*) Orpheus, aliique pagani Vates nuncupantur Theologi, quod, etſi veris falſa miſcendo, de adtributis Dei differuerint. Haec vero agit de Deo ut Authore ſupernaturali, qualis eſt doctrina ſacra, de qua in praeſentia pertractare decrevimus. Rurſus haec ſubdividitur in *Directam*, quae directa acie agit de praedicatis divinis, e. g. de Dei Trinitate, Scientia &c. & in *Indirectam*, quae de predicatis divinis tractat oblique, ſeu indirecte, v. c. de peccato prout eſt Dei offenſa, de Gratia prout eſt donum Dei &c. Sub iis omnia ſacrae doctrinae membra continentur.

23 QUAESTIO II. Quot ſpeciatim ſint praecipuae Theologiae ſub communi ratione comprehenſae? ADSERO: Hoc noſtrum Syſtema. Decem ſunt: & ipſae quidem ſingulae claris gaudent Patronis, qui eas exponunt, illuſtrant & exornant. Ex iis nos aliquos indicabimus, tum priſcos, tum juniores; quos nempe cujuſque Theologiae ſtudioſi tanquam Duces & Magiſtros conſulere poſſint. Igitur I. eſt *Poſitiva*, expoſitiva, ſeu biblica, quae revelatas ſacrorum Bibliorum veritates exponit (*p*).

(*m*) Prodromo 1. c. IV. Syllabo 1. Seculo Scholaſtico 1. a pag. 102.

(*n*) Plura *Mannhart* in Biblioth. domeſt. tomulo 8. cap. 1. & 2. Porro *Joan. Owen* in Theologumenis ſecus Theologiae epochas enumerat; eam nempe dividit in Theologiam Adamicam, Noachicam poſt diluvianam, Abrahamicam, Moſaicam, Evangelicam; ſed hic tamen Author, eſto pietatem in laudato commentario paſſim reſpirare videatur, at caute legendus, utpote e grege Reformatorum Proteſtantium, magni inter ſuos nominis Theologus, & Poeta.

(*o*) L. 18. Civ. c. 14.

(*p*) Hanc Theologiam illuſtrant primum ex vetuſtiſſimis PP. *Theophilus* Epiſc. Antiochen. in Coment. in IV. Evang. . . . *Orig.* in Comment. in omnes pene ſacri codicis libr. . . *Ammon.* Alexandrin. in Canonib. Evangelicis, ſeu harmonia Evangelica . . *Greg. Taumaturg.* metaphraſi in Eccleſiaſten. *Dydim. Alexandrin.* expoſit. in Epiſt. Canonicas . . . *Baſil.* homil. in

II. *Dogmatica*, quae ſanctae Fidei dogmata adſerit, probat, confirmat, illuſtrat (*q*). III. *Polemica*, hoc eſt Controverſiſtica, ſeu Bellatrix, quae fidei controverſias urget contra Eccleſiae hoſtes, ſancta Dogmata ab eorum telis & inſultibus vindicans (*r*). IV. *Scholaſtica*, vel Speculatrix,

in Geneſ. & Pſal. . . *Ambroſ.* Com. in Geneſ. varios Pſal. Luc. &c. . . *Hieron.* in Comment. Praefat. & Quaeſtionib. in omnes fere Script. libros .. *Chryſoſt.* in hom. in Geneſ. in Matthae. in Luc. &c. *Auguſtin.* in Comment. in Geneſ. in Pſal. in Joan. &c.

Deinde ex Doctis Junioribus *Petr. Bleſenſis* in Compendio in Job. . . *Joachim.* Abbas in Concordia utriuſque Teſtamenti & in Hierem. Iſai. Apoc. . . *Guilielm. Pariſienſis* Com. in Exaëmeron, Pſalm. &c. . . *Rabanus Maurus*, & *Anſelmus Laudunenſ.* & *Strabus* & *Hugo* Cardin. & *Alex. Alenſis*, & *Nicol. Liran.* & *Dion. Carthuſian.* & *Emman. Sa* in Comment. in omnem Scripturam, . . *Albertus* M. in XII. Proph. minores & in IV. Evang. *S. Thom.* in quinquagenam Pſalmorum, in Cantica, in Joan. &c. *Innocent.* P. V. in Pentateuch. Pſalm. &c. . . *Aegid. Columna* in Exaëmeron, in Cant. &c. *Joan. Duns Scotus* in Geneſ. in Evangelia, in Epiſtolas Canonicas . . . *Guido* Carmel. in S. Scripturam pene univerſam . . . *Gregor. Ariminenſis* in Epiſtolas S. Paulli & in Ep. S. Jacobi . . . Quibus addito ſuperius indicatos a p. 46.

(*q*) Eam elucidant ex priſcis Patribus *Juſtin.* M. in dial. cum Tryphone, in binis Apolog. in expoſit. fidei, in orat. paraenet. ad Gentes . . . *Athenagoras* in apol. pro Chriſt. . . *Minut. Felix* in Dial. ſeu Octavio . . . *Hippolytus* Epiſc. Portueneſis in libris de Theologia, de Incarnat. de conſummat. mundi, de Antichriſto, de ſecundo Chriſti adventu . . . *Origen.* de recta in Deum fide . . . *Greg. Taumaturg.* in expoſit. fidei adverſ. Elianum . . . *Hilarius* in libris XII. de Trinit. . . *Euſeb. Caeſar.* in libris XIV. de Praep. Evang. & aliis X. de Evang. Demonſtrat. . . *Auguſt.* tr. de vera relig. & de fide & ſymbolo, libr. XV. de Trinit. & libr. XXII. de Civit. Dei &c.

Tum e Doctis Recentioribus *Theorianus* Graecus in dialogis contra errores Armenorum . . . *Ceorg. Scholarius* in V. orationibus de V. articulis controverſis pro verit. catholica, hoc eſt de proceſſ. Spiritus S., Primatu Papae, Azymo, Purgatorio, Viſione Dei ante reſurrect. corporum . . . *Petr. Bleſenſis* in inſtructione fidei ad Soldanum Iconii . . . *Nicetas Choniates* in libr. V. de Fide orthodoxa . . . *Aegid. Columna* in tr. de diſtinctione articulorum fidei, & de Corpore Chriſti . . . *Franciſc. Meyronis* in tr. de articulis fidei . . . *Joan. de Baccone* in Compendio legis Chriſti . . . *Simon de Caſſia* in expoſit. Symboli Apoſtolici . . . *Auguſtin. de Roma* in tr. de libero arbitrio . . . *Bernardin. Senenſis* in tr. de Chriſtiana Religione, ac de Evangelio aeterno . . . *Pius* P. II. in tr. de fide ad Imperator. Turcarum . . . *Joan. Franciſcus Picus Mirandulanus* in tr. de verit. Religionis Chriſtianae adverſ. Gentilium ſuperſtitiones . . . *Petrus Caniſius* in celeberrimo Catechiſmo &c. . . Quibus adjice *Polemicos*, qui ſacra Dogmata deſumptis undequaque documentis vulgo roborant, priuſquam ea ab objectis haereticorum vindicent.

(*r*) Eam docent & illuſtrant ex veterrimis Patribus *Theophilus* Epiſc. Antiochen. in libr. III. ad Autolycum adverſ. Chriſtianae relig. Calumniatores. *Irenaeus* in libr. V. adv. haeret. *Tertullian.* in l. de praeſcription. adverſ. haer. & l. apologet. adv. Gentes, & contra Marcion. &c. . . *Clemens Alexandrin.* in libr. Stromateon paſſim . . . *Origen.* in libr. VII. contra Gentes . . . *Lactant.* libr. VII. divin. Inſtit. . . *Athanaſius* in Orationib. contra Arianos &c. . . *Serapion* Epiſc. Thmueos l. contra Manichaeos . . . *Gregorius* Boeticus l. contra Arianos . . . *Dydimus* Alexandrinus l. contra Manichaeos . . . *Epiphanius* in panario contra 80. haereſes.

Tum ex Recentioribus *Jacobus de Vitriaco* l. contra Saracenos . . . *Guido* Carmelit. in ſumma omnium haereſum . . . *Emman. Calecas* l. contra errores Graecorum pro Latinis . . . *Bernardin. Senenſis* in ſermon. contra Judaeos . . . *Joan. a Capiſtrano* in tr. contra Huſſitas . . . *Pius* P. II. l. de rebus Eccleſiaſticis contra haereticos Thaboritas . . . *Beſſarion* Cardinal l. contra Marcum Epheſinm pro Eccleſia Romana . . . *Nicol. de Cuſa* tr. adverſus Bohemos . . . *Finus Adrianus* in Flagello contra Judaeos . . . *Joan. Eckius* in Enchir. controverſiar. . . *Conradus Koellin* in everſione Lutherani epithalamii . . . *Ambroſ. Catharinus* tr. adverſ. Lutherum . . . *Alfonſ. a Caſtro* in Comment. adverſus haereſes . . . Quibus addere licet ſupra nominatos a p. 44.

Cl. V. *Joan. Sianda* Bibliothecam Polemicam alphabeticam ejuſmodi Authorum confecit; et alius aliam chronologico-criticam, uberioremque adparavit.

trix, quae ſeveriori methodo dialecticae adſtricta in definiendo, dividendo ac ſubtilius argumentando, Fidei dogmata elucidat per ſpeculativas quaeſtiones de rebus, ſummum Deum utcumque concernentibus (*s*).

V. *Moralis*, aut practica, quae morum praxim reſpicit, comparate ad Deum ut finem hominis; ac propterea dogmata mores concernentia edocet, aut Scholaſtica methodo, aut nuda caſuum propoſitione: quocirca illa vulgo adpellatur Scholaſtico-Moralis, haec vero Caſuiſtica (*t*).

VI. *Popularis*, quae populo fidei, morumque doctrinam dilucide ac modo familiari exponit; & quidem aut per catecheſes, aut per concionnes Oratoriae legibus adſtrictas: unde illam Catecheticam dicunt, hanc vero Concionatoriam (*u*).

VII. *Aſcetica*, quae tradit doctrinas ad obtinendam virtutum perfectionem conducentes (*x*).

VIII. *My-*

(*s*) Huic Theologiae, medio Aevo vertente primum enatae praeluſerant multi ex priſcis Patribus, quos ſupra innuimus pag. 42. Eam inſuper adumbrarunt *Samuel Tajus*, *Joan. Damaſcenus*, et *Anſelmus Cantuar*, ex p. 1. et 2. Inſtituit demum *Petrus Lombardus*, ex p. 2. et illuſtrarunt mirifice perplurimi, e quibus cenſum ſat prolixum jam protulimus a p. 7. et a p. 141.

(*t*) Hanc elucidant ex priſcis Patribus *Tertul.* in l. de Virginib. velandis, et l. de habitu muliebri et l. de pallio et l. de cultu feminarum &c.... *Cyprian.* tr. de Eleemoſyna, et de lapſis, et de ſpectaculis, et de habitu virginum... *Baſil.* in moralium ſummis... *Chryſoſt. Hieron. Damaſus*, *Auguſtin. Paullinus* in Epiſtolis paſſim... *Bernard.* in Epiſtolis... *Hugo Victor.* in Inſtitution. in Decalogum, et tr. de Sacram. in genere et in ſpecie.

Ex junioribus vero *Joan. Saresberienſis* in Opere poenitentiali... *Petr. Bleſenſis* in l. de confeſſione Sacramentali, et l. de ſatisfactione a Sacerdote injungenda... *Raymund. a Peñafort* in ſumma canonico-morali... *Guilielm. Pariſienſis* in ſumma virtutum et vitiorum, et tr. de Sacram. &c.... *Vincent. Bellovacenſis* (vel quiſquis ſit ejus Author) in ſpeculo morali... *Henric. Gandavenſis* in tr. de poenitentia et tr. de Virginitate &c... *Natalis Herveus* in tr. de Sacram.... *Franc. Mayronis* in tr. de Indulgentiis et tr. de Poenitentia &c.... *Bartholomaeus Piſanus* in ſumma morali, quae vocatur Piſanella... Quibus addendi ſuperius advocati a p. 48.

(*u*) Hanc exornant et amplificant ex veteribus Patribus *Gregor. Taumaturg.* in ſerm. de Domini Theophania, ſeu de Chriſti Baptiſmo... *Cyprian.* in tr. de Orat. Dominica... *Pacianus* in paraeneſi ad poenitentiam... *Baſil.* in homiliis varior. argumentor.... *Nazianzen.* in VII. Orationib. in dies feſtos... *Ambroſ.* in exhortat. ad Virgines, et in variis ad populum concion... *Nyſſen.* in ſermonib. de Nativit. et Adſumpt. Domini, de S. Baptiſmate, de S. Stephano... *Amphilochius* Epiſc. Iconii in homiliis plurimis... *Dorotheus* Archimandrita in Sermon. XX.... *Chryſoſt.* in concionibus 32. de ſacris feriis, et hom. 30. ad popul. Antiochenum &c.... Plures dabit *Combefiſius* in Bibliotheca Concionatoria tomis VIII.

Ex Recentioribus *Innocent.* P. III. et *Anton. Patavinus* in libris ſermonum... *Guilielm. Pariſ.* in tr. de Rhetorica divina et l. ſermon.... *Jacob. a Vitriaco* in l. concion. de tempore... *Humbertus* Prior Gener. O. P. in l. de eruditione Concionator. et l. ſermon... *Thom.* et *Scotus* in ſermonib. de tempore ac de Sanctis... *Bonavent.* in concionib. XXIII. in Exaëmeron.... *Vincentius Ferrerius*, *Joan. Taulerus*, *Bernardin. Senenſis*, *Laurent. Juſtinianus*, *Thom. a Villanova*, *Joan. a Carthagena*, *Didac. Nyſſenus*, *Paull. Segneri*, *Joan. Paull. Oliva*, *Vicyra*, *Bordelau*, *La-Colombiere* in ſuis concionibus... *Gregor. Majanſius* in Oratore chriſtiano... *Anton. Codorniu* in Concionatore Evangelico.

(*x*) Eam exponunt ex antiquioribus Patribus *Tertul.* in l. de Orarione, et de Poenitentia et de patientia &c... *Oreſienſis* in tr. de vita monaſtica... *Ephrem* Syrus in tractatib. aſceticis... *Baſil.* in Conſtitutionibus Monaſticis et in ſermonib. VII. aſceticis... *Diadocus* Epiſc. Photices in l. de perfectione capita 100. continente... *Hieron. Auguſtin. Ambroſ.* in Homiliis et Epiſtolis paſſim... *Chryſoſt.* in libr. II. de compunctione cordis &c... *Ambr.* etiam in l. de inſtitutione virginis, et de Fuga ſeculi &c...

Joan.

VIII. *Myſtica* ſeu Arcana, quae docet arcanos, ſublimeſque modos, quibus ſeſe Deus creaturis communicat (*y*).

IX. *Liturgica*, quae differit de ſacris ritibus aut ceremoniis, qua Ss. Liturgiae ſeu Miſſae ſacrificium, qua ceteras eccleſiaſticas functiones ſpectantibus (*z*).

X. *Ma-*

Joan. Caſſianus in Collationib. Patrum et in l. inſtitutionum ... *Nilus* de inſtitutione Monachorum, et de Oratione per 148. capita &c.

Ex Modernis *Innocent.* P. III. in tr. de contemptu Mundi et de laude caritatis &c... *Guil. Pariſienſ.* in tr. de operibus virtutum ac de remediis tentationum ... *Humbertus* in tr. de votis eſſentialibus religioſorum ... *Albert.* M. in enchiridio de veris, perfectiſque virtut... *Bonav.* in tr. de inſtitutione vitae Chriſtianae, ac de gradibus virtutum &c... *Franciſc. Petrarcha* in dialogis III. de contemptu mundi ... *Joan. Rusbrochius* in ſumma totius vitae ſpiritualis &c. .. *Vincentius Ferrerius* in tr. de vita ſpirituali ... *Thom. a Kempis* (ſeu quiſquis ſit ejus Author) in libr. IV. de imitatione Chriſti &c... *Bernardin. Senenſis* in tr. de triplici ſtatu animae &c... SS. *Catharina Senenſis*, *Franciſcus de Paula*, *Xaverius*, *Borgia*, *Saleſius*, *Andreas Avellinus*, *Teresia a Jeſu* in ſuis ſpiritualibus Epiſtolis... *S. Ignatius a Lojola* in libro aureo de exercitiis ſpiritualibus, et in Epiſt. circa obedientiam ad Luſitaniae Socios ... *Ludovic. Granatenſis*, *Ludovic. a Ponte*, *Alphonſ. Rodriguez* in ſuis comment. aſceticis.

(*y*) Eam elucidant ex perantiquis Patribus *Dionyſ. Areop.* in l. de Myſtica Theologia ... *Proſper* Aquitanus in libr. III. de vita contemplativa ... *Anaſtaſ. Sinaita* in libr. II. anagogicarum contemplationum in Exaëmeron ... *Joan. Climacus* in Scala, ſeu lib. XXX. graduum, quibus ad perfectionem adſcenditur ... *Germanus* Ep. CP. in theoria rerum ſacrarum ... *Idiota* in l. contemplationum ... *Richard. Victorinus* in libr. V. de praeparatione ad contemplationem et de gratia contemplationis.

Ex Recentioribus *Humbertus* in l. de VII. gradibus contemplationis ... *Albert.* M. in l. de adhaerendo Deo ... *Bonavent.* de VII. gradibus contemplat. et in tr. de Myſtica Theologia, et in ſtimulo divini amoris &c... *Henricus Suſo* in tr. de IX. rupibus ... *Joan. Rusbrochius* in tr. de VII. gradibus amoris, et libr. III. de nuptiis ſpiritualibus .. *Petr. ab Aliiaco* in compendio contemplationis et tr. de ſpirituali ſcala ... *Laurent. Juſtinianus* in tr. de ſpirituali animae interitu, ac de connubio Verbi et animae ... *S. Teresia a Jeſu* in tr. de Manſionibus &c. *Joan. a Cruce* in tr. de obſcura nocte &c. *Franciſcus Saleſius* in tr. de amore divino ... *Dominicus Gravina* in lapide Lydio ad diſcernendas veras a falſis viſionibus et revelationibus ... *Dominic. a Ss. Trinitate* in Bibliotheca Theolog. tom. 6. l. 7. *Euſeb. Amort* in Regulis tutis de revelationibus, viſionibus et adparitionibus ... Quibus adjicendi quos ſuperius recenſuimus a p. 47.

(*z*) Eam exponunt, illuſtrantque ex antiquioribus Patribus *Dionyſ. Areop.* in l. de Eccleſ. Hierarchia ... *Ambroſ.* lib. III. de Officiis et l. de iis qui Myſteriis initiantur ... *Iſidorus Hiſpalenſis* in l. de genere Officiorum... *Maximus* M. in l. de Ecclica Myſtagogia ... *Beda* in l. de Officiis ... *Alcuinus* in l. de divinis Officiis ... *Amalarius Fortunatus* in libr. IV. de Ecclicis Officiis .. *Rabanus* in libr. III. de inſtitutione Clericorum ... *Remigius Autiſſiodorenſis* in Miſſae expoſitione ac l. de divinis Officiis ... *Stephanus Eduenſis* in tr. de Sacramento Altaris, ac de iis qnae ad ipſum pertinent ... *Fulbertus Carnotenſis* in l. de Officiorum Eccleſiaſticorum varietate ... *Berno* Abbas Augienſis in l. de rebus ad Miſſae officium pertinentibus ... *Joan. Micrologus* in l. de Ecclicis Obſervationib. .. *Ivo* Carnotenſis Epiſc. in ſermonibus XXI. de divinis & Eccleſiaſticis Officiis, et praecipuis feſtis diebus ... *Rupertus* Ab. Tuitienſ. in libr. XII. de divinis Officiis ... *Hugo Victor.* in libr. III. de Ceremoniis, Sacramentis, et Officiis Eccleſiaſticis.

Ex Recentioribus *Petr. Bleſenſis* in Canone Epiſcopali, ſeu de inſtitutione Epiſcopi ... *Innocent.* P. III. in tr. de conſecratione Pontificis ... *Bonavent.* in tr. de Eccleſiaſtica Hierarchia ... *Guilielmus Durantes* in Rationali divinorum Officiorum ... *Gabriel Biel* in expoſitione Canonis Miſſae ... *Joan. Bona* in libris rerum Liturgicarum ... *Franc. Anton. Zacharia* in Diſſert. de uſu librorum Liturgicorum in rebus theologicis ... *Emanuel Azevedo* in Epiſtola ad Liturgicae Academiae Auditores, quae extat in tom. I. Oper. Bened. P. XIV. de Servorum Dei Beatificatione, ac Beatorum Canonizatione: ubi alii perplurimi laudantur, & commendantur ad uſum Studii Liturgici.

X. *Mariana*, quae verſat dotes ac praerogativas Ss. Mariae Virginis Matris Dei (*a*).

24 QUAESTIO III. Quid de reliquis Theologiis? ADSERO I. Aliae diverſos ob titulos aut reſpectus aliter ab AA. deſignantur. E. g. *Divina*, quae eſt in Deo, hoc eſt Dei Scientia; *Beata*, quae in Beatis; *Terreſtris*, quae in viatoribus. Deinde *Symbolica*, quae divinas res verſat per figuras, aut ſymbola, in ſacro Codice Deo adtributa, v. c. ſub voce Agni, Petrae &c., & *Demonſtrans*, quae per nomina proprie uſurpata, v. g. ſub voce Dei, Perſonae &c. Praeterea *Facultativa*, quae importat collectionem methodicam tractatuum, quibus mens inſtituitur circa res ad Deum utcumque pertinentes: idque venit ſub τὸ *Facultas*, aut *Diſciplina* in Theologiae definitione ſuperius ſtabilita. Tum *Actualis*, hoc eſt actus theologicus, a propoſitione revelata deductus; & *Habitualis*, nempe habitus theologicus ex repetitione ſimilium actuum relictus. II. Hae, aliaeque ſimiles ſub ſenſu aliquo ad decem praecipuas revocantur, aut ſub ipſis continentur (*b*).

§. III.

De Convenientia & Diſcrimine inter praedivisas Theologias.

25 QUAESTIO I. In quibus conveniant? ADSERO: Conveniunt 1.° in fectionibus, quae Theologiae generatim acceptae ſolent adtribui. Haec autem eſt in primis Diſciplinarum omnium praeſtantiſſima: videlicet ex Objecto; ex fine; ex gravitate materiae; ex profunditate & copia ſermonis; ex utilitate ac jucunditate, quibus animus eam addiſcentis adficitur. Hinc (*c*) ipſi tanquam Reginae, Scientiae reliquae ancillantur (*d*). Deinde eſt ſimpliciter Scientia, quatenus habet principia certa (*e*) ſuaque doctrina fidem gignit, roborat, atque defendit (*f*).

26 Eſt inſuper una Scientia (*g*) unitate ſcilicet adgregationis, ſpecie diverſa ab aliis Scientiis; at cum multiplici habitu ſpecie diſtincto, quemadmodum in Philoſophicis nonnulli adſerunt de Dialectice [*h*]. Nam pri-

(*a*) Eam exornant ex antiquis Patribus *Gregor. Taumaturgus* in ſermonib. III. de Adnuntiatione B. V... *Damaſcen.* in Orationib. de Nativ. et Adſumpt. B. V... *Anſelmus* in l. de Conceptu Virginali et peccato originis... *Bernard.* in homiliis in laudem Virginis Matris... *Hugo Victorin.* in tr. de perpetua Virginitate Matris Dei, et ſerm. de ejuſdem Adſumptione... Quibus addendi ſuperius laudati in *Bibliotheca Theologica* ubi de Matre Chriſti p. 259. & 260.

Ex Junioribus *Arnoldus* Carnotenſ. in l. de laudibus B. V... *Bonavent.* in ſpeculo de laudibus B. Mariae &c. *Bernardin. Senenſ.* in Conc. de Conceptione B. V... *Joan. a Capiſtrano* in tr. de Conceptione V. Mariae... Quibus adnumerare licet jam indicatos p. 47. et in *Bibliotheca Theologica* p. 259. & 260. & 261.

(*b*) Videſis *Redingium* cit. q. 1. ar. 1. controv. 3. et ceteros TT. ubi de Theol. Prolegomenis.

(*c*) Ex *Proverb.* 9. 1. uti ſub accòmodatitio ſenſu vulgo exponunt TT.

(*d*) *D. Thom.* 1. p. q. 1. ar. 5. ibiq. *Interpr.*

(*e*) *D. Th.* cit. a. 2. *Eſparz.* in Prooem. *Red.* cit. *Paul. a Concept.* hic D. 1. n. 17. contra Vaz. Scot. Amic. To[illegible] &c.

(*f*) Ex *Aug.* l. 14. de Trin c. 1.

(*g*) Ex *D. Th.* cit. a. 3.

(*h*) *Eſpar.* cit. ar. 23. cum aliis.

primum Theologiae objectum ab objecto cujuſvis alterius Scientiae valde diſtat. Deinde ex multis actibus ſpecie diverſis, quos Theologus elicit, nonniſi habitus omnino ſimiles ſuboriri poſſunt. Ex iis tandem adgregatis & in unum ſaltem ultimatum objectum conſpirantibus, conſurgere debet ſcientia re ac nomine una. Eſt denique Sapientia, quatenus verſatur cùm circa ſumma & praeſtantiſſima rerum omnium principia, tùm circa illa, quae iiſdem ex principiis oriuntur, ac perfectiſſime cognoſcuntur. Haec enim eſt Sapientiae notio, ex *Philoſ.* [*i*] *Auguſt.* [*k*] *D. Th.* (*l*) qui propterea nobiſcum eſt [*m*] & vulgo D. Thomae *Interpretes*. (*n*)

OBJECTIONES.

27 Objicis *primo*: Theologia non eſt ſtricte Scientia. Nam 1.° ad rationem verae Scientiae requiritur, ut ſciens poſſit concluſiones reſolvere in prima principia per ſe nota, ſeu evidentia; id tamen longe diſtat a Theologia, quae nempe a principiis revelatis, atque adeo obſcuris procedit: ergo. 2.° ad veram ſcientiam expoſcunt evidentiam Philoſophus [*o*] Clem. Alexandr. [*p*] S. Thom. [*q*] & plerique vulgo Theologi.

28 R. *N. Adſumptum*. Ad 1. prob. *N. Ma.* Quia evidentia ſe habet tantum cauſſaliter ad ſcientificum adſenſum; hujus autem ratio formalis & quidditativa conſiſtit in certitudine notitiae diſcurſivae ex principiis certo & infallibiliter cognitis, qua porro gaudet Theologia. Ad 2. in ſenſu Philoſophi idem eſt ſcientia ac certitudo: cum autem haec ſeorſim a fide, quam ipſe neſcivit, abſque evidentia comparari nequeat, ideo omnem ſcientiam eſſe evidentem adſeruit. Et haec quidem deinceps ſcientiae notio vulgo obtinuit apud Doctos. Unde ut ſummum inferas, ſcientiam in ſenſu Ariſtoteleo imbibere evidentiam, non autem in ſenſu vero, proprio ac theologico: & illum porro ſequuti ſunt Clem. & S. Th. laudati; hunc vero idem Clem. ubi inquit (*r*) *Meditationem fidei in ſcientiam evadere*; tum idem *S. Th.* (*s*) cui adde *S. Aug.* proxime cit. ubi ſentit, Apoſtolum 1. Cor. 12. Theologiam proprio vocabulo *Scientiam* adpellaſſe (*t*).

29 Obj. *ſecundo*: Theologia eſt una ſimpliciter ſcientia cum unico habitu theologico: multiplex enim ejuſmodi habitus ſupervacaneus eſt. Nam unus habitus infuſus fidei ſe extendit ad credendas veritates ſpecie diſtinctas; & ſtat quoque cum facilitate ad unam credendam, & cum difficultate ad aliam credendam: ergo pariter unus ſufficit habitus theologicus &c. R. *N. Adſ.* (*u*) Ad prob. *N. Con.* Habitus infuſus datur ad ſimplici-

(*i*) 1. Metaph. c. 2. et 5. Ethicor. c. 7. et alias.

(*k*) 22. de Trin. c. 14. et ſaepius.

(*l*) 1. 2. q. 57. a. 1. et 1. contra Gent. c. 1. ibique *Ferrar.*

(*m*) 1. p. q. 1. a. VII.

(*n*) Conſentiunt *Can.* de loc. l. 12. c. 2. et *Petav.* de Prolegom. c. 8. a n. 7.

(*o*) 1. Poſter. cap. 2.

(*p*) L. 2. Strom. non longe ab initio.

(*q*) 1. 2. q. 67. a. 3. O. et q. 14. de verit. ar. 9. et alias.

(*r*) In eodem l. 2. Strom.

(*s*) 1. p. q. 1. a. 2.

(*t*) *V. Can.* de loc. l. 12. c. 2. et *Petav.* in Proleg. c. 8.

(*u*) Contra commun. Thomiſtarum ſentent. cum Richar. Hiſpal. Cajet. Bañ. Zumel, Arrub, &c. in 1. p. q. 1. a. 3.

plicíter poſſe & commenſuratur cum voluntate Dei, qui pro libito cum limitat, ſeu amplificat: habitus vero Theologicus, de quo in praeſentia, datur ad facile poſſe, ac limitatur ab actibus, a quibus progignitur, quocirca cum eiſdem ſpecie pluribus commenſurari par eſt.

30 Conveniunt 2.° in Objecto ſaltem formali & Adtributionis, quod Theologiae generatim ſumptae Deus eſt. Ratio enim formalis, ob quam de Deo ceteriſque differit Theologia, Deus eſt; Deoque inſuper objecta ſua particularia adtribuit, tanquam partes toti: ea quippe conſiderat ſub ratione Dei, vel quia ſunt Deus, vel quia ad Deum tanquam principium & finem utcumque ordinantur (*x*).

OBJECTIONES.

31 Obj. *primo* contra datam doctrinam. Theologia non conſiderat Deum ſub ratione abſoluta Deitatis, ſed Deitatis qua revelantis: ergo. *Secundo.* Quidquid verſat Theologia, aut ſunt res, aut ſigna: ergo in iis adaequatum ejus objectum ſitum eſt (*y*). *Tertio.* Deus ut Salvator continet virtute univerſa Myſteria, de quibus differit Theologia (*z*). *Quarto.* Plura alia participant immediate rationem formalem *ſub qua* Theologiae, quum eodem modo revelentur a Deo: immo eorundem quoque paſſiones demonſtrat Theologia: ergo.

32 R. Ad 1. *N. A.*, ſi de ratione ultimata ſermo ſit; ſic enim Deitas revelans ad abſolutam Deitatem reducitur. Ad 2. *N. Con.* quia objectum adaequatum debet exprimere rationem primariam, ob quam ſcientia de iis differit. Ad 3. *Tranſmitto A.* & *N. Con.*; quoniam ipſa Salvatoris ratio, & reliquae ſub ea contentae pertractantur a Theologia in ordine ad Deitatem. Ad 4. *N. Con.*; quia haec omnia ſunt cum relatione vel ſubordinatione ad Deum, vel per modum principii, vel inſtar finis (*a*).

33 Conveniunt 3.° in Locis Theologicis, e quibus tanquam ex theſauro, fonte, vel promptuario dicitur Theologia ſua depromere media, principia & momenta ad theſes probandas & convincendas. Sed de iis tamen longiori oratione differamus, oportet §. IV., quoniam fuſior de eis cognitio cuilibet Theologicam diſciplinam adgredienti perneceſſaria eſt.

34 Conveniunt 4.° in uſu Subſidiorum, de quibus in §. V. haec enim Theologiis ſingulis, data opportunitate, propriis comprobandis, illuſtrandiſve theorematibus permagno adjumento eſſe poſſunt.

35 Conveniunt 5.° in praenobili auxilio, quo ſingulae invicem ſeſe fovent, juvant, illuſtrant. Immo ſaepeſaepius ex ipſis Theologiis plurimae, nec raro omnes, eaſdem, ſub methodo cuique propria, materias verſant. Eo denique nexu vigent, ut ſingulae addiſcendae illi ſint, qui optet perfectiſſimi Theologi nomen obtinere: ideo olim, apud non-neminem, praecipuae ex adſignatis Theologiis in nonnullis Academiis excolebantur.

(*x*) Conf. *S. Th.* cit. a. 7 *Granad.* tr. prodr. D. 2. n. 2. *Eſpar.* cit. ar. 16.
(*y*) Ita Magiſter in 1. diſt. 1.
(*z*) Ita *Durand.* in 1. q. 5. in prologo.
(*a*) V. *D. Th.* cit. q. 1. a. 7. *Amic.* heic D. 1. ſect. 3. *Paull. a Concept.* heic D. 1. a n. 69.

36 QUAESTIO II. Quo pacto invicem diſcriminentur? ADSERO: Diſcriminantur 1.° ex objecto materiali directo; hoc enim multiplex eſt ac diverſum in pleriſque Theologiis: ſic etenim Myſtica tradit arcanos Contemplationis modos, non item Scholaſtica; Liturgicae ſcopus eſt ritus Eccleſiaſticus, minime tamen Biblicae &c. 2.° ex munere atque modo diverſo, quo eaſdem materias, ipſumque ſubinde Deum adtingunt: e. g. Dogmatica differit dogmatice de Sacramentis & peccatis; Scholaſtica ſpeculative; Moralis practice. 3.° ex eo quod aliae ſint prae aliis quandoque utiliores; immo & in communi aeſtimatione nobiliores. Sic enim in Hiſpania utilior eſt Moralis, quam Polemica; ac in Academiis celebrioribus, jam Scholaſtica, jam Polemica, jam Poſitiva primum obtinet locum.

37 4.° Ex eo quod ſit Theologia ſimpliciter neceſſaria toti Eccleſiae corpori; quippe qua fides gignitur, roboratur ac defenditur (*b*): haec autem neceſſitas complectatur, oportet, omnes Theologias indeterminate tantum ac vage; nullam vero ſigillatim ac determinate: quocirca jure dixeris, nullam & omnes eſſe neceſſarias. 5.° ex eo quod nec ſingulis nec ob ſingulas conveniant plura praedicata, quae de Theologia generatim accepta enuntiantur. Sic enim Scholaſtica eſt primario ſpeculativa, cum ejus finis primarius ſit alumnos ad divinarum rerum cognitionem adducere (*c*); at vero Moralis & Aſcetica ſunt primario & abſolute practicae: Polemica eſt haereſum debellatrix; non item Liturgica, &c.

OBJECTIONES.

38 Obj. Theologia non eſt Eccleſiae ſimpliciter neceſſaria. Nam 1.° Fides eſt prior Theologia, ſicut lumen principiorum ſcientias naturales praecedit: ergo non requiritur Theologia ad fidem generandam. 2.° ex aliquot Provinciis, quae carent Theologis, multi ſalvi fiunt. 3.° ad certo & ſine errore cognoſcenda quae de Deo naturaliter cognoſci poſſunt, ſufficiunt aliae ſcientiae naturales, e. g. Metaphyſica, ſi fidei adjungantur: ergo hoc ſaltem ex capite non eſt Theologia ſimpliciter ad ſalutem neceſſaria.

39 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob. Fides eſt prior in diſcipulo, non in Magiſtro qua tali, per quem utique fides in diſcipulo generatur. Excipe primum fidelem, ſeu Adamum, & alios ſimiles, qui praeter communem ordinem, ut alios inſtituerent, a Deo proxime edocti ſunt. Ad 2. Illi ſalvantur, quoniam olim Theologia introducta fuerat, ipſique in bona & ſancta parentum fide procedunt. Ad 3. Naturales ſcientiae non adjunguntur per ſeſe, ac ratione ſui divinae fidei, quemadmodum adjungitur Theologia, quae per ſeſe & ex munere ſuo procedit ex immediate creditis a fide ad ſua theoremata deducenda atque probanda: unde ipſa duntaxat habet, quod

(*b*) Hoc Catholicorum omnium conſenſu receptiſſimum eſt. Conf *D. Th.* cit. a. 1. *Nicol. Niſſe* in qq prooem. q. 1. & 2. *Arrub.* in D. Th. cit. Diſp. 2. c. 3. *Eſpar.* in q. prooem. ar. 49. *Tourn.* in Praelect. tom. 1. Diſp. praevia q. 1. ar. 3. *Paull. a Concept.* cit. n. 6.

(*c*) Ex *D. Th.* cit. a. 4. *Arrub.* cit. D. 4. c. 2. *Reding* cit. ar. 2. controv. 4. *Eſpar.* cit. ar. 10. &c. contra Scot. & alios.

quod per ſe abſque errore procedat; in iis videlicet, quae aut revelata divinitus ſunt, aut cum revelatis connexa (*d*).

40 Ex hucuſque adſertis porro liquet, quot & quanta ſint Adtributa & Munera, praecipua commendatione digniora, quae Doctrinae Sacrae Authores certatim adjudicant; & quae itidem cuivis ſigillatim Theologiae, poſt adcuratam rei conſiderationem merito adtribui poſſint; Dogmaticae praeſertim & Scholaſticae, quibus plane tanquam noſtri Commentarii ſcopo vel formae permulta ſpeciatim referenda veniunt.

§. IV.

De Locis Theologicis.

41 QUAESTIO I. Quid de iis generatim? ADSERO I. Sunt, ut indicavimus, ſedes quaedam fundamentales, unde Theologus argumenta depromit, quibus ſua theoremata probet, elucidet, confirmet, defendat. Porro Veritates a Deo revelatae ſunt primaria principia Theologiae propria; iſti vero loci ſunt principia ſecundaria, quae nempe media miniſtrant, quibus illa primaria teneantur & propugnentur (*e*).

42 II. Horum numerus apud AA. varius eſt (*f*). Si preſſe loqui velimus, quinque ſunt. Nempe I. Authoritas Sacrae Scripturae libris Canonicis comprehenſae, II. Authoritas Traditionis, III. Authoritas Eccleſiae, IV. Authoritas Concilii OEcumenici, V. Authoritas Romani Pontificis. Haec autem Authoritas ſumma eſt, quoniam ejuſmodi Loci intelliguntur eſſe teſtimonia, ſeu inſtrumenta, quae teſtantur infallibiliter & inerranter veritates a Deo revelatas: quocirca eorum valor & pondus, quod in mente noſtra obtinere debent, ſummum eſt; proindeque certum & obſequentiſſimum adſenſum a nobis merito extorquent; per ea etenim teſtimonia concipitur Deus loqui (*g*).

43 III. Hi loci dicuntur Theologiae proprii, intrinſeci, interni, domeſtici, quoniam in Theologicis diſciplinis argumenta ab iis locis petita, primum obtinent locum, & rem conficiunt; cetera vero aliunde deducta merae conjecturae ſunt, nec veroſimilitudinis metas tranſiliunt. Adpellantur quoque Regulae fidei, quippe quae ita ob oculos ponunt objecta, ſeu Myſteria fidei, ut credi omnino debeant quaecumque ab ipſis proponantur.

44 IV. Quod ſpectat Locorum Theologicorum uſum, hae Regulae generatim obſervandae. I. Ut ex illis Theologus ſuas concluſiones ſolide ac efficaciter argumentando eliciat, eos omnes in promptu habeat, oportet, eorumque naturam & efficaciam perſpectam teneat. II. Non omnes Loci eandem vim ex ſeſe habent, nec ſemper in quavis materia

(*d*) Conf. *Paull. a Concept.* proxime cit. a num. 11.

(*e*) Videſis *Can.* tr. de locis in Praefat. *D' Argentr.* de elementis theolog. c. 2. *Gautier.* in Prodromo ad Theol. Dogmatico-Scholaſt. Diſ. 3. c. 1. art. 1.

(*f*) *S. Thomas* enumerat IV. loca, *Valentia & Eſparza* VII., *Gillius* XII., *Canus* & *Vazquez* ac fere ceteri X.

(*g*) V. cit *Gaut. & D' Argentr.* c. 3. ar. 1.

ex eorum ſingulis depromi poteſt argumentum perinde efficax ad concludendum : hinc eorundem delectu opus eſt ; adeo ut ex ſacra ipſorum Authoritate clariora praecipue, ac nonniſi ad ſubjectam materiam adcommodata oracula ſeligantur, praetermiſſis obſcurioribus, vel magis ambiguis, ab adverſario facilius eludendis.

45 III. Ut ab ipſis certum & prorſus efficax argumentum ducatur, Authoritas Loci ex quo teſtimonium eruas, debet eſſe certa, & qua talis ab iis admiſſa quibuſcum contendis; alioqui conficies nihil. E. g. non valet argumentum ex Sacris Scripturis petitum apud Atheos, Ethnicos, Libertinos, qui eas omnes tanquam Dei Verbum admittere recuſant; nec deductum ex Conciliis apud eos qui plurium Authoritatem repudiant, puta Anti-Trinitarii, qui nullum admittunt; Graeci, qui duntaxat ſeptem priora; plerique omnes Proteſtantes, qui ſex vel quatuor tantum priora; nec erutum a ſacra Traditione apud Macedonianos, Wiclefitas, Lutheranos, Calviniſtas, & complures ſimiles, qui eam prorſus abjiciunt. Hi primum de Locorum, quam negant, Authoritate convincendi.

46 IV. Haud unus & idem debet eſſe Locorum uſus apud ſingulos Theologiarum Profeſſores. Equidem E. G. Theologus Catecheticus puros fidei aut morum articulos plerumque ex eis mutuatur, quibus populum informet; dogmaticus indubitata momenta eruit, quibus Religionis dogmata ut certa enuntiet, roboret, atque confirmet; Scholaſticus depromit teſtimonia, quibus demonſtret poſitiones ſuas ut valde veriſimiles, & ſancto Dogmati conſentaneas, aut ſaltem non adverſas. Quocirca Locorum uſus uniuſcujuſque inſtituto conformandus eſt.

47 V. Ut teſtimonium e Locis deſumptum efficax ſit ad concludendum, non modo integre ſincereque producendum eſt, ſed etiam debet aperte exprimere veritatem evincendam, & hujus cum ipſo connexionem; alioqui certa ex illo argumentatio confici nequit, ſed duntaxat probabilis, aut probabilior, prout fuerit adlati teſtimonii connexio cum concluſione. Patet exemplo obvio Heterodoxorum, qui vulgo ex Sacris literis ingentem textuum farraginem pro ſuis erroribus coacervant, qui nec in ſe ipſis concluſionem, quam inde eruere moliuntur, continent, nec juxta mentem ſacri Scriptoris expoſiti cum ea connectuntur; atque adeo operam ludunt, & aerem verberant.

48 QUAESTIO II. Quid de iis ſpeciatim? ADSERO : Prolixos ipſi tractatus occupant apud Authores (*h*), & nos abunde de ſingulis in noſtra *Theologia Polemica Fundamentali*; quin etiam de ipſis inferius haud exiguam diſputationem inſtituimus, ubi *de Regulis Fidei* (*i*). Quamobrem ſufficiat heic generalem eorum notionem ac ideam indicare, & ea duntaxat per modum doctrinae perſtringere, quae propius eorundem Authoritatem, ac hujus uſum ſpectare videantur. Sit itaque

49 QUAE-

(*h*) Plures adnotavimus in Prodrom. II. ſub titulo *de Prolegomenis Theologiae*.
(*i*) Part. III. Tract. II. l. 1, cap. 1. §. 5.

49 QUAESTIO III. Quid de S.Scriptura? ADSERO I: S.Scripturae nomine veniunt *Libri ſacri a certis Hominibus, Deo inſpirante, ſeu ſpecialiter adſiſtente, conſcripti, & qua tales ab univerſa Eccleſia Catholica recepti*. Dicitur a Patribus *Verbum Dei ſcriptum, Teſtamentum Dei, Regula fidei* &c. Libri Canonici, ſeu qui dicuntur in Scripturarum Canone contineri, ſunt numero 72., videlicet 45. ex Veteri Teſtamento, & 27. ex Novo, prout eos Tridentina Synodus recenſuit (*k*) Ex iis libris nonnulli adpellantur *Proto-canonici*, quod eorum authoritas ſemper apud omnes certa fuerit; alii vero *Deutero-Canonici*, de quorum nempe authoritate aliquando inter Eccleſiae Doctores dubitatum eſt. Et vero poſtquam Tridentina ſanctio librorum numerum & partes tanquam authenticas, ac Deo inſpirante vel adſiſtente conſcriptas, definiit, nequit abſque piaculo de ullo aliquo vel ne quidem leviter ambigi. (*l*)

50 II. Omnis generatim Scriptura ſacra, prout eam accipit univerſalis Eccleſia ex praeſcripto Tridentini, infallibili ſummaque gaudet authoritate. Quoniam eſt Verbum Dei, ſacris Scriptoribus divinitus inſpiratum. Et quidem ita Spiritus Domini agiographis Scriptoribus verba revelavit, aut ſuggeſſit, ut in nulla uſpiam propoſitione conſcripta vel minime quidem erraverint. III. S. Scriptura tametſi interdum facilis, quandoque vero obſcura eſt ac perdifficilis etiam juſtis & ſanctis, adeo ut ſaepe ad infallibilem ejus intelligentiam infallibili Eccleſiae judicio opus ſit.

51 IV. S. Scripturae Verſiones, quae in omni fere idiomate originalem ejus textum exceperunt, pene numero carent. Ceterum inter eas omnes jure optimo a Tridentino Vulgata latina verſio adprobata eſt tanquam *authentica*, ſeu magnae ac infallibilis authoritatis; quatenus nempe in eis, quae fidem & mores ſpectant, Scripturae originali fideliſſime reſpondeat. Fere quae hucuſque adſeruimus, ſancta Fidei Dogmata ſunt, eaque multis probat Theologia Dogmatica, plurimiſque Polemica vindicat adverſus Heterodoxos.

52 V. Duplex eſt verborum Scripturae ſenſus, Literalis aut hiſtoricus, & myſticus aut ſpiritualis. Primus eſt, quem verba per ſeſe primo, proxime, immediate ſignificant; ſive proprie verba ſumantur, ſive non: ſecundus eſt, quem non proxime ſignificant verba, ſed res ipſis verbis ſignificatae. Rurſus Myſticus triplex vulgo diſtingnitur, nempe Allegoricus, Moralis, & Tropologicus, ſeu Anagogicus. Allegoricus eſt quum verba, praeter literalem ſenſum, quem praeferunt, aliquid ad militantem Eccleſiam adtinens, deſignant. Moralis eſt, quum verba praeter literalem ſenſum exprimunt aliquid morum inſtructionem ſpectans, aut officia caritatis. Anagogicus eſt, quum verba praeter literalem ſenſum deſignant aliquid pertinens ad vitam aeternam, quam ſperamus. Quatuor hi ſenſus memoriae levandae cauſſa iis ſolent carminibus exhiberi.

Lite-

(*k*) Seſſ. 4.

(*l*) Quam prudenter ſeſe geſſerit Tridentinum in eo edendo, vulgandoque decreto, pluribus oſtendimus in *Theol. Polem. fundam.* Controv. 5. Diſſer. 2. in Obſervationib. praeviis

Litera gesta docet, quid credas *Allegoria*,
Moralis quid agas, quo tendas *Anagogia*.

Porro ex iis literalis maxime praevalet in theologica argumentatione; reliqui vero si ab eisdem sacris Scriptoribus non usurpantur, tanta efficacia non pollent.

53 VI. Ad S. Scripturas intelligendas, exponendasque perplurimae Relae tradi solent. *Franciscus Ruizius* Vallis-Oletanus, S. Facundi Abbas, Regulas ccxxxv. ex communi Patrum & Theologorum traditione excerptas proposuit & explanavit. Haec autem prae ceteris quae adferri possint, merito retinenda; quod nempe Scripturae sensus a Divino Spiritu intentus infallibiliter duntaxat repeti potest ac debet ex Ecclesiae docentis infallibiii judicio & declaratione, quemadmodum & decisio in ceteris de Religione controversiis.

54 VII. Ad usum hujus Loci ex dictis facile descendunt hae Regulae. I. Ut efficax fiat argumentatio, ex iis duntaxat libris momenta repetenda sunt, quos Ecclesia pro canonicis certo agnoscit: atque adeo ex aliis, quos ut apocryphos omittit, e. g. lib. 3. & 4. Esdrae, 3. & 4. Machabaeorum, non nisi probabile argumentum duci potest; nullum vero ex aliis, qui Ecclesiae supposititii sunt, e. g. Iter S. Petri, Epistola Paulli ad Laodicenses, Evangelium Bartholomaei &c.

55 II. Ubi non suppetit Ecclesiae definitio pro alicujus Scripturae interpretatione, si tamen faveat unanimis SS. Patrum consensus, hic rei certitudinem creare videtur, ex mente Ecclesiae; quoniam ex Tridentini decreto nefas est ejusmodi consensui oppositа expositione repugnare (*m*). Quod si Patrum sententiae divisae sint, minime certum inde argumentum pro intenta expositione descendet, sed probabile duntaxat, vel probabilius, pro majori numero & pondere Sanctorum Interpretum.

56 III. Ex genuino Scripturae textu, accepto in sensu literali semper efficax argumentum eruitur in probationem Veritatis, quae in illo dilucide continetur, seu cum qua is aperte connectitur. IV. Quandoque ex sensu figurato seu Mystico efficax argumentum repeti potest: quoniam ejusmodi sensus potuit etiam intendi ab Spiritu S., praeter literalem, in quo fundatur. V. Sensus Accommodatitius, cum non sit ab Spiritu S. cum literali nobis consignatus, nec ab Ecclesia qua talis definitus, Theologo nunquam praestat argumentum infallibile. (*n*)

57 QUAESTIO IV. Quid de sacra Traditione? ADSERO 1. Est *Verbum Dei non scriptum*, hoc est revelatio facta a Deo, literis non consignata, sed vivae vocis oraculo quasi per manus ad nos usque transmissa. Traditio haec dicitur divina, quatenus a Deo loquente venit, ac primitus profluxit; tum Apostolica, quatenus Apostoli dogmata quaedam ex ipsius Christi ore, seu Spiritu S. dictante accepta, nomine ipsius loquentes, velut ejus Praecones fidelibus adnuntiarunt, indeque quasi de aure in aurem ad posteros successive perducta sunt. 58 II. In

(*m*) Sess. 4. in decreto de libris Canonicis.

(*n*) Plura TT. ad hunc Locum & nos in *Theol. Pol. Fund.* Controv. V.

58 II. In omni Lege, ſcilicet naturali, ſcripta & Chriſtiana tenuit & adſervavit Eccleſia plurium divinorum dogmatum, qua fidem, qua mores concernentium, traditionem legitimam. III. Sacrae Traditionis Authoritas ſumma eſt, inerrans, infallibilis; nec quidem ipſa minor, quam ſit Sacrae Scripturae, quoniam Verbi Dei authoritas non a charta & atramento pondus & momentum obtinet, ſed ab ipſo Deo, cujus eſt verbum. IV. Apoſtolica Traditio quoad fidei & morum dogmata, integra & illibata hucuſque in Eccleſia viguit, ac perpetuo vigebit, quin ullam mutationem ſuſtineat. Haec ſancta fidei dogmata adverſus pleraſque Heterodoxorum turbas.

59 V. Ad legitimum uſum hujus Loci en praecipuas Regulas. I. Quum univerſa Eccleſia, ſeu congregata ſeu diſperſa, aliquid, quod in ſacris literis non reperitur, tanquam fidei dogma recipit, cenſeri debet divina Traditio, quae argumentum infallibile Theologo praeſtat. Ejuſmodi plura ſunt, quae ad Sacramenta pertinent. II. Dogmata illa e Traditione deſcendunt, quae ſecundum ſuorum temporum ſucceſſionem a Viris Apoſtolicis, Epiſcopis videlicet ac Doctoribus praedicantur, docenturque communius in Eccleſia, quin & oppoſita tanquam haereſes exploduntur.

60 III. Divinarum Traditionum antiquitas, ac indeficiens uſque ad noſtra tempora ſucceſſio probari unice poteſt ac evinci teſtimoniis Patrum & ceterorum Scriptorum, qui eas tanquam ſuis aetatibus vigentes literis commendarunt, dicti propterea Traditionum Teſtes. Itaque ut Theologus Traditionem quamlibet rite adcurateque comprobet, operae pretium eſt ut magna eruditione polleat & critice, quibus nempe inſtructus vera & indubitata ſacrorum Scriptorum, qui per ſingulas aetates floruerant, teſtimonia ex legitimis eorum commentariis deprompta in medium adferat.

61 IV. Huc advocanda Authoritas veneranda quam Eccleſia SS. Patribus, in materia fidei una idem ſentientibus ſemper detulit: tum quae jure deferenda eſt Scholae Theologis, & Juris Pontificii peritis; ex quo enim deſiit SS. Patrum ſeries, nullibi melius adſervatur divina Eccleſiae Traditio, quam in ejuſmodi Sapientum lucubrationibus (*o*).

62 V. Haud omnia priſcorum Patrum, ſcriptorumque dicta, quibus utcumque de aliquo dogmate mentionem faciunt, mea ſententia, ejus Traditionem vehementer fortaſſe probant; ſed ea tamen invicte probant, quibus ſtatuunt dogma qua tale, aut quatenus per divinam Traditionem receptum eſt: perplura ſiquidem ipſi paſſim adſerunt ac diſputant tanquam proprias opiniones, quae probabilitatis metas non tranſiliunt. Porro non ita frequenter occurrunt apud priſcos Authores teſtimonia ejuſmodi circunſtantiis inſtructa pro Traditionibus: ac inde quidem, me judice, rariora ſunt pro eiſdem invicte probandis momenta, quam quae venditari ſolent (*p*).

63 QUAE-

(*o*) Nonnihil de Scholae Theologorum Authoritate ſuperius innuimus in Prodr. I. Cap. II. ab Artic. VIII. p. 49.

(*p*) Plura Theologi in hunc locum, & nos in *Theol. Pol. Fundam.* Controv. VI.

63 QUAESTIO V. Quid de Eccleſia? ADSERO I. Eccleſia generatim ſumitur pro *Coetu fidelium veram Chriſti Religionem profitentium*. II. Pluribus gaudet Notis, aut ſignis, quibus a falſa Eccleſia, quae Chriſti non eſt, diſcerni poſſit; ac potiſſimum quatuor; eſt enim Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica: ſcilicet Una unitate fidei, ita ut quaſcumque alias ſectas diverſam fidem profitentes excludat; Sancta, quia quidquid ad ejus conſtitutionem ac intentionem ſpectat, ſanctum eſt, puta fides, dogmata, Sacramenta, praecepta, doctrina; Catholica, id eſt univerſalis, quia per totum orbem diffuſa eſt, ſub aliquo vero ſenſu; Apoſtolica, quatenus erecta eſt ſub principatu, regimine ac doctrina Apoſtolorum, a quibus perpetua ſucceſſione ac traditione hucuſque deducta eſt.

64 III. Praeclaris proprietatibus exornatur. Equidem Hierarchica eſt, ſeu inſtar praenobilis Hierarchiae a Chriſto Domino inſtituta: eſt ſuapte natura Viſibilis, ita ut ſemper omnium oculis conſpicua fuerit, nec unquam mundo prorſus incognita futura ſit, donec ipſa perſiſtat: eſt Perpetua, quoniam ſemper perſtitit, & uſque ad conſummationem ſeculi perennabit. IV. In ſuis definitionibus, aut univerſali conſenſu circa dogmata ad fidem & mores pertinentia, inerrans eſt & infallibilis, quia eſt Columna veritatis, & in iis ab Spiritu S. indeſinenter regitur; & quidem ſive ipſam conſideres in Oecumenica Synodo congregatam, ſive per orbem univerſum diſperſam. In iis autem nec ipſa definiens & docens falli poteſt, nec edocta & credens: quocirca ejus Authoritas quantum ad ejuſmodi definitiones infallibilis eſt ac ſummi ponderis; ſubinde theologicum argumentum ab eis depromptum rem evincit.

65 V. Ad hujus Loci legitimum uſum en praecipuas Regulas. I. Eccleſia, ſeu potius Synagoga, verae Eccleſiae notis, dotibuſque non ornata, argumentem invictum praeſtare nequit, ſuo decreto, ſeu communi adſenſui innixum; quoniam inerrantiae dono caret. II. Dogmaticum Eccleſiae judicium de re ad fidem, moreſve pertinente praeſtat judicio cujuſcumque Patris & Doctoris oppoſitum aliquando ſentientis; atque adeo ex illo judicio, non ex iſto firmum & ineluctabile argumentum duci poteſt.

66 III. Quae diximus pro conficiendo argumento ex Traditione, heic adplicanda ſunt; quoniam Eccleſia non aliunde quam ex divina & nunquam interrupta Traditione ſuas definitiones haurit circa ea, quae in ſacris literis expreſſe revelata non traduntur. IV. Argumentum ab Authoritate docentis Eccleſiae deductum minime eliditur ex eo quod pauci quidam Epiſcopi cum ſuis plebibus oppoſitum pervicaciter teneant. V. Ubi priorum ſeculorum Eccleſia dogma quodpiam fidem, moreſve concernens adoptarit, legitimum inde atque efficax trahitur argumentum, quo evincitur, id ipſum pariter nunc & omni aevo a quovis orthodoxo pro tali habendum eſſe. (*q*)

67 QUAESTIO IV. Quid de Concilio Oecumenico? ADSERO I: Eſt *Sena-*

(*q*) Plura Theologi in hunc locum, & nos in Prolegomeno II. §. III., necnon inferius Part. III. ubi de Regulis Fidei & Parte IV. in poſtremo Cap. Append. de Eccleſia; tum in *Theol. Pol. Fundam.* Controv. II.

Senatus Eccleſiaſticus pro univerſali Eccleſiae bono legitime congregatus, ſcilicet a Capite aliquo, e. g. Summo Pontifice, legitima authoritate fungente. II. Papae eſt jus convocandi hoc concilium, eique praeſidendi per ſe, vel per Legatum, quoad directionem & ſuffragium. III. Ex jure ordinario majores tantum Paſtores aut Epiſcopi ſuffragium deciſivum laturi tanquam vere Judices evocandi ſunt.

68 IV. Hoc Concilium, poſito quod prorſus legitimum ſit, in judicio fidei & morum inerrans eſt, infallibile ac irreformabile; proindeque ſummae Authoritatis, quae Theologo argumentum efficax & ineluctabile praeſtat. Nec enim aliud eſt ejuſmodi Synodus, quam univerſa repraeſentative Eccleſia in unum Coetum coacta: quocirca eadem huic definienti authoritas, ac ſit Eccleſiae univerſali. Hoc fide ſanctum: tria priora adſerta apud Orthodoxos Theologos vulgo certa.

69 V. Ad legitimum uſum hujus Loci en praecipuas Regulas. I. Definitio Conciliaris, de cujus legitimitate ex aliquo capite vulgo, prudenterque ambigitur, argumentum efficax non ſuppeditat. II. Apud Heterodoxos, quibus nulla fides erga noſtra Oecumenica Concilia, primum eorum Authoritas probanda eſt & evincenda; ceteroqui nullus ad diſputationem patebit aditus. III. Non omnia, quae in Synodis Oecumenicis geſta ſunt, eandem theologicae argumentationi vim exhibent; nec enim omnia aeque ad fidei, morumve dogma pertinent, nec aequalem obtinent certitudinem.

70 IV. Quod fidem ſpectat, unice Conciliorum de fide judicia invictam argumento vim praeſtant, non item praevia colloquia, vel adſerta, nec adjectae rationes, aut ea pariter, quae obiter tantum, & praeter praecipuum inſtitutum ab eiſdem Conciliis interſeruntur. Praefata vero judicia ex iis maxime ſignis internoſci queunt. Primum ubi Concilium expreſſis verbis pronuntiat, aliquid tanquam fidei dogma eſſe a fidelibus accipiendum: deinde ubi diſerte declarat, oppoſitum Catholicae Fidei Evangelio, ſeu doctrinae Apoſtolicae refragari: poſtremo ubi inclamat, adſerentes definitionem ſuae contrariam inter haereticos computandos eſſe (*r*).

71 QUAESTIO VII. Quid de Romano Pontifice? ADSERO I. Eſt *Chriſti Domini Vicarius in terris, Caput viſibile, Paſtor & Doctor totius militantis Eccleſiae, D. Petri Succeſſor in Romano Epiſcopatu, necnon in primatu honoris & juriſdictionis ſupra ceteros univerſae Eccleſiae Epiſcopos*. Haec fide ſancta; quidquid nuperrime unus aut alter, cum Juſtino Febronio, adſerto primatui ſtrictae juriſdictionis refragetur. II. Dicitur *loqui ex Cathedra* [*s*] quum virtute & authoritate ſuae Sedis, conſulta ſeduloque expenſa Romanae ſuae Eccleſiae Traditione, vel, ut ajunt, conſultis fra-

(*r*) Plura Theologi in hunc locum & nos in Prolegomeno II. §. III. tum in Part. III. ubi de Regulis Fidei, & Part. IV. ubi de Eccleſia Chriſti, necnon in *Theol. Pol. Fundam.* Controv. III.

(*s*) Crediderim hoc modo loquendi primum fuiſſe uſum Cardinal. de *Turrecremata* in Summa de Eccleſia ubi de Summo Pontifice.

tribus, hoc eſt Cardinalium Senatu, publicum de fide, ſeu moribus decretum univerſae Eccleſiae tanquam regulam ad obſervandum proponit.
72 III. Nullus unquam Romanus Pontifex ex Cathedra pronuntians in fide aut moribus erraſſe deprehenſus eſt. Hoc certum apud omnes fere Catholicos Doctores, multiſque teſtimoniis comprobatum. IV. Nec tunc errare poteſt; atque adeo ejus de fide & moribus judicium infallibile eſt ac irreformabile. Hoc pariter certum apud Italos, Hiſpanos, Luſitanos, pleroſque ex ceteris Ortodoxis Gentibus Theologos, adſerentes utique urgentiſſimis momentis, privilegium iſtud D. Petro, ſuiſque Succeſſoribus fuiſſe a Chriſto conceſſum. Galli vero omnes poſt Cleri Gallicani decretum ſub an. 1682. oppoſitum docent, nec inerrantiam Pontificio judicio deferunt, niſi accedat conſenſus univerſalis Eccleſiae, ſeu multo majoris numeri Orthodoxorum Antiſtitum. At minime ipſi audiendi.
73 V. Ad legitimum uſum hujus Loci en praecipuas Regulas I. Ex decretoria Summi Pontificis e cathedra loquentis ſententia firmiſſimum argumentum trahet Theologus apud Catholicos, ſaltem ſi maxima pars Epiſcoporum, ſeu in Concilio coactorum, ſeu per orbem diſperſorum, eam ſententiam pacifice amplexa fuerit; nullum vero apud Heterodoxos, qui ſimilem ei authoritatem, vel etiam hac conditione praemunitam, prorſus abjudicant. II. Etſi haec Pontificis inerrantia ab Eccleſia aperte definita non ſit, attamen ejuſmodi pontificia definitio, ſeorſim a poſteriore Eccleſiae adſenſu magni momenti, graviſſimique ponderis eſt apud cordatos; immo fatentur iidem Galli, Romanum Pontificem in condendis id genus decretis primas partes habere. Hinc ea decreta a R. Pontifice vulgata praeſtant ſe ipſis Theologo argumentum validiſſimum [*t*]. Hactenus de Locorum Theologicorum ſumma. De ſingulis rurſum redibit ſermo Dogmatico-Polemicus [*u*].

§. V.

De Subſidiis Rationis naturalis, Hiſtoriae, Critices & Rei ſacrae Antiquariae in Studiis Theologicis.

74 QUAESTIO I. Quid generatim de hiſce Subſidiis? ADSERO I. Haec dicuntur Loci *Extrinſeci*, *Extranei*, *Adſcriptitii*, *Alieni*; quoniam viro Theologo non ſuppeditant argumentum infallibile ad dogmata coelitus revelata comprobanda & evincenda; haec enim, utpote ſupernaturalia, omnem ſuperant vim naturae, cognitioniſque naturalis, ſubindeque diſciplinarum omnium, quae merae naturae finibus circunſcribuntur. II. Merito nuncupari poſſunt *Loci Subſidiarii*; quatenus nempe peropportuno, ac pene neceſſario ſubſidio ſunt cuivis Theologo ad efficaciter, methodice, ornate, erudite, adcurateque differendum de divinis rebus,

(*t*) Plura Theologi in hunc locum et nos in Prolegomeno II. §. III., tum in *Theol. Pol. Fundam.* Controv. II. Diſſert. IV. ubi de Capite Eccleſiae.
(*u*) Part. III. Tract. II. L. I. Cap. I. §. V. ubi de Regulis Fidei.

rebus, quarum inprimis veritatem ex locis intrinſecis certo ac infallabiliter commonſtrarat. De ſingulis ſpeciatim heic diſputandum.

75 QUAESTIO II. Quid de ſubſidio Rationis naturalis? ADSERO I. Eſt ratiocinium a naturae lumine profectum, quo de humanis diviniſque rebus mens differit: quo ſpectant diſciplinae quaeque liberales, quas Ratio naturalis invenit, perfecit, excolit; puta Philoſophia, Matheſis, Grammatice, Rhetorice, Philologia, Medicina, Aſtrologia &c. II. Theologiae non adverſatur, immo potius ipſi amiciſſimo foedere copulatur, ſubſervitque tanquam Dominae ancilla. Nam Theologia quaelibet, rationalis cum ſit, ratiocinio indiget, quo ejus adtributa & dogmata definiantur, dividantur, illuſtrentur, defendantur, comparentur: immo qui ad haec rite conficienda rationem naturalem Theologo eripiat, intelligat, oportet, ipſum rationi eſſe contrarium.

76 Equidem Moyſes, David, Salomon, Prophetae, Chriſtus Dominus, Apoſtoli, Evangeliſtae, ſancti Eccleſiae Patres, ceterique Doctores in proponendis, tuendiſque Theologicis dogmatis una omnes naturalis rationis ſubſidio indefinenter uſi ſunt (*x*). Hunc plane rationis uſum, & inſimul (quod in idem recidit) liberalium diſciplinarum, quae naturali ratione innituntur, comparate ad ſacram Theologiam pluribus ſaepe commendant Patres, cum *Clem. Alex.* (*y*) *Orig.* (*z*) *Hilar.* [*a*] *Baſil.* (*b*) *Hieron.* (*c*) *Auguſt.* (*d*)

77 III. Non modo cuilibet Theologiae eſt oppido utiliſſima, verum etiam ſaepe perneceſſaria. Nam exſule ratiocinio naturali, nequit inprimis Dogmaticus probare ac evincere perplura dogmata fide ſancta apud eos qui denegant Dei exiſtentiam, aut omnes ſacras ſcripturas, aut quamlibet religionem revelatam, cum quibus nempe ſola ratione agendum eſt, vincendumque: deinde Polemicus eadem ſacra dogmata ab adverſariorum legis ſophiſmatis vindicare: inſuper Scholaſticus haec dogmata conjecturis elucidare, & faciliora creditu reddere, necnon ex ipſis theologicas concluſiones inferre: praeterea Moraliſta ſua adſerta decidere & confirmare, ubi nullum ſuppetit ex ſacris ſcriptis vel traditionibus documentum. Quid omnino ſimile argumentari licet pro aliis, qui ceteras quaſque Theologias profitentur & excolunt. Ergo rationis ſubſidium cuilibet Theologiae perneceſſarium. Hinc rectiſſime dictum, quod duae ſint Theologiae baſes, nempe Authoritas & Ratio.

78 IV. Ad legitimum hujus Subſidii uſum en praecipuas Regulas. I. Heic Ratio preſſe accipitur pro facultate veritatem ratiocinando indagandi: itaque in rebus theologicis nec ita deferendum ſacrae Authoritati, ut penitus exſulet Ratio, nec ita Rationi, ut penitus valere jubeatur Authoritas. Duo haec vitia, ſeu potius graviſſimi ſcopuli, in quos plu-

(*x*) Conſulendus *Can.* l. 9. C. 6.
(*y*) L. 1. et 6. Strom. et alias.
(*z*) Hom. 2. in Exod.
(*a*) L. 12. de Trinit.
(*b*) Hom. 24.
(*c*) Epiſt. ad Magnum Oratorem olim 84. et Epiſt. ad Damaſ. quae incipit *Beatitudinis tuae interrogatio*.
(*d*) De Doctr. Chriſtiana l. 2. et de Mor. Eccl. l. 1. et l. adverſ. Creſcon. et l. de utilit. credendi c. 97. et 18. Civ. c. 41.

rimi miſere impegerunt (*e*) Et vero ubique Authoritas, quum perſpicue patet, tanquam Domina & Regina, Rationi quaſi ancillae, ſervaeque praeferenda.

79 II. Ille generatim Rationis uſus anteponendus, qui longius abſit a ſophiſticc, propius ad authoritatem, ſi effulſerit, accedat, firmioriquc ſoliditate communiatur. III. Ne nimis curioſe ac temere in ſacratiſſima ſupernaturalium arcana penetrare contendat: modum teneat in ipſis, pro opportunitate diſputationis, ac diſputantis facultate, enucleandis. (*f*) IV. Illa ſectarum privatorumve Sophorum placita, quae Ortodoxis principiis, aut rectae rationi ſunt contraria, nullius apud catholicum Theologum roboris eſſe debent; nec ei ullatenus audiendi, qui cum Pomponatio Ariſtotelico dum quid fidei minus conſonum proferunt, ajunt, ſe non ut chriſtianos diſputare, ſed ut Philoſophos, abſtrahentes utique a fide, & rationis tantummodo ductum ſequentes, ubi philoſophice duntaxat de rebus naturalibus ſermonem inſtituunt. (*g*)

80 V. In demonſtrandis ſacris Myſteriis, quae captum humanum ſuperant, & ſola revelatione innoteſcunt, argumentum a ſola naturali ratione peti nequit; tametſi poſſit haec momenta quaedam offerre ad emolliendam eorum Myſteriorum arduitatem & adparentem implicantiam. VI. A placitis, quae inter diverſas Theologorum ſectas aut Scholas tuto vigent, ac in mera opinione ſita ſunt, nonniſi probabile, ſaepiuſque inefficax ac tenue argumentum hauriri poteſt ad ulteriores theſes procudendas: quocirca non ita ejuſmodi placitis eorundem ſectatoribus adhaerendum ex animo, ut pro his non aliter pugnent, quam pro aris & focis: immo ipſa plerumque non ſecus animi adhaeſione pendenda ſunt, quam pro merito rationum, quibus communiuntur. [*h*]

OBJECTIONES.

81 Obj. *primo* contra II. & III. Adſertum. Haec doctrina pugnat cum Sacris Literis. Nam 1.° Proverb. 5. 2. dicitur *ne adtendas fallaciae mulieris*, & ibidem 20. *quare ſeduceris fili mi ab aliena*; ſcilicet ab humana ſapientia & literatura; quam nempe eſſe fallacem, teſtatur Paullus Coloſ. 2. 8. *videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam*. 2.° ex Eccleſ. 1. 13. & ſeqq. humanae literaturae ſtudium peſſima occupatio eſt, vanitas & adflictio ſpiritus: ergo divinae Theologiae minime adcommodum. 3.° ex 1. Cor. 19. ait Dominus, *perdam ſapientiam ſapientium & prudentiam prudentium reprobabo: ubi ſapiens, ubi ſcriba, ubi inquiſi-*

(*e*) In primum videlicet impegerunt cunctis fere aetatibus nonnulli cum Anabaptiſtis, quorum tamen primum Authorem adſignatum non reperio; in ſecundum vero longe plures, & ii quidem prorſus impii, ut Manichaei, Sociniani, & juniores Rationaliſtae, duce Benedicto, ſeu potius maledicto Spinoſa, docentes utique, rationem & philoſophiam eſſe normam unicam & infallibilem decernendi de ſacra doctrina & vera religione ex principiis evidentibus. Conf. *Can.* de loc. l. 9. c. 1. & 2 *Dominic. a SS. Trinit.* in Biblioth. theolog. tom. 4. ſect. 7. a Cap. 1. *Dargentraeus* in Element. theolog. c. 12.

(*f*) Hunc modum ſuperius obſervavimus in Prodr. 1. cap. III. Artic. IX. a p. 79.

(*g*) Conſuleſis *Tournel.* tom. 1. in Praefat. & *Gautier.* in Prodr. Diſſ. 3. c. 3. art. 1. ubi de Principiis & Regulis.

(*h*) V. *Can*, cit. l. 9. c. 7.

quiſitor hujus ſeculi ? nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam hujus mundi ? ergo ſapientia vel Ratio naturalis, & reliquae diſciplinae, quae ex ipſa profluunt, Theologiae nocumento ſunt. 4.° ex 1. Tim. 6. 3. *ſi quis .. non adquieſcit ſanis ſermonibus .. & ei, quae ſecundum pietatem eſt, doctrinae, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quaeſtiones* &c: ergo ſola Chriſti doctrina, ſeu Theologia ſana eſt, & ſecundum pietatem, hoc eſt religioni conſentanea; non ita vero diſciplinae humanae, quae morbi ſunt. 5.° ex Ecclici 3. 12. *altiora te ne quaeſieris ... & in pluribus operibus Dei ne fueris curioſus*; tum ex Prov. 25. 27. *qui ſcrutator eſt Majeſtatis opprimetur a gloria* : ergo humana ratio, qua plura inquiruntur de rebus fidei, quam ipſa fides declarat, Theologiae inimica eſt.

82 R. *N. Adſump.* Porro ex Ecclici 1. 1. *omnis Sapientia a Domino Deo eſt*. Item dicuntur cum laude in ſcientiis naturalibus eruditi Moyſes *Act.* 7., Salomon 3. *Reg.* 4. & *Sap.* 7., Daniel cum ſociis *Dan.* 1. Tum Apoſtolus ſaepe in Epiſtolis humanae eruditionis monumenta inſeruit : e. g. 1. *Cor.* 15. advocat Menandri illud *corrumpunt bonos mores colloquia prava*, & ad *Tit.* 1. illud Callimachi ſeu Epimenidis, *Cretenſes ſemper mendaces, ventres pigri, malae beſtiae*, & *Act.* 17. Arati illud *ipſius enim & genus ſumus*. Itaque Rationis & humanarum ſcientiarum pravus abuſus, non legitimus uſus in Theologia damnandus. Et hic quidem eſt ſenſus locorum omnium qui objiciuntur. Hinc

83 Ad 1. prob: ea humana Philoſophia eſt inanis & fallax, adeoque cavenda, quae pugnare evincitur cum certis naturae, ſeu fidei principiis. Ad 2. *D. A.* ubi illud ſtudium intenditur duntaxat ob vanam aliquam pompam & ingenii oſtenſionem, *C.* ubi ad veritatis, vel ſuperni Myſterii illuſtrationem, *N.* Ad 3. haec, deſumpta ab Iſaiae 29. 14., dicta ſunt adverſus mundi ſapientes & prudentes, qui nempe divina Myſteria deſpicientes, ea naturalis rationis & eruditionis ponderе obruere incaſſum moliuntur. Ad 4. reprehendit Apoſtolus doctrinam impiam, quae nempe Chriſti Jeſu ſermonibus adverſatur, non illam, quae rationibus a natura depromptis eoſdem ſermones commendat, elucidat, ab objectis vindicat: haec enim doctrina ſaniſſima eſt. Ad 5. reſponſum eſt ſuperius. (*i*)

84 Obj. *Secundo* : Doctrina haec pugnat cum SS. Patribus. Nam 1.° ex iis complures jubent nos ſimplici fidei adquieſcere, prohibentque naturali rationi ac humano ſenſu de divinis arcanis ratiocinari: ita Baſilius (*k*) Cyril. Hieroſolym. (*l*) Hieron. (*m*) Nazianz. (*n*) Cyril. Alexandrin. (*o*) Epiphan. (*p*) Auguſtin. (*q*) Leo M. (*r*) 2.° ex iis etiam nonnulli abigendam eſſe ſuadent a theologicis tractatibus quamlibet profanam eruditionem, ſeu Philoſophiam a ratione naturali ſubortam. Ita Tertullian.

(*i*) Pag. 68. & 72. Conf. *Can.* l. 9. c. 9.

(*K*) Concion. de Natali Chriſti, & hom. contra Ss. Trinitatis Calumniatores.

(*l*) Cate ch. 4.

(*m*) In c. 31. Hierem. & in c. 10. Matth.

(*n*) Orat. 10. in Julian.

(*o*) Dial. de Trinit.

(*p*) Haereſi 76. ubi adverſus ſeptimum Aëtii caput.

(*q*) Lib. 1. de actis cum Felice Manich. cap. 10.

(*r*) Serm. 7. de Nativit. Domini.

lian. (*s*) Auguſtin. (*t*) & qui Arianos errores ex imbibitis Ariſtoteleis placitis profluxiſſe ingemuerunt ; videlicet Ruffinus (*u*) Epiphan. (*x*) Hieron. (*y*) Sozomen. (*z*) Ambroſ. (*a*)

85 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob: ii Patres ut ſummum rationis naturalis abuſum, non uſum ſobrium, prudentem & adcuratum in ſupernorum Myſteriorum explicatione condemnant ; nihil enim frequentius in eorumdem Commentariis, quam momentis a ratione petitis Sacras Scripturas exponi, ac ſuperna arcana ut facilius credantur enodari. (*b*) Ad 2. dic omnino ſimiliter. Equidem Patrum opera plena ſunt eruditione, a Philoſophorum placitis, a Geographia, ceteriſque prophanis diſciplinis petita ; quibus nempe vel adverſarios legis revincunt, vel proprias adſertiones exornant. (*c*)

86 Obj. *tertio* Doctrina eadem pugnat cum ratione. Nam 1.° ſacra Theologia nos Chriſtianos vult ac intendit, non Philoſophos, Mathematicos, Geometras, Rhetoricos. 2.° Apoſtoli, quos Spiritus S. omnem veritatem edocuit (*d*), nec Philoſophiam, nec Matheſim habuerunt: ergo iſtae Theologo Doctori utiles non ſunt. 3.° quae ſupra omnem naturam ſunt, nequeunt a ratione naturali adtingi, nedum exponi. 4.° Chriſti doctrina, qualis eſt Theologia, perfecta eſt : ergo alienarum diſciplinarum adminiculis non indiget. 5.° Theologia ſe ſola ſufficit ad detegenda, revincendaque hoſtium Chriſti ſophiſmata, nec enim arma chriſtianae militiae carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum carnaliter ſapientium (*e*) : ergo non aliis eget praeſidiis, vel ad perſuadendum, vel ad convincendum.

87 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob: Theologia vult primario nos chriſtianos, & ſecundario Philoſophos, Mathematicos &c. ut nempe alienarum diſciplinarum adminiculis ipſas chriſtianas veritates elucidemus, credibiles oſtendamus, ac erudite pertractemus. Ad 2. *N. Con.* Apoſtoli nec divinitus edocti ſunt, nec ipſi mundum docuerunt, niſi quae ſunt ad ſalutem neceſſaria ; poſteriores vero Theologi, ſi humanarum literarum rudes ſint & ignari, nec divinas ferme percipere poſſunt, nec perfecti ſunt in Eccleſia Doctores. Ad 3. *D. A.* adtingi nequeunt a ratione naturali, certa & ineluctabili ubi non connectitur certo cum re ſuperna, *C.* a ratione utcumque ſolide probabili, ubi haec cum ſuperno Myſterio ut cumque connexa oſtendi poteſt, *N.* (*f*)

88 Ad 4. *D. A.* perfecta eſt quoad ea, quae ad ſalutem neceſſaria ſunt, *C.* quia

(*s*) L. de Praeſcript. c. 7.
(*t*) Epiſt. ad Dioſcor. olim 56.
(*u*) Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 2.
(*x*) Adverſ. haereſ. l. 2. c. 69.
(*y*) Dialog. adverſ. Lucifer.
(*z*) Hiſt. l. 1. c. 15.
(*a*) In Pſalm. 118.
(*b*) Relege dicta in hanc rem ſuperius Prodr. I. C. III. Art. III. p. 66. & nuper etiam hoc Prodr. p. 307. & conf. *Mannhart* in Biblioth. domeſt. tom. 8. cap. 3. §. 43. ubi Syllabum contexit Patrum, quibus per ſingula ſecula familiaris fuit rationis uſus in Theologicis diſſertationibus.
(*c*) Revide ſpeciatim laudatos pro noſtro Adſerto p. 307. & conſule *Dominic. a Ss. Trinit.* Biblioth. Theol. t. 4 l. 3. ſect. 7. ubi pro dignitate probat, quantum pene ſingulae profanae ſcientiae conferant ad perfectum ſacrae doctrinae ſtudium.
(*d*) Ex *Joan.* 16. 13.
(*e*) Ex 2. *Cor.* 10. 4.
(*f*) Plura huc concernentia inferius Part. III. Tract. 1. Lib. 1. Cap. 11.

C. quia haec perfectiſſime docet : quoad alia , quae ſolum ad eruditionem , uberioremque rerum ſupernarum comprobationem & explanationem ſunt neceſſaria , *N.* haec enim aliunde petenda ſunt ; quin tamen id tollat , quominus Theologia in ſuo genere perfectiſſima ſit , ac Theologum magnopere perficiat. Ad 5. *D. A.* ſe ſola ſufficit radicaliter , quatenus dat arma , ſeu argumenta infallibilia , divina revelatione munita , maxime apta ad perſuadendum & convincendum , *C.* ſecus , *N. A.* & *Con.* Etſi arma chriſtianae militiae eam habeant a Deo radicalem potentiam aut efficaciam ; perſaepe tamen uſus rationis & diſciplinarum naturalium Authoritati ſubſerviens , peropportunus eſt ad ſuaviorem perſuaſſionem & victoriam obtinendam (*g*).

89 QUAESTIO III. Quid de ſubſidio Hiſtoriae ? Loquimur heic de humana , non de divina , quae in ſacris literis , Deo dictante , vel ſpecialiter adſiſtente habentur . ADSERO 1. eſt rerum ac geſtorum praeteritorum deſcriptio : dicitur autem Eccleſiaſtica vel ſacra, dum ea in ordine ad Deum reſque ſacras commemorat ; civilis vero vel prophana dum ſecularia hominum inter ſe commercia , factave enarrat. Merito adpellatur a *Tullio* (*h*) *teſtis temporum* , *vita memoriae* , *Magiſtra vitae* , *nuntia veritatis* ; quippe cujus character proprius eſt veritas , ac officium enarrare res geſtas haud ſecus , quam geſtae ſunt (*i*).

90 II. Theologo utiliſſima eſt , magnoque adjumento Hiſtoria , non modo Eccleſiaſtica , ſed etiam profana , quae cum illa utcumque connectitur. Equidem , experientia teſte , quocumque ſeſe vertat Theologus , vel diſputando , vel concionando , ſeu regulas pro moribus praeſcribendo , ſeu fidei hoſtes confutando , aut ſacros codices exponendo , in aliquam hiſtoriam veſtigium ponit : hanc ergo ſibi notam perſpectamque habeat , oportet. Deinde perſaepe in re quondam geſta Theologicae diſputationis cardo vertitur : quocirca opus eſt ex Hiſtoricis documentis idoneos , ac ſi liceat indubios veritatis teſtes excitare.

91 Inſuper complures Theologi , ceteroqui doctiſsimi ac ſubtiliſsimi , quemadmodum aliarum diſciplinarum Profeſſores , ob hiſtoriae ignorationem in varios apertoſque errores prolapſi ſunt : e. g. qui Trajani liberationem a gehenna D. Gregorii Magni precibus ex eo repudiarunt quod falſo crediderint cum Vincent. Belvacenſi , & S. Antonino , D. Joannem Damaſcenum primum hujuſce facti Authorem uno ſaltem ſeculo Gregorium anteceſsiſſe (*k*) ; tum qui cum Bernino (*l*) & Gaulterio (*m*) plura ſancta dogmata & Eccleſiaſticae diſciplinae inſtituta confirmarunt ex variis ſummorum Pontificum decretalibus Epiſtolis , ab Iſidoro Mercatore

(*g*) Plura de hoc ſubſidio ſuperius a p. 15. & 18. & 76. & alias ; pluraque more ſuo *Canus* l. 9. & 10. necnon *Gautierus* proxime laudatus.

(*h*) L. 2. de Orat. ad Q. Frat.

(*i*) De Hiſtoriae hiſtoria , indole , partitionibus , praeceptis , proprietatibus , ſcriptione , ſtudio plura *Voſſius* in Arte Hiſtoriae , *Dominic. a Ss. Trin.* in Bibl. Theol. l. 3. ſect. 8. a c. 1. *Mannhart* in Bibl. manuali tom. 3. l. 5. , alii permulti.

(k) Conf. *Can.* l. 11. c. 2.

(*l*) Hiſt. de haereſib. in IV. priorib. Seculis Chriſtianis.

(*m*) In Tabul. Chronograph. etiam in IV. priorib. Seculis.

catore primum recitatis ; quas tamen Eruditi Viri poſt clariſſ. *Antonium Auguſtinum* commentitias eſſe demonſtrarunt (*n*).

92 Tum ex profanis Gentium hiſtoriis poteſt Theologus & ipſas Gentes erroris facile convincere , & chriſtianae Religionis veritatem comprobare ; uti ſcriptis ſuis teſtes luculentiſſimi ſunt *Juſtinus* (*o*) *Clem. Alex.* (*p*) *Tertullian.* (*q*) *Cyprianus* (*r*) *Euſebius* (*s*) *Hieronym.* (*t*) *Auguſtin.* (*u*) . Nequit praeterea Theologus Biblicus abſque hiſtoriae Judaicae cognitione , ad amuſſim diſcutere ac exponere plura cùm veteris , tùm novi Foederis loca , uti perſpicuum eſt cuivis vel leviuſcule textus plurimos perluſtranti . Paucis tandem concludi nequit , quantum conferat ad ſacrae Theologiae ſtudium humana hiſtoria ſub IV. praeſertim primoribus Orbis Monarchiis , Danielis vaticinio celebratis (*x*) , videlicet Aſſiriaca , Perſica , Graeca , Romana (*y*).

93 III. Hiſtoria aliqua eſt cuivis Theologo adprime neceſſaria ; quae nempe deſcribit fideliter acta Conciliorum & Pontificum , Eccleſiae Traditiones , ac oppoſitas haereſes , contra quas in Conciliis actum eſt . Quoniam ex ea hiſtoria habemus indubitatam Concilii , Pontificis , ac Traditionum authoritatem ; non equidem quod humana hiſtoria ut veritatis principio Concilii ac Pontificis definitio & traditionis veritas innitatur ; ſed quia niſi fide hiſtoriae moraliter certiſſima conſtet de Concilio ac Traditione , nec eis poterit quis firmiter adſentiri , nec de ipſis firmum argumentum deducere : ergo hiſtoria vera de eorum exiſtentia , ſcienda & praeſupponenda eſt tanquam ſimpliciter neceſſaria , ut ſubinde Theologus adſenſum definitioni Conciliari , divinaeque Traditioni debitum urgere poſſit . (*z*)

94 IV. Ejuſmodi quidem Hiſtoria magna gaudet Authoritate, non autem penitus infallibili , atque irrefragabili . Quia ex integro humana ſupponitur , hoc eſt profecta ab hominibus , qui quum ex ſpiritu proprio , vel humano loquantur & ſcribant , falli poſſunt & fallere ; minime divina , ſeu , Deo ſuggerente , adnuntiata . Id quod pariter dictum eſto de ſimilibus Hiſtoriis , etiam magnum certitudinis pondus apud Eruditiſſimos quoſque Viros obtinentibus .

95 V. Ad legitimum uſum hujus Subſidii en praecipuas Regulas . I. Vt hunc locum Theologus data opportunitate ſcite, prudenterque verſet , operae praetium eſt eum addiſcere compendio ſaltem Syſtema univerſae Hiſtoriae cùm ſacrae , tùm profanae , quoad potiſſima utriuſque Capita: tum perſpectos habere ex optimo Magiſtro melioris notae Hiſtoriographos, quos conſulat, quum ſingularem aliquem eventum occaſio tulerit (*a*) .

(*n*) V. *Nat. Alex.* Hiſt. eccleſ. ſec. 1. Diſſert. 21. (*o*) In duplici Apologia.
(*p*) In libris Stromatum .
(*q*) In Apologet. & l. ad Scapulam .
(*r*) L. de Idolorum vanit.
(*s*) Demonſtr. Evangel. paſſim & in Hiſt. Eccl. l. 1. c. 6. & alias .
(*t*) L. 1. adverſ. Jovinian. & alias .
(*u*) In libris XXII. de Civit. Dei paſſim .
(*x*) *Dan.* 2. 31. & ſeqq. ac 7. 2. & ſeqq.
(*y*) Plura de hoc argumento laudata *Biblioth. Theolog* l. 3. ſect. 8. a n. 5.
(*z*) Conſulendus *Vazq.* in 1. p. d. 12. c. 4.
(*a*) Conſuli poſſunt pro ſtudio Hiſtoriae *Dionyſ. Halicarnaſſeus* in Thucide , *Varro* in libro ſiſenna , ſive de hiſtoria , *Tullius* l. 1. de legibus , *Jovianus Pontanus* in Actio , *Gerard. Voſſius* in Arte hiſtor. *Famian Strada* in Proluſ. Aca dem. *Robertelius* de facult. Hiſtor. *Mannhart* proxime laudat .

96 II. Si *Flavio Vopiſco* credas, *nemo ſcriptorum quantum ad hiſtoriam pertinet, non aliquid eſt mentitus*; (*b*) & vere quidem. Ceterum ſi propterea cunctis loquentibus hiſtoricis ubique fides neganda ſit, nulla eodem jure inter homines invicem habenda fides, quum rarus ſit aut nullus, qui quandoque non aliquid ſit mentitus. Itaque nec ſingula hiſtorica cito credenda, nec pertinaciter rejicienda; ſed adtendenda loquentis Authoritas, & ubi res dubia ſit, examini ſubjiciatur, ex mox adferendis. (*c*) III. Generatim fidem probabilem meretur Hiſtoricus gravis & fide dignus, niſi aliunde res, quam enarrat, perſpicue fuerit incredibilis & falſa. Inter probatae fidei Hiſtoricos reputari ſolent, ex ſacris Euſebius, Hegeſippus, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Georgius Cedrenus, Joannes Curopalates, Baronius cum Critice Pagiana, Raynaldus, Spondanus, Natalis Alexander, Du-Meſnil &c.; ex profanis vero Julius Caeſar, Valerius Maximus, Cornelius Tacitus, Suetonius, Titus Livius &c. Theologo igitur Scriptores iſti ac ſimiles alii probabile argumentum ſuppeditant. (*d*)

97 IV. Si cuncti probatae fidei Hiſtorici in eandem rem geſtam, praeſertim ſtatim ab origine ſua notiſſimam, conſpirent, eam pariunt certitudinem, ut res illa abſque imprudentia & pervicacia negari nequeat, dum urgens ratio oppoſitum non convincat. V. Si veteres omnes de aliquo facto conſentiant & quoad circunſtantias differant; credi poteſt eventus ſubſtantia, tametſi circunſtantiae incertae maneant. Ex bina ejuſmodi Scriptorum claſſe ſat firmum repetet argumentum Theologus.

98 VI. Nec fidem, nec adlegationem a Theologo plures Hiſtorici merentur. Videlicet primum qui ab Eccleſia reprobantur, e. g. Acta Theclae & Paulli, liber Paſtoris, de Infantia Salvatoris, Acta Andreae, Thomae &c. Deinde Acatholici Scriptores in iis, quae adverſus Romanam Sedem, Summum Pontificem, Eccleſiaſticas traditiones, Conciliorum acta, & ſimilia ſine aequis teſtibus narrare ſolent. Demum qui, ceteroqui probe catholici, varias quaſdam narrationes in ſpeciem pias evulgarunt, nullo interpoſito examine; ſed eas tamen eiſdem dictavit, vel antiqua ſimplicitas, vel zelus, at non ſecundum ſcientiam (*e*).

99 QUAESTIO III. Quid de Subſidio Critices? ADSERO I. Eſt judicium, quo mens recte inſtructa, diligenti examine interpoſito, verum a falſo diſcernit; videlicet legitima ab illegitimis, probabilia ab improbabilibus, authentica ab apocryphis, genuinos denique Scriptorum foetus, proprioſque ſenſus a ſuppoſitis & impropriis. II. Criticen divido

(*b*) In Praefat. ad hiſt.

(*c*) Interim conferendi *Theodor.* tr. de cura Graecar. affect. l. 1. *Auguſtin.* l. de util. cred. c. 12. & de fide rer. inviſib. c. 1. & 2. *Can.* l. 11. c. 4. ſub init.

(*d*) *Dominic. a Ss. Trinit.* ſelectum Hiſtoricorum elenchum produxit in Bibliothec. Theolog. tom. 4. l. 3. ſect. 8. c. 8. a p. m. 552., longeque plures dabunt Hiſtoriographorum *Nomenclatores* in ſuis Bibliographiis Hiſtoricis, cum *Gerardo Joan. Voſſio*, *Paullo Bolduano*, *Joanne Alberto Fabricio* &c.

(*e*) In hunc Locum copioſiſsime ac egregie *Canus* toto l. 11. quem reliqui exſcripſerunt, *Rachius*, *D'Argentraeus*, *Gautierius*, *Mannhartus* &c.

in Sacram & Profanam. Sacra judicat de authentia ſacrorum Codicum, de veritate divinarum Traditionum, ac de reliquis id genus, Catholicae Religionis dogmata, ritus, & probatiſſimas opiniones ſpectantibus, & Hiſtoriam quoquo modo concernentibus: hoc vero judicium unum, ſupremumque Eccleſiae Chriſti Tribunal jure ferre poteſt; ceteris quibuſque vetitum eſt; nec ulli cuipiam impune datur locus ea ex privata proprii ſpiritus critice definire, aut potius Fidem ad criſin revocare. Profana de reliquis ad religionem directa acie non pertinentibus impune judicat.

100 Hanc inſuper, de qua in praeſentiarum agimus, ſubdivido in genuinam ſeu veram, & notham vel pſeudo-criticen. Genuina certis, probatiſque adſtricta regulis, omni ſepoſito ſiniſtro praejudicio & partium ſtudio, ac uno ducta veri amore, pro merito rei ſententiam profert: notha vero ab aequis, ſaniſque Regulis exorbitans, aut imprudenti praejudicio occupata, aut partium ſtudio abrepta, ſeu alio quopiam vitio laborans, poſthabito veri amore, de re ſiniſtre judicat.

101 Jam vero quot & quaenam ſint Leges aut Regulae, ad quas conformandum eſt judicium, ut vere criticum ſit, aut veritatem adtingens, non pſeudo-criticum a vero aberrans, nequit paucis definiri; quum illae pene innumerae ac variae a Critices Magiſtris adſignentur; & permultae quidem pro cujuſquam arbitratu, quin communior Criticorum chori adſenſus expectetur. Et nihilotamenſecius noſtra aetate non defuit, qui novarum legum neceſſitatem extra aleam poneret, ut eximia Ars Critices ad aequitatis & adcurationis apicem, qui deſideratur, perveniret (*f*). Conſuli tamen poſſunt pro addiſcendis adcuratis Regulis, quos cum percelebri *Honorato* ſupra laudavimus (*g*).

102 III. Terna ad genuinam Criticen principia vulgo ſtatuuntur: Authoritas, Traditio, Conjectura. Videlicet Authoritas, quum in facti alicujus teſtem in medium producitur quiſpiam Author, aut ejuſdem ſenſa conceptis verbis percenſentur, vel ea ſaltem, ex quibus neceſſaria conſecutione confici poſſint: Traditio, quum petitur teſtimonium ex Traditione, non quavis utique populari, ſed apud ſapientes viros bene probateque fundata: Conjectura, quum de factis ab aliquo authore traditis diſputanti ex aliqua probabili ratione fit veroſimile hoc aut illo modo rem contigiſſe, quantumvis ſecus reapſe ſe habere potuerit. Ex iis autem Authoritas ac Traditio, ſi aequis conditionibus communiantur, ſecuriorem offerunt viam, quae ad veritatis cognitionem ducat; Conjectura vero valde lubricam & periculoſam. Itaque quoad ejuſmodi principiorum uſum haec ſedulo expendenda generatim.

103 Quoad Authoritatem: num Author ſit exploratae, probataeque fidei, cùm in alia, tùm praecipue in eam rem de qua agitur: num opus, unde eruitur teſtimonium, ſit germanus Authoris foetus, aut ſuppoſititius: num Authoris effatum aut ſe ipſo, aut ex alia circunſtantia implicantiam involvat. Quoad Traditionem: num de eo, quod in tradi-

tio-

(*f*) *Honoratus a S. Maria* in Animadverſionibus in Regulas & uſum Critices, in Praefatione tomi 1.

(*g*) Pag. 87.

ditione positum dicitur diversis temporibus & locis scriptum sit a pluribus exploratae fidei Authoribus, qui in testes produci possint: num ii ipsi Anthores sensu saltem conveniant in ejusmodi testimonio: num iidem ad facti originem, quae veritatis caput est, continua serie reducantur, aut saltem ad tempora eidem origini valde vicina. Quoad Conjecturam: num ex aliquo capite ea effulgeat sibi indita probabilitate, cui mens valeat prudenter adquiescere: num aliquam, ceteris perpensis circunstantiis, praeseferat repugnantiam: num ea graviorum scriptorum in ipsa re vel in simili adsensu confirmari possit. (*h*)

104 IV. Genuina Critice, cùm sacra, tùm profana est Theologo summopere utilis. Quia absque critice parvo ei, seu nullo adjumento erit historia; immo apud Eruditos ubi de argumento historico sermo sit, & turpiter imperitum se prodet, & nihil conficiet; ab historia enim falsa, dubia, vel suspecta nequit solidum argumentum desumi: ergo priusquam in probationem rei adducatur a Theologo historia, debet hujus veritas ad Critices principia & regulas adcurate exigi ac expendi. Hinc

105 V. Non minus Critice Theologo necessaria est, quam sit historia. Quia demonstratio historiae multiplicis, in quam cujusque Theologiae Professores passim incidunt, non nisi subsidio Critices exhiberi potest: puta demonstratio historiae de Versionibus sacrorum Codicum, de vita Christi & Beatissimae Deiparae, de Conciliis, de Martyribus, Haeresibus, de Patribus & Doctoribus eorumque scriptis qua germanis, qua illegitimis, de miraculis & SS. reliquiis, de suppositititiis infidelium Sectarum portentis; ac id genus perplurimis. Ergo quilibet Theologus necessario instituendus saltem primis elementis genuinae Critices; quippe quae ad evisceradam, patefaciendamque Historiae veritatem inventa est, ac aevo nostro summa cum laude excolitur ac promovetur.

106 VI. Ad legitimum usum hujus Subsidii en praecipuas Regulas. I. Theologi Critice prudens sit, ita ut in iis, quae ad Artis Criticae sphaeram pertinent, discutiendis ac definiendis, nihil decernat, praecipue contra communem antiquitatis sensum, absque gravi rationum pondere: tum modesta, videlicet non modo sobria & moderata, sed etiam erga veteres Authores, hucusque pro fide dignis habitos, praesertim SS. Patres, reverens, obsequiosa, submissa, nec eos deserens nisi quum solidum momentum urget.

107 II. Usus argumenti ex antiquorum silentio petiti, quod negativum, aut potius negans adpellant, sit valde sobrius & circumspectus; nam licet illud non raro efficax sit, quandoque tamen ex consequenti ad scopulos, syrtes, ac monstra deducit. III. Ad veram Criticen exercendam opus est aequo, maturoque judicio, necnon perspicaci ingenio, ac saepe multiplici eruditione: quum vero non omnes Theologi praeclaris hisce dotibus eniteant, perspectos ipsi omnes, habeant scriptores in Arte historico-critica vulgo probatissimos, quos data occasione consulant,

(*h*) Plura de Critices elementis hujusce Artis Magistri jam adpellati, necnon alii plerique apud ipsos: sed cavendum a Criticis heterodoxis, aut saltem caute audiendi, ubi eis de factis Religionem concernentibus sermo est.

& quorum laudata authoritate ſua adſerta confirment. Nonnullos ex iis nuper innuimus, quibus adde Magiſtros Artis Critices mox etiam laudatos, qui nempe ſuis adornandis adſertionibus paſſim hiſtorica exempla ad Critices trutinam revocare ſolent. IV. Huc advocandae Regulae fere omnes, quas ad Hiſtoriae uſum praeſcripſimus.

108 QUAESTIO IV. Quid de Subſidio Rei ſacrae Antiquariae? ADSERO 1. Hoc nomine impraeſentiarum uſurpare lubet ea perantiqua inſtrumenta, quae ſacrum quidpiam Religionem ſpectans utcumque ob oculos repraeſentant. Ejuſmodi potiſſimum dixerim primo veteres Imagines ſacras, qua parietinis depictas, qua tabulis ligneis, aut marmoreis inciſas; deinde Numiſmata priſcis temporibus inter Catholicos percuſſa; demum perantiquas Fidelium Chriſtianorum Inſcriptiones. In hujuſce generis documenta, quae magna pars ſunt Hiſtoriae ſacrae, quam repraeſentant, paſſim offendes apud adcuratos rei Antiquariae Scriptores. (*i*)

109 II. Ejuſmodi Antiquariae diſciplinae cognitio & uſus magno ſunt, perpulchro & digno adjumento cuivis Theologo ad ſua adſerta comprobanda & illuſtranda, praeſertim ubi conſtat apud probatiſſimos Antiquarios de documenti veritate, ejuſdemque aperta rei, quae intenditur, ſignificatione. Equidem E. G. principio pleraeque Imagines repertae ſunt in veterrimis Chriſti fidelium Sarcophagis, Coemeteriis & alibi, quae ſacra Myſteria oculis objiciebant; v. c. Adamum & Evam in Paradiſo degentes, Abrahamum immolantem filium, Virginem Matrem ab Angelo ſalutatam, Chriſtum Dominum in ſtabulo jacentem, a Magis adoratum, Cruci adfixum, reſurgentem &c. (*k*) Ergo hinc liquido deducet Theologus ſacram erga ejuſmodi Myſteria in chriſtiano populo Traditionem, & Apologiam pro ſacro Codice, qui ea deſcribit. (*l*)

110 Dein-

(*i*) Imagines depictas, & inſculptas exhibent *Anton. Boſſius* in Roma ſubterranea, *Paullus Aringhus* in Roma item ſubterranea, tomis II. *Joſephus Blanchinus* in Vindiciis ſacrae Scripturae, *Thom. Mamachius* in comment. de originib. & Chriſtian. antiquit. tomis III. in quibus centies Aringhum exſcribit.

Numiſmata *Antonius Auguſtinus* in dialogis ſuper aenigmata Numiſmatum, *Hubertus Goltzius* in comment. de Numiſmat. *Jacob. Oiſelius* in theſauro Numiſmatum antiquorum cum ſuis commentariis, *Dux Arſchotanus* in theſauro rei Numariae, *Anſelm. Bandurius* de Numiſmat. Impp. Roman. tomis II. ubi in tom. I. ſub initium reperies *Bibliothecam Numariam*, ſive Authores, qui de re Numaria ſcripſerunt.

Inſcriptiones demum *Gruterus* in theſauro Inſcriptionum, *Bonarrotius*, *Marangonius*, *Buldetius*, *Cuperus*, *Bottarius* & *De Prato* in Comment. de antiq. Inſcr., tum *Reineſius* in Syntagm. antiq. Inſcr. *Muratorius* in novo theſauro Inſcr. *Lupus* in Epitaph. S. Severae, *Scipio Maffejus* in Muſaeo Veronenſi, *Fabretius* tr. de Inſcript. *Joſeph. Fineſtreſius* in Sylloge Inſcriptionum Romanarum, quae in Principatu Cataloniae extant, vel aliquando extiterunt, notis & obſervationibus illuſtratarum, *Donius* in Inſcriptionibus antiquis, illuſtratis ab *Anton. Franc. Gorio*, *Martin. Smetius* in lib. Inſcript. antiq. cum Auctario *Juſti Lipſii*, *Franc. Anton. Zacharia* in Diſſert. de veterum Chriſtianarum Inſcriptionum in rebus theologicis uſu, & plures ap. ipſum.

(*K*) Ap. laud. *Aringh.* tom. 2. l. 5. & 6. & *Blanchin.* tom. I. par. I. & 2. & ſparſim in tabulis recens editis.

(*l*) Conſule *Gerbertum* in Adparatu ad eruditionem theologicam cap. 14. ubi de magna utilitate artis criticae & antiquariae in ſtudio theologico.

110 Deinde multa pervetuſta Numiſmata ſacroſanctae quaedam pietatis exempla, vel expreſſe, vel ſymbolice retulerunt: v. c. Romanorum Imperatorum Numiſmata jam inde ab aetate Conſtantini Magni praeferre ſolebant Labarum Jeſu Chriſti nomine inſignitum, videlicet ſub conſueta nota literarum graecarum X. & P. ſic ☧ implexarum, ad ſacrum Jeſu Chriſti nomen denotandum. Haec porro exhibent Numiſmata Conſtantini M., Conſtantis & Conſtantii filiorum, Magnentii, Valentis, Gratiani, Vetranionis, Conſtantini junioris. (*m*)

111 Quin etiam in Marciani, Juſtiniani, aliorumque Imperatorum Numiſmatis adparet manus aliqua globum, cui Crux infixa, geſtans: immo fuit ejuſmodi cum Cruce globus inter Inſignia Imperatoria eorum temporum receptus, indeque ad haec noſtra tempora perduravit. Id autem eo ſchemate ſignificarunt ii Principes; quod *per fidem in Crucem Terrae Domini ſint facti; Globus enim terra eſt ob hanc ejus rotundam formam, fides autem Crux, ob Deum qui in carne in ea adfixus*. (*n*) His adde, ut perplura id genus taceam, de quibus inter alios *Baron.* (*o*) & *Carolus Patinus* (*p*), in altero Juſtiniani Numiſmate effigiari Victoriam, quae gemmatam Crucem dextra tenet: tum in alio Valentiniani III. Imperatorem dextra haſtam, in cujus faſtigio Crux eſt loco Labari, geſtantem, necnon dextro pede caput ingentis ac tortuoſi Draconis proculcantem; quo nempe deſignetur, virtute Crucis Chriſti Diabolum, qui ſub ſpecie ſerpentis humanum genus ſibi ſubjecerat, proſtratum eſſe, devictumque. (*q*) Ergo hinc urgere poteſt Theologus Traditionem de Chriſti Redemptione, nec non de perpetuo, eximioque cultu Ss. Cruci ſacro. (*r*)

112 Poſtremo complurimae priorum Seculorum Chriſtianae Inſcriptiones, praeprimis ſepulcrales, varia ſacrae Religionis dogmata & arcana, vel ſub aenigmate, vel conceptis verbis demonſtrarunt: v. c. repertae ſunt Inſcriptiones, quae praeferunt Dei Adtributa, & Trinitatem; Chriſti Jeſu excellentias, nomen, titulos, dotes; aeternam Beatitudinem & Pacem; Eccleſiae Catholicae Notas; S. Petri Primatum; Conciliorum Authoritatem; Eccleſiae Membra, nempe Clericos, Monachos cum votis, continentiae praeſertim, & Laicos cum poteſtate politica & militari; debitam Legibus obſervantiam; bonorum Operum, orationis praeſertim ac eleemoſynae meritum; Baptiſmi neceſſitatem, effecta, ceremonias; Confirmationis Sacramentum a Baptiſmate diſtinctum; animae Immortalitatem; preces pro Defunctis; Reſurrectionem; Judicium; Sanctorum Beatitudinem, Invocationem & Cultum.

113 Porro ſingula haec Dogmatum ſacrorum capita portendunt variae Inſcriptiones ex iis, quas Antiquarii Inſcriptionum Diſciplinae Scripores

(*m*) Ap. laudat. *Oiſelium* in tabulis Numariis, earumque interpretatione ſparſim.

(*n*) Haec *Suidas* in Juſtiniano, in Lexico, art. *Juſtinianus*, quae quidem & ceteris Chriſtianis Imperatoribus adtribuere licet.

(*o*) Ad an. 312. n. 23. & deinceps.

(*p*) Ad Numiſm. Impp. Roman. in Conſtantino, Coſtantio &c.

(*q*) Conf. laudat. *Oiſel.* in Tabul. Numar.

(*r*) Plura *Ezechiel Spanhemius* in Diſſertationibus de uſu & praeſtantia Numiſmatum antiquorum, tomis II. necnon *Mannhart* in Biblioth. Man. tom. III. l. 6. de re Numaria.

res ex lapidibus, marmoribus, metallis, picturis, ac saepius ex aliis Authoribus in suos de Inscriptionibus Commentarios traducere solent; e quibus nonnullos nuper memoravimus. Et vero plane actum egero, si eas singulas huc exscripsero, postquam *Mamachius* (*s*) & *Zacharia* in percelebri Dissertatione mox laudata (*t*) eas ex adcuratioribus Antiquariis excerptas, & subacta critice perpensas, propriis adjectis commentariis, e verbo ad verbum recitant. Eos adisis, nec poenitebit. Ergo ex iis, aliisque similibus Antiquitatis monumentis licet Theologo petere verisimile ac eruditum momentum in laudem & confirmationem nostrae Religionis dogmatum. Hinc

114 III. In Theologicis rebus magna est Authoritas ejusmodi rei Antiquariae, si de ejus legitimitate, ac significatione apud Eruditos Antiquarios conveniat. Nam primum ea documenta quae quatuor fermè prioribus Ecclesiae Seculis depicta sunt, conscripta, vel incisa, sunt quaedam luculentissima Traditionis testimonia, supplentque defectum testium, vel SS. Patrum, quo tum Ecclesia Latina laboravit: siquidem Seculo secundo unus in ea fuit Tertullianus, qui Traditiones literis mandaverit; tertio praeter Cyprianum, unus aut alter inclaruit, cujus commentarii aetatem tulerint; & medium quoque Seculum quartum paucos edidit [*u*].

115 Deinde cetera documenta nunquam non testantur Traditionem Seculi, quo ipsa constructa sunt: quocirca Historiae literis exaratae aequipollere solent: immo subinde Historiographis sollemne est ab eisdem argumenta repetere in probationem Historiae, Chronologiae &c.: tantae est apud ipsos Authoritatis res haec Antiquaria: ergo minoris non debet esse apud Theologos, quum ex ipsa Traditionis dogmatum confirmationem haud infrequenter haurire possint.

116 IV. Ad legitimum hujusce Subsidii usum en praecipuas Regulas. I. Documentorum ejusmodi, quorum testimonium abhibetur, aetas constare debet, secundum canones, quos ad dignoscendas rerum epochas Chronologia praescribit. Quod si priora referant Ecclesiae Secula, argumentum se ipsis suppeditant ad comprobandam Traditionem; si vero sequiora tempora ostendant, Traditionem jam aliunde petitam confirmant, illustrantque. II. Priusquam ipsa ad Theologicam tractationem deducantur, adcuratissime de ipsis inquirendum est, an, perpensis omnibus, legitima sint, aut suppositicia; an conveniat inter probatissimos Antiquarios de eorum legitimitate & sensu, quem ex ipsis eruere intendis; an collata cum aliis certissimis ejusdem aevi monumentis, iis illa sint consentanea; an ex eorumdem facie, stilo, adjectis ornamentis veritas, quae intenditur, illucescat, & ostendi possit.

117 III. Ad exactam ejusmodi monumentorum intelligentiam requiritur critica notitia Historiae, Chronologiae ac Geographiae, cùm sacrae, tùm prophanae, quae quidem tres Artes vicissim per eadem plurimum

(*s*) De Orig. & Antiquit. Christ. tom. 3. l. 3 part. 1. c. 1. §. 3.

(*t*) Extat in Thesauro Theologico, quem idem *Zacharia* collegit, tom. I. a p. m. 325.

(*u*) Ita fere *Zachar.* in laud. Diss. cap. 2. sub init.

rimum emendatae fuerunt [x]. Quid vero ſi in hiſce facultatibus peregrinus & hoſpes ſit Theologus? Saltem perſpectos habeat melioris notae Antiquarios, quos data opportunitate conſulat, & in quorum fide monumenta in rei probationem adſciſcat. Illos nuper indicavimus. Verum nec nimis iis fidendum, qui pro adcuratioribus habentur, quum non ex certa ſcientia, ſed ex aliorum fide priſca monumenta ſcriptis ſuis mandarunt; quoniam & ii ſaepiſſimae bona fide fallere convicti ſunt a poſterioribus Authoribus, qui rem propriis oculis inſpexerunt. Nihilotamenſecius ubi Theologus in medium adtulerit documentum communiori peritorum Antiquariorum calculo comprobatum, ad veroſimile argumentum ſatis erit, ubi oppoſitum manifeſta ratio non evincat.

118 IV. Rem magnam fecerit, ac Theologis peropportunam, qui ex adcuratioribus Antiquariis cuncta chriſtiana monumenta ſeligeret, & in unum ſacrae rei Antiquariae corpus redigeret, diviſum ſcilicet in cujuſdam Theologici Syſtematis capita, ſub quibus monumenta cuique reſpondentia, ſuis adjectis interpretationibus, adfigerentur: inde ſiquidem adlicerentur vehementer Theologi ad rei Antiquariae uſum, habentes utique ad manum ea ſuis illuſtrandis theſibus Eruditionisdocumenta. Profecto nonnulli, quos viderim, & ipſi ſpectatiſſimi Antiquarii, *Reineſius* (y) *Donius* (z) *Muratorius* (a) *Mamachius* (b) & *Zacharia* (c) in hanc rem ex parte aliqua incubuerunt. Ceterum perplura adhuc e Chriſtianis Imaginibus, Numiſmatis & Inſcriptionibus prudenti ſecretione colligenda ſuperſunt. Author ſum Theologis ut iis, quos laudavimus, frequenter utantur.

OBJECTIONES.

119 Obj. *primo*: Uſus diſciplinae Antiquariae circa ſacras Imagines eſt Theologo prorſus inutilis & ſupervacaneus. Nam 1.° in ſex aut ſeptem prioribus Eccleſiae Seculis nullus in ea ſacrarum Imaginum uſus obtinuit. Equidem, teſte Origene (d), Celſus ethnicus chriſtianos ſugillabat, quod ab altaribus, templis & ſtatuis ſeu Imaginibus erigendis abhorrerent: tum Caecilius, & ipſe ethnicus, apud *Minutium* (e), *cur*, ajebat, chriſtiani *nullas aras habent*, *templa nulla*, *nulla nota Simulacra*? ergo quae ſub epochis illorum temporum expreſſae proponuntur, fictitiae ſunt. 2.° ſaltem in primis quingentis annis non ullae fuerunt Imagines in templis Chriſtianorum: unde ſubinferri poteſt, nec ullas fuiſſe

(x) Conf. *Spanhem.* in Diſſertationibus de praeſtantia & uſu Numiſmatum antiquorum, *Vaillant* in hiſt. Regum Syriae. *Noriſ.* comment. de Anno & Epochis Syro-Macedonum, *Tillemont.* in hiſt. Imperatorum, *Goltzius* in Catal Chronologico Romanorum Conſulum, *Adolfus Occus* in Chronologia Romanorum Imperatorum a Julio Caeſare ad Heraclium, *Andreas Scotthus* in hiſt. Aſiae Minoris, Graeciae & Siciliae, *Fineſtreſius* in Sylloge Inſcriptionum Romanar. Cataloniae in Praefat. *Mannhart* in Bibl. domeſt. tom. 3 l. 6. de re Numaria c. 1. §. 2.

(y) In Syntagm. Inſcrip. antiq. claſſe 20.

(z) In antiq. Inſcript. illuſtratis a Cl. *Gorio*, claſſe 20.

(a) In novo theſauro Inſcript. tom. 4. claſſe 25. de Inſcript. Chriſtianis.

(b) De Orig. & Antiq. Chriſt. tom. 3. l. 3. part 1. c. 1. §. 3. per tot.

(c) In Diſſ. ſaepius laudata.

(d) L. 8. contra Celſum n. 17.

(e) In Octavio p. 10.

fuiſſe in ipſorum Coemeteriis, ſarcophagis, & privatis domibus. 3.° earum Imaginum uſus eſt prorſus idololatricus; Gentiles enim in ſuis idolis nihil aliud colebant, quam ſua numina plerumque inviſibilia, uti Chriſtiani in Imaginibus harum prototypos venerari dicuntur: ergo ridendus theologus, qui rei ſacrae confirmationem ex iis idololatricis typis extundere adgrediatur. Ita Iconomachi.

120 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob. *N. A.* Frequentem chriſtianarum Imaginum uſum in ſex prioribus Seculis vulgo demonſtrant Polemici cum *Bellarmino* ex priſcis Patribus & Hiſtoricis, e. g. *Tertul.* (*f*) *Naz.* (*g*) *Damaſus* (*h*) *Baſil.* (*i*) *Nyſſen.* (*k*) *Evod.* (*l*) *Prudent.* (*m*) *Aug.* (*n*) *Sozomen.* (*o*) *Euſeb.* (*p*) &c. (*q*) Mitto lubens plures celeberrimas apud Hiſtoricos & Polemicos Imagines, ut miſſam a Chriſto Regi Abgaro (*r*); Chriſto erectam ſtatuam a muliere, quam ipſe a profluvio ſanguinis liberarat (*s*); S. Crucifixum Beritenſem, a Nicodemo fabrefactum (*t*) quae quidem S. Imago, teſtantibus Loci traditione, ac permagno populorum cultu, in Balagarium, conſpicuam Cataloniae Urbem, ſe ipſa ſtupendo miraculo tranſvecta, hodieque viſitur; ſiquidem horum, ſimiliumque monumentorum veritas non ita hucuſque apud Eruditos definita eſt, ut de ſuppoſitione nullus ſuperſit ſcrupulus, nulla ſuſpicio.

121 Ad prob. adjunctam: utebantur quidem Chriſti fideles Imaginibus; at hunc tamen uſum, uti fere reliqua Chriſtianiſmi ſacra, a Celſi, Caecilii, & omnium Ethnicorum oculis oppido abſcondebant, ex *Arcani diſciplina*, ſex prioribus Chriſtianis Seculis obſervata (*u*). Quod autem etiam ad ſacras Imagines ea diſciplina extenderetur, liquido ſubinfertur ex percelebri illo Canone XXXVII. Concilii Illiberitani, quod ſic habet, *placuit picturas in Eccleſia eſſe non debere* (hoc eſt in templo) *ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur*. Canonis vero ſenſum ita explicat adcuratiſsimus ejus Synodi Interpres *Ferdinandus de Mendoza* (*x*), *ut vel Chriſti humanitatem, vel Patris & Spiritus S. adſumptam formam in parietibus depingi Hiſpani Epiſcopi interdixerint, qui tunc nefas putarent abſtruſiora Trinitatis Myſteria publicari*. Quin & Mendozae accinit

(*f*) L. de pudicitia ante med.
(*g*) Epiſt. 49. ad Olymp.
(*h*) In vita Silveſtri.
(*i*) Orat. in S. Barlaam.
(*k*) Orat. in Theodorum.
(*l*) L. 2. de Mirac. S. Stephani c. 2
(*m*) In hymno de S. Caſſiano.
(*n*) L. 1. de conſenſu Evangeliſtar. c. 10. & alias.
(*o*) L. 5. hiſt. c. 20.
(*p*) L. 3. & 4. de Vita Conſtantini & alias.
(*q*) V. *Sander.* in Comment. de cultu Imaginum, & *Bellarm.* Conrrov. de Eccl. triumph. l. 2. c. 9.
(*r*) Ap. *Evagr.* l. 4. hiſt. c. 26. & *Damaſc.* l. 1. de Imagin.
(*s*) Ap. *Euſeb.* hiſt. l. 7. c. 14.
(*t*) Ap. *Pſeudo-Athanaſ.* antiquiſſimum Scriptorem, in libel. de paſſione S. J. imaginis Domini c. 4.
(*u*) Plura de hac Arcani diſciplina *Emman. Scheſtratius* in Diſſert. Apologetica Badiſcipl. Arcani, & *Pag.* ſenior in Critica de roniana ad an. 118. a n. IV. & alias, tum noviſſime *Gerbert* in Mantiſſa de Arcanis Eccleſiae Traditionibus, quae extat ad calcem ſui Commentarii de principiis Theologiae Exegeticae.
(*x*) In Comment. de confirmando C. Illiberitano ad Clementem P. VIII. l. 3. c. 5. in hunc Canonem a p m. 548. ap. *Aguirrium* in Collect. CC. Hiſpaniae & novi Orbis tom. I.

cinit *Bona* (y) inquiens, hunc canonem *ex more iſtius ſeculi ſollicite cauentis, ne religionis noſtrae arcana infidelibus proderentur, aeſtimandum eſſe* (z): Hinc *N. Con.*

122 Ad 2: plures ex nuper adductis pro antiquiſſimo Imaginum uſu, exhibent Imagines in quibuſdam templis collocatas, e. c. *Nyſſenus, Damaſus, Evodius, Prudentius, Euſebius*, quos conſulas. Et quidem adlatus Canon Illiberitanus ſupponere videtur uſum depingendi in templis Imagines, quem vetuit. Porro perpaucae ſunt quae numerantur ejuſmodi Imagines in templis poſitae, ac inde conjicimus, eas ob cauſſam aliquam peculiarem fuiſſe ſingulares exceptiones Regulae generalis, quae Seculis illis univerſim obtinebat, *de Arcani diſciplina*; ut dixeris e. g. de aureis & argenteis Imaginibus, quibus Conſtantinus M., apud *Euſebium*, templa a ſe conſtructa exornavit &c. Demum eſto nullae aut rarae fuerint in templis Imagines, ex *Arcani diſciplina*, nihil prohibet, quominus in privatis domibus, abditiſque Coemeteriis & Sarcophagis earum ſecretus apud Chriſtianos uſus vigeret, e quibus nempe valeat Theologus ad rem ſuam argumentum depromere.

123 Ad 3: Merito idololatrae audiunt Gentiles & quotquot idola ut Deos coluerint, aut in ipſis falſos Deos. Porro tametſi multi ex Ethnicis non ita fuerint ſtupidi, ut putarint idola lignea vel lapidea eſſe Deos; id vero ut plurimum Etnichorum Gentes exiſtimabant, uti diſcimus ex Scripturis, ubi paſsim Prophetae omnes probant idola aurea & argentea non eſſe Deos, quoniam non loquuntur, non vident &c: at dubio procul Prophetae, ſi id quod nemo adſereret, conarentur refellere, ſtulti fuiſſent. Quin etiam de Ethnicis protulit *Auguſt.* (a) quod *ſimulacra venerantur, vel tanquam Deos, vel tanquam ſigna & imagines Deorum*. Patres denique, qui ſcribunt contra gentes, ut *Cypr. Lactant. Clem. Alexandr. Minut.* & alii, rident Ethnicos, quod lapides, ligna, metalla pro Diis colant. Atvero Chriſtiani antiqui, uti & moderni, dum in unum inſenſilem Deum credunt, imagines colunt, non cultu abſoluto, qui totus ac directe in imagines referatur, ſed reſpectivo, qui primario ſaltem in imaginum prototypum tendat. Itaque ex ſacris Imaginibus prudenter colligitur earum prototyporum veritas. (b)

124 Obj. *ſecundo*: Uſus Numariae diſciplinae eſt Theologo inutilis. Nam 1.° Numiſmata, circa quae Ars iſta verſatur, ſunt penitus profana, utpote ex integro inſtituta & percuſſa ut iis numi valor & pretium ad commune commercium habeatur; reliqua vero quae iis adjiciantur, e. g. imagines, emblemmata, hieroglyphica &c., mera ornamenta ſunt extra rei ſubſtantiam. 2.° complura Numiſmata in falſitatis ſuſpicionem veniunt; quale plurium inſtar illud eſt Conſtantii Imp. filii Conſtantini M., in quo nempe Conſtantius cum Labaro, cui intextum Chriſti nomen graecis literis ☧, a Victoria coronatur, cum Inſcriptione *Hoc. Signo. Victor. eris*. qua ſcilicet adluditur ad Crucis ſignum, Conſtanti-

(y) Rer. Liturgic. l. 1. c. 16. n. 2.
(z) Plura laud. *Mendoza* de uſu ſacr. Imag. jam a temporibus Apoſtolorum.
(a) De doctr. Chr. l. 3. c. 7.
(b) Plura in hanc rem *Polemici* cum *Bellarm.* cit. cap. 11. et ſeqq.

no M. quum contra Maxentium cum exercitu iret, objectum, quemadmodum hunc eventum teſtantur Euſeb. (*c*) Socrat. (*d*) Sozomen. (*e*) Niceph. (*f*). At quum omnes rem iſtam aliter atque aliter narrent, nec ſibi invicem conſtent, totum hoc de Conſtantino negotium ad pias veterum fraudes merito referendum: ergo. Ita laudatus *Oiſelius* circa Conſtantini viſum (*g*).

125 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob. *N. Con.* Id unum intendimus; quod ex ornamentis Numiſmati adjectis, quum haec ad rem aliquam ſacram referuntur, ſuppeditatur utcumque probabile ac eruditum argumentum in probationem dogmatis, aut piae diſciplinae, rem illam ſignificatam concernentis. Ad 2: principio *Perm. A.* Et *N. Con.* Non ſpuria Numiſmata, ſed quae, perpenſis omnibus, apud Eruditos legitimitatis charactere inſigniuntur, Theologico uſui proponimus; quemadmodum & ſimiles Imagines, ac Inſcriptiones. Deinde *N. A.* quoad Numiſma Conſtantii; quum ejus Inſcriptio verum Conſtantino objectum in aere viſum repraeſentet. Id enim novimus ex adducto Euſebio, qui id ipſum ex ore Conſtantini excepiſſe fatetur; nec ullus quidem in hiſtoricis Euſebii ſcriptis, ſi concernentia rem Arianicam exceperis, veracitatem deſiderat. Nec laudatos inſuper Socratem, Sozomenum & Nicephorum ullus, quem viderim, ex adcuratioribus Criticis redarguit, quod hanc Euſebianam hiſtoriam, quoad rei ſubſtantiam, amplexi ſint. Ipſum praeterea factum cooptarunt vulgo, poſt *Lactant.* (*h*) Hiſtorici reliqui cum *Baron.* (*i*) *Nat. Alex.* (*k*) *Du-Meſnil* (*l*), nec non frequenter rei Numariae Scriptores, cum *Carolo Patino*. (*m*) Jure igitur, & quidem critice, ex Conſtantii Numiſmate ſubinferre poteſt Theologus argumentum pro gloria cultuque Ss. Crucis.

126 Obj. *tertio.* Uſus rei Antiquariae ex Chriſtianis Inſcriptionibus eſt Theologo inutilis. Nam 1.° plures ex iis Inſcriptionibus idololatricam ſuperſtitionem ſapiunt, ac polytheiſmum praeſeferunt, quae nempe titulis ſuis vulgatam illam exhibent Ethnicorum formulam *Diis Manibus*. Ejuſmodi quidem exempla multa congerere licet ex Antiquariis Scriptoribus (*n*) Et quidem ita ingenue fatentur *Mabillonius & Murat.*, etſi nonnulli cum *Mamachio* (*o*) Sigla illa *D. M.* interpretari pie ſtudeant *Deo Magno*, ſeu *Maximo*. 2.° Judaei quoque & Haeretici tumulabantur, proprioſque habebant ſepulcrales titulos; at nulla ſunt indicia, quibus ii a Catholicis Inſcriptionibus ſecernantur, notumque fiat, ea potius eſſe dogmata Chriſtianorum, quam Haereticorum aut Judaeorum lapidibus inſculpta: ergo Chriſtianorum Inſcriptionum authoritas nulla eſt, aut ſaltem maxime dubia. 3.° multae ex ejuſmodi Inſcriptionibus falſae

(*c*) In vita Conſtantini l. 1. c. 28. & 29.
(*d*) Hiſt. Eccl. l. 1. c. 2.
(*e*) Hiſt. Eccl. l. 1. c. 13.
(*f*) Hiſt. Eccl. l. 7.
(*g*) In Tabula 93. num. 3.
(*h*) De mortibus perſecutorum c. 44.
(*i*) Hiſt. Eccl. t. 3. ad an. 312. a. n. 16.
(*k*) Sec. 4. c. 7. ar. 1.
(*l*) In hiſt. Eccl. ad an. 312.
(*m*) Ad Numiſmata Impp. Romanı a p. m. 476.
(*n*) Videlicet *Boldettio* l. 2. cap. 9. *Murat.* tom. 4. p. m. 1878. & 1901. *Lupio* in Epiraph. S. Severae p. m. 105.
(*o*) De Orig. & Antiq. Chriſt. tom. 3. p. m. 19.

falſae ſunt, aut nimium ſuſpectae, ac ſubleſtae fidei. 4.° pronum eſt, in eas Inſcriptiones marmorariorum imperitiam & barbariem, uti Orthographiae, ſtilique corruptionem, nonnulla falſa dogmata intuliſſe. 5.° quum plura hujuſmodi monumenta perierint, corrupta tantum exempla ſuperſunt. 6.° quum tot occurrant in eiſdem ſigla, verbaque interpolata, quiſque illa pro arbitratu interpretari poteſt.

127 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob. En problemma utrinque probabile, quod Antiquariis definiendum relinquimus. Quid tum vero? Si ejuſmodi Monumenta per ſigla *D. M.* denotent *Deo Magno*, ſeu *Maximo*, argumentum aliquod Theologo ſuppeditare poſſunt; ſi autem *Diis Manibus*, nullum; immo habenda tanquam ſpuria & illegitima. Ad 2: ſua habentur apud Eruditos Antiquarios indicia, quibus ſepulcrales tituli heterodoxi a Chriſtianis liquido ſecernantur; e. g. ex certis ornamentis & notis, quas praeferunt heterodoxi, minime Chriſtiani. Judaici vero ex eo diſtinguuntur, quod omnes Hebraici ſint aut Graeci; Chriſtiani vero in Latina Eccleſia omnes Latini.

128 Ad 3: nec volumus nos, eas in probationem adduci, de quarum veritate non conſtet veroſimiliter. Ad 4. barbaries & corruptio in Orthographia & ſtilo ſimplicitatem & imperitiam marmorariorum denotare poſſunt; at credi facile nequit, quod Chriſtiani vel unum acatholicum dogma tulerint, ſi in illa marmora irrepſiſſet. Quod ſi forte quandoque irrepſiſſe certo deprehendatur, ex eo capite pro ſpurio habetur. Ad 5. *N. A.* Ex communi celebrium Antiquariorum adſenſu, perplura exempla tanquam penitus integra circumferuntur; neque vero deſunt ipſis certi, probatique canones ad eam integritatem dignoſcendam. Ad 6. *N. A.* Nulli fas eſt ea prudenter interpretari, quin ex principiis & conjecturis aliunde petitis interpretationem reddere poſsit veroſimilem (*p*). Hactenus de Prolegomeno, quod omnes generatim Theologias & omnium Profeſſores ſpectare arbitratus ſum.

(*p*) Conf. laudatos *Antiquarios*, & *Gaſpar. Aloyſ. Odericium* S. J. in Diſſertationib. & Adnotat. in aliquot ineditas Veterum Inſcriptiones & Numiſmata, ac in Sylloge veterum Inſcription., necnon *Zachar.* in cit. Diſſ. c. 1. & 4. quae fere heic compendio tradidimus.

Nec minime quidem praetereundus Nobilis, Clariſſ. ac Eruditiſsimus Vir *Joſephus Comes Garampius* Ariminenſis, multis mihi nominibus percolendus, in percelebri Diſſertat. de Nummo Argenteo Benedicti III. Pont. Max. &c. Et quidem ſi in parvae molis Opere, vel ſelectam Eruditionem perſpicias, vel ſubactam Criticen, vel exactam Chronologiam, vel ſingularia rei Antiquariae documenta, vel nervoſum in fabulis refellendis acumen, vel nativam ſtili elegantiam; Author plane mecum eris, ut egregia haec Diſſertatio, ita numeris omnibus abſoluta, tanquam norma & exemplar rei Antiquariae Studioſis imitandum proponatur.

PROLEGOMENON II.

De Theologia Dogmatica ſpeciatim.

PROLUSIO POLEMICA
HISTORICO-CRITICA

De primis & praecipuis Haereſiarchis Dogmatices Hoſtibus per duo priora Chriſtiana Secula.

129 QUotquot Haereſes, aut poſitiones cum Catholicis Dogmatis ex diametro pugnantes Seculorum Chriſtianorum decurſu docuerunt, totidem dixeris Anti-Dogmaticos, ſeu juratos Dogmatices Hoſtes. Dies me deficiet, ſi ſingulos vel leviter contingere adgrediar. Paſſim eorum Elenchi apud Haereſeologos occurrunt. Ut quid nos actum agamus? Itaque ad aliquam Dogmatices ſtudioſorum inſtructionem, & in qualecumque ſpecimen ejuſmodi dogmaticae eruditionis, ex binis prioribus Eccleſiae Seculis Haereſiarchas aliquos in ſcenam producimus; eos videlicet, qui fere praecipui habentur, fueruntque reapſe primi Haereſeon Authores. Igitur

E SECULO I.

I. *Simon Magus*, Getthis Samariae vico oriundus, Magicis artibus & praeſtigiis mire deditus, repulſam paſſus ab Apoſtolis, quibus pecuniam obtulerat, ut virtutem conferendi Spiritum S. acciperet, a Chriſtiana fide deflexit, & aperta iniquitatis Schola, multos variis inventis erroribus ſubvertit, donec Romae in poſtrema cum S. Petro controverſia propudioſo ac miſerando caſu proſtratus eſt ac extinctus. Hic Patriarcha, princeps & caput omnium Eccleſiae Chriſti haereticorum (*q*), unde jure ab *Ignatio* (*r*) *primogenitus Diaboli filius* adpellatur.

Haec Summa impiorum ejus dogmatum. I. Ego ipſe, qui Chriſtus ſum, Legem Moyſis in Patris Perſona dedi Judaeis; tempore Tiberii in Filii perſona putative adparui; & in perſona Spiritus S. in linguis igneis ſuper Apoſtolos deſcendi: ſum etenim ipſe Deus. (*s*) ... II. Qui in me & in Helenam, aut Silenen (ejus Scortum) ſpem habeant, ſecundum meam gratiam ſalvi erunt, quin bonis & juſtis operibus egeant (*t*)... III. Mundum Deus non fecit [*u*] ſed Angeli [*x*]... IV. Lex Moyſis non a Deo profecta eſt, ſed a ſiniſtra quadam intelligentia; uti nec Prophetae a bono Deo, ſed ab alia atque alia intelligentia

(*q*) Ex *Iren.* l. 1. c. 20. *Aug.* l. de haereſ. c. 1. *Epiphan.* haereſ. 21. & vulgo ceteris *Haereſeologis*.
(*r*) Epiſt. ad Trallian.
(*s*) *Iren.* l. 1. c. 20. *Theodoret.* Haeret. fabular. l. 1. c. 1. *Aug.* cit. c. 1.
(*t*) *Iren.* cit.
(*u*) *Aug.* cit.
(*x*) *Iren.* cit. & *Iſidor.* l. 8. Etymolog. ubi de Simone.

gentia comparati fuerunt : ex quibus plane quiſquis veteri Teſtamento fidem adhibet , mortem incurrit . [*y*]... v. Chriſtus non venit , nec revera a Judaeis quidquam pertulit . [*z*] ... vi. Feminarum communitas licita eſt(1)... vii. Non erit Reſurrectio carnis . [*a*]... viii. Idololatria res indifferens ; atque adeo Chriſtum , urgente perſequutione , licite pernegaveris . [*b*]... ix. Non aliter ſalus obtineri poteſt , quam ſi quis ſummo Parenti per Angelos ſacrificium offerat (nempe idololatrico & obſcoeniſsimo ritu , qualem modeſtia deſcribere ac vel nominare vetat) [*c*].. x. Helena haec ipſa eſt , propter quam bellum Trojanum contractum eſt ; ipſa enim per ſecula veluti de vaſe in vas in altera muliebria corpora tranſmigravit . [*d*] ... xi. Deus eſt peccatorum cauſſa ; ita enim naturam humanam creavit , ut haec nihil aliud poſsit & velit niſi peccare [*e*] .

Hoc Simonianum Syſtema , vel potius implexa ineptiarum , contradictionum , & impietatum complexio [*f*] . (*)

II. *Ce-*

(*y*) *Epiph.* haer. 21.
(*z*) *Aug.* cit.
(1) *Aug.* cit. cap. 1.
(*a*) *Aug.* ibid.
(*b*) *Orig.* l. 6. cont. Celſ.
(*c*) Ex *Tert.* de praeſcript. c. 33. & *Epiph.* c. 21. n. 4. & haec forte erat Angelorum Latria , quam magis uſitatam eſſe docuit *Clem. Alex.* 3. Str. nec diſſentit *Petav.* in Animadv. ad c. l. Epiphanii .

(*d*) *Iren.* l. 1. c. 20. *Euſeb.* hiſt. l. 2. c. 13. *Theodoret.* Haeret. fab. l. 1. c. 1. *Philaſtr.* l. de haereſ. in Simonianis .

(*e*) Innuit *Vincent. Lerinenſ.* in Commonit. verſ. fin. §. *Sed ad Apoſtolum* .

(*f*) Ita indicavit , me judice , *Dionyſ.* de div. nom. c. 6. , quidquid eum alii ſecus interpretentur , cum *Nat. Alex.* & *Bernino* mox adducendis .

ADNOTATIONES.

(*) I. THomas *Ittigius* Lipſienſis in Diſſ. de Haereſiarchis aevi Apoſtolici Sect. 1. c. 1. contra ſenſum omnium pene antiquorum , & juniorum , haud levibus documentis fretus , contendit , *Doſitheum* quemdam , Simoni Synchronum , qui omnia de Chriſto vaticinia , quae Moyſes protulit , & reliquum Divinitatis ſibi arrogabat , Simonem , cujus fuerat Magiſter , praeceſſiſſe ; atque adeo ipſum , minime Simonem , fuiſſe haereticorum omnium Protoparentem . Enim vero Doſitheus ille , de quo nullus , quem ſciam , teſtatur , ſacro babtiſmate fuiſſe initiatum , inter ſuos Samaritanos Sectam inſtituit , non vero inrer Chriſtianos , & accepto Chriſti Baptiſmate , quemadmodum Simon , qui ſub eo ſenſu apud antiquiſſimos Patres , quibus ea Doſitheana Secta dubio procul explorata fuit , omnium primus haereſum Inventor fuit . (Conf. *Laurent. Cozza a S. Laurentio* in Comment. in lib. S. Auguſt. de haereſibus tom. 1. c. 1. a n. 3.)

II. Simoniana haec dogmata extra omnem dubitationis aleam ponenda ſunt , utpote expreſſe contenta in priſcorum Patrum , quos laudavimus , commentariis . His tamen nonnulli alia quaedam adjiciunt . E. g. *Berninus* (In Hiſt. haereſ. Seculo I. Cap. I. in S. Petro) adſeverat , Simonem admiſiſſe cum Zoroaſte duo principia , quorum unum totius boni , alterum vero totius mali ; citatque pro ea ſententia ſuffragium S. Epiph. in Anacephalaeoſi : atvero nec Epiphanius quidquam de hoc Simoniano dogmate ; nec ipſum ab ullo ex indicatis Patribus notatur ; nec a modernis adcuratioribus , quales dixeris e.g. *Nicolaum LeNourry* (in adparatu ad Bibl. Max &c. tom. 1. Diſſ. 1. c. 3. ubi de Simonis haereſibus) & *Nat. Alexandr.* (in Hiſt. Eccl. ſec. 1. ubi de Haereſ. Simonis) .

Deinde Cl. *Tillemontius* (in Hiſt. Eccl. tom. 2. in SimoneMago p. m. 33.) fecit Simonem Inventorem xxx. illorum celebrium Aeonum , ſeu Deorum (de quibus paullo poſt) ex opinione Eliae Cretenſis (in Orat. 23. S. Greg. Naz. n. 16.) & Fleurii (in Hiſt. Eccl. l. 3. c. 26. & 27.) ; quin & addidit ex Eliae , & aliorum ſententia , Simonem inter Aeones conſtituiſſe quinto loco Verbum ; unde *Bullus* (l. 3. c. 1.) ſubintulit , Simonem fuiſſe primum

II. *Cerinthus* vel *Cherintus*, Apoſtolis coaevus, haec effutiit dogmata. 1. Ad ſalutem obtinendam neceſſario lex cum Evangelio ſervanda,

mum Arianiſmi parentem. Ceterum nullus ex priſcis Patribus hoc inventum Simoni adtribuit, quod omnes ad unum Valentino adſcribunt: Elias vero, qui fl. ſub an. circ. 787., ubi citatur, p. m. 623. non de Simone loquitur, ſed de Simonianis, qui Valentino Synchroni potuerunt ejus perridiculum Syſtema aliqua ſaltem ex parte, ut Elias innuit, adoptare: nec demum Fleurius ubi laudatur de Simone loquitur, ſed de Valentino.

Praeterea ex laudati *Cozza* decreto, haec etiam inter Simonis dogmata recenſeri debent: 1. *Magia, etſi daemoniaca, res eſt bona, ejuſque uſus eſt licitus*: II. *In Deo non ſunt tres Perſonae reipſa diſtinctae & ſubſiſtentes*: III. *Animae hominum tranſeunt de corpore in corpus*: IV. *Spiritus S. dona poſſunt pecunia poſſideri*. (Ita tom. I. c. I. n. 48.)

Enim vero in primis nullum ex iis produnt priſci Patres tanquam expreſſe adſertum & edoctum a Simone. Deinde quoad 1; Magiam daemoniacam ipſe exercuit; at dogma, quod ſtatuerit de ejuſdem exercitii licitudine, plane neſcimus: quoad II., hoc colligit ex dogmate I. Simoniano ſuperius adlato; at ex hoc ipſo, me judice, potius expreſſa Perſonarum Trinitas in uno Deo, qualem ſeſe effinxit Simon, juxta ejuſdem ſenſum, inferri debet: quoad III. qui pro una Helena metempſycoſin finxit, porro univerſim pro ceteris quibuſque hominibus, vel ne. quidem indirecta acie definivit: quoad IV, id plane apud ſe ſtatuerat Simon, ex *Act.* 8. 19., ac inde quidem Simonica labes ortum duxit (ap. *Guidon.* Carmel. in Sum. haereſ. ex *Auguſtino*, cap. I. ubi de Simonianis.) ceterum quod id ipſum tanquam dogma tenendum docuerit Simon, minime conſtat. Itaque in re hiſtorica adcuratiſſime facta perpendantur, ut quod ſuum eſt cuique tribuamus, etiam ſceleſtiſſimo; nec unquam fingendus hoſtis, quem ferias.

III. Emin. *Baronius* ad an. Chr. *66.* negat, Simonem Angelorum cultum ullum introduxiſſe; ſed eum tamen adſerunt ſupra laudati ad dogma IX. Simonis, quibus addito *Nat. Alexandr.* (in Hiſt. eccl. ad Sec. I. ubi de Haere. in Simone) & *Nourryum* (proxime laudat.) Neque vero audiendae conjecturae Baronianae adverſus illorum Patrum adſerta; quoniam Simonianum Syſtema, ſingillatim circa Angelos, quaedam ſecum pugnantia tradidit, eodem *Epiphanio* teſte.

IV. Praeter Lerinenſem nemo unus ex antiquioribus Patribus & Hiſtoricis Simoni impingit XI. dogma, ſuperius recitatum; neque vero illud ex profeſſo Haereſiarchae aſſerit, ſed valde obiter; ac forte memoria lapſus, pro Marcione, ſeu Manete Simonem produxit. Hinc eam Lerinenſis adſertionem ut minimum valde dubiam exiſtimavero, ac pro certo illius nefandi erroris Authore alium quaeram.

V. Quod ſpectat Simonis epocham, is apud *Clementem Alexandr.* (In calce libri 7. Strom.) fuit Haereſiarcha Marcione tempore poſterior. Ceterum ex communi Eruditorum calculo, Clemens huic humanitus memoria excidit; nec niſi frigide eum *Nourryus* (In Adpar. in Diſſ. 2. de Oper. Clem. Alex. cap. 13. art. 2.) a lapſu excuſat (Conf. *Petav.* in animadverſion. in c. 2. Epiph. n. I.)

VI. Sceleſtiſſima haec ac ineptiſſima Simonis inventa ſuae Sectae diſcipuli retinuerunt ex integro ſaltem uſque ad Euſebii aetatem, qua ipſi adhuc vigebant (teſte eodem *Euſeb.* l. 2. Hiſt. c. 2. & 13.) Tum perplures alii Sectarum, novorumque errorum Architecti varia ex ipſis Simonianis inventis, ſuis expoſita ſenſibus adoptarunt, ac ſubciſivis temporibus coluerunt ac inſtaurarunt.

Equidem e. c. III., quod recitavimus, Simonis dogma tutati ſunt Menander, Baſilides, Carpocrates: IV. Marcion, Cerdon, Valentinus, Ptolomaeus, Apelles: V. iidem Marcion & Cerdon, tum Baſilides & Manes: VI. Saturninus, Baſilides, Florianus: VII. Marcion, Manes, Priſcillianus: VIII. Carpocrates, Valentinus, Baſilides, Albigenſes.

VII. Jam vero cum noſtri inſtituti ratio inpraeſentiarum ad primigenios haereſeon Inventores penitus adligetur, quum impoſterum de iis modo praenominatis, atque de ceteris ejuſmodi inventorum errorum ſectatoribus & inſtauratoribus ſermo erit, eos duntaxat errores indicabimus, quos ipſi tanquam primi Inventores evulgarunt, reliquis antiquioribus a ſe cooptatis vel inſtauratis prorſus omiſſis.

Quin etiam illa Inventorum dogmata conſulto praetermittemus, quae merae nugae ſunt, ac inſulſae deſipientis animi ineptiae; atque adeo vel a poſterioribus Haereſiarchis etiam rejecta, vel aeternae oblivioni tradita: cujuſmodi ſunt Menandri baptiſmus, qui eo initiatum a ſenio & morte reddebat immunem; ac Helxei Spiritus Sanctus, quem feminam & Chriſti ſororem commentus eſt; & id genus pene innumera.

da, & Circunciſio ſuſcipienda. (*g*) ... II. Hinc explodendae Paulli Epiſtolae, propterea quod Apoſtolus ibi Circunciſionem abdicaverit. (*h*) ... III. Jeſus Chriſtus duplex perſona eſt: videlicet Jeſus ex Joſeph & Maria ſicuti ceteri homines ortus eſt; Chriſtus vero eſt Spiritus S., qui in Jordane ſub columbae ſpecie cum Jeſu conglutinatus eſt, ac propterea tot Dominus ab eo tempore ſigna patravit: in fine autem Chriſtus dimiſit Jeſum, qui proinde paſſus eſt & crucifixus, ac poſtea reſurrexit. (*i*) ... IV. Judas proditor in honore habendus (*k*) ... V. Martyres Domini nullo honore adficiendi. (*l*) ... VI. Matthaei Evangelium ex parte duntaxat accipiendum, alia tria penitus explodenda. (*m*) ... VII. Actus Apoſtolorum abjiciendi. (*n*) ... VIII. Poſt carnis Reſurrectionem Jeſu Chriſti regnum terreſtre futurum eſt; ac Hieroſolymis homines mille annorum ſpatio carnis cupiditatibus, voluptatiſque illecebris inſervient (*o*). En Chiliaſtarum, ſeu Millenariorum Patriarcham, ſcilicet obſcoenorum. (*)

III. *Ebionitae* aliqui, non omnes, ex ſecta *Ebionis*, qui fl. an. Chriſti circ. 80., acceptis a Magiſtro erroribus alios addiderunt. En palmares. I. Chriſtus ante omnia creatus Adami corpus primum induit, ac deinde homo viſus eſt, & in crucem ſublatus, ſurrexit & aſcendit in Coelum. (*p*) ... II. Duo a Deo conſtituti ſunt, Chriſtus & Diabolus, quorum illi futuri, huic praeſentis ſeculi poteſtas eſt commiſa. (*q*) ... III. Solus Chriſtus

(*g*) *Aug.* l. de haer. c. 8. *Iſidor.* l. Etymol. haer. 7.
(*h*) *Philaſtr.* in Cerinth. *Epiph.* haer. 28.
(*i*) *Iren.* l. 1. c. 25. *Epiph.* cit. *Theodor.* l. 1. haeret. fab.
(*k*) *Philaſtr.* cit.
(*l*) *Philaſtr.* ibid.
(*m*) *Phil.* & *Epiph.* citt.
(*n*) *Phil.* cit.
(*o*) *Theodor.* cit. *Euſeb.* Hiſt. l. 3. c. 28. & l. 7. c. 25. *Aug.* & *Iſidor.* citt.

ADNOTATIONES.

(*) I. HAEc certa videntur ex laudatis Patribus Cerinthi dogmata, nonnulla tamen alia Cerinthianae Scholae diſcipulis, non Magiſtro, ut ego quidem arbitror, adſcribenda: ut qui ex illis repudiarunt carnis reſurrectionem; tum qui docuerunt, Chriſtum nondum reſurrexiſſe, ſed in die noviſsimo eſſe cum ceteris reſurrecturum; qui demum conſtituerunt, ſuſcipiendum eſſe baptiſmum eorum nomine, qui nondum baptizati deceſſerant, ne ſcilicet quum extrema demum reſurrectione revocati eſſent ad vitam, praetermiſsi baptiſmatis poenas darent. (Ex *Epiph.* cit.)

II. Plane ſibi non conſtare videtur Cerinthus in ſuo Syſtemate; primum enim ſtatuit cum Simone, non Deum, ſed ſiniſtram intelligentiam tradidiſſe legem; ac deinde nihilominus legi traditae tanquam bonae obtemperandum eſſe enixe contendit, contra ſenſum, & quidem conſequentem, Simonis. (Ex eod. *Epiph.*) At quis tamen miretur, ejuſmodi obcaecatiſsimos iniquitatis Magiſtros paſsim ſecum ipſis aperte pugnare? Eſt vero qui cum *Tillemontio* (in Hiſt. Eccl. tom. 2. in haereſi Cerinthianorum §. *Il Soutenoit*.) haud improbabiliter ſuſpicetur, Cerinthum non ex animo praeſcripſiſſe legis obſervationem, ſed ut tempori inſerviret, fugeretque perſequutiones, quibus Judaei Chriſtianos exagitabant; quoniam & multi ex ejus diſcipulis illam aliis inculcabant, quin & ipſi eſſent circunciſi (Ex *S. Ignat.* Epiſt. ad Philip.); ac forſan Joannes, qui ſuum Evangelium etiam contra Cerinthum conſcripſit (ap. *Hieron.* l. de vir. illuſtr. in Joanne), ipſum ſubobſcure, itemque literaliter deſignare voluit, quum Angelum Epheſi Eccleſiae ſic adloquitur (*Apoc.* 2. 9.) *blasphemaris ab his, qui ſe dicunt Judaeos eſſe, & non ſunt, ſed ſunt Synagoga Satanae*.

(*p*) *Epiph.* haer. 30. §. 3.
(*q*) Ibid. §. 16.

ſtus veritatis eſt Propheta; alii vero, qui Prophetae dicuntur, David, Iſaias, Eliſaeus &c., ſolum intelligentiae ſunt Prophetae; atque adeo repudiandi. (*r*)... IV. Virginitas & caſtitas omnino prohibendae. (*s*)... V. Si cui divortium facere libuerit, ac novum inire matrimonium, ad tertias & ſeptimas uſque nuptias accedere permittatur (*t*). (*)

IV. *Nicolaite*, incerto Authore, ſub an. circ. 86. exorti, haereticorum omnium ineptiſſimi juxta & obſcoeniſſimi, necnon aliarum haereſeωn fecundum ſemen, inſaniſſimum ſuum ſyſtema his potiſſimum dogmatis exornarunt. 1. Complures Aeones aut Dii, Spiritus ſeptem & demones ortum duxerunt ex concupiſcentia & commixtione tenebrarum cum lumine. (*u*)... II. De idolotythis & immolatis comedere licitum eſt. (*x*) ... III. Non poteſt quiſpiam vitam conſequi aeternam, niſi quotidie luxuriae vacet (*y*). Horum facta monſtrorum divino odio digna indicantur *Apoc.* 2. 6. (*z*). (**)

E SE-

(*r*) Ibid. §. 18. (*s*) Ibid. (*t*) ibid. §. 2.

ADNOTATIO.

(*) POrro Joannes maxime adverſus Ebionis dogma Evangelium exaravit (ex *Tert.* l. de carne Chriſti c. 18. & *Hier.* l. de vir. illuſtr. in Joanne); immo omnes prorſus Apoſtoli ejus fidem, aut perfidiam repudiarunt (ap. *Epiph.* cit.); videlicet ob illa duo ſceleſtiſſima dogmata, quibus cum Cerintho, ejus Magiſtro, ut aliqui ferunt, docebat, Chriſtum eſſe merum hominem, & filium Dei adoptivum (ex *Mario Mercat.* anathem. Neſtorii 12.); ac inſuper neceſſariam eſſe una cum Evangelio legis obſervationem.

His forſan ulteriora adjecit Ebion, ut innuere videtur *Epiph* (§. 2.); at quaenam illa ſingillatim fuerint, vel ne quidem ipſe indicat, nec alius ex priſcis Patribus, quem viderim. Verum conſtat amnino ex eodem *Epiph.* (§. 16.) enarrata dogmata non primum Ebionem procudiſſe, ſed ejus diſcipulos, qui Magiſtro in Schola ſuccedentes, in varias factiones diſtracti ſunt. Hinc corrigendi, qui illa Ebioni minus adcurate adtribuerunt, e. g. *Gaulterius* (in Tabula chronograph. Sec. I. in collat. haereſum c. 9.) *Joann. Sianda* (in Lexico polemico ſecundae editionis recognitae, art. *Ebion*), *Gaulterius* (in Prodromo Diſſ. 2. c. 4. art 2. ubi de Ebionitis.)

(*u*) *Epiph.* haer. 25. §. 2. 3. 5. *Aug.* c. 5. *Tert.* l. de praeſcript. c. 46.

(*x*) *Iren.* l. 1. c. 27. *Aug.* cit.

(*y*) Hoc cit. *Epiph.* adjudicat Nicolao, quem Sectae Inventorem facit.

(*z*) Conf *Euſeb.* l. 5. hiſt. c. 29. *Theodor.* haeret. fab. l. 3. c. 1. rurſus *Aug.* l. de morib. Manich. c. 19. & 20.

ADNOTATIO.

(**) GRavis de ſectae Authore controverſia nondum deciſa eſt. Sectarii quidem fuiſſe jactabant Nicolaum, unum ex illis, qui ad curam inopum gerendam, una cum Stephano ab Apoſtolis conſtituti fuerant miniſtri, (ap. *Euſeb.* hiſt. l. 3. c. 2.) & huic quidem opinioni complurimi adſtipulati ſunt: puta *Iren.* (mox cit.) *Epiph.* (cit.) *Hieron.* (dial. adverſ. Lucifer. & epiſt. olim 48. ad Sabinian.) *Philaſt.* (in Nicolaitis) *Hilar.* (can. 25. in Matth.) *Iſidor.* (l. 8. Etymol. c. 5.) *Praedeſtinatus* Sirmondi (in Nicolaitis) *Dorotheus* (in vitis 72. diſcipulor.), quibus *Cotelerius* (in Notis ad cap. 8. lib. 6. Apoſtolic. Conſtit.) addit *Pacianum*, *Greg. Nyſſenum*, *Gelaſium*, *Gildam*, *Anaſtaſ.* *Agobardum*, *Rhabanum*. His *Tillemont.* conſentire videtur (hiſt. eccl. t. 2. ubi de Nicolaitis.)

Alii vero huic refragantur ſententiae, contenduntque, Nicolai diaconi nomen falſo ab hiſce Sectariis fuiſſe adſumptum, ut ſuis erro-

E SECULO II.

V. *Gnoſtici*, hoc eſt prae ceteris hominibus rerum divinarum cognitione pollentes, ſub quadam ſingulari Secta, Authore nondum explorato, militantes, ſub Evariſto Papa haec docuerunt. I. Duo ſunt Dii, bonus videlicet ac malus ... II. Anima eſt ſubſtantia Dei, vel ex Dei ſubſtantia .... III. Belluae aeque ac homines intelligunt ... IV. Jejunia & Martyria prorſus damnanda .... V. Chriſtus non eſt ex Maria natus, ſed per Mariam oſtenſus; qui nempe haud aliter quam ſpecie ipſa carnem ſuſcepit .... VI. Judicium futurum minime credendum (*a*). [*]

VI. *Saturninus*, aliis *Saturnilus*, Menandri Haereſiarchae diſcipulus, ſub an. Ch. cir. 120. potiſſima haec dogmata Antiochiae primus invenit, vulgavitque. I. Ex hominibus alii natura boni, alii natura mali conditi ſunt: & quoniam daemones auxilio erant malis, venit Chri-

erroribus authoritatem conciliarent). Nicolaum itaque ab hac impietate defendunt *Clem. Alex.* (3. Strom. (*Euſeb.* (hiſt. l. 3. c. 29.) *Theodor.* (l. 3. haeret. fab.) *Victorin. Pettabionenſis* Epiſc. (in commnet. in Apoc.) *nonnulli* ſuppreſſo nomine laudati a *Caſſiano* (collat. 18. c. 16.) *Author* Apoſtolic. Conſt. (l. 6. c. 8.) laudatus *Gozza* (cap. 5. num 3. ſub fin.)

Quid vero de teſtimonio, quod pro Nicolao depromi ſolet ex *S. Ignatio M.* ſcribente ad Trallianos & Philadelphienſes, *Nicolaitas eſſe falſi nominis homines*? Porro ſententia haec decretoria videtur. Et quidem eam in antiquioribus Ignatii epiſtolarum editionibus Fabri, Clichtovaei, Symphoriani, Morelii &c. extare certum eſt; nec aliunde forſan eam excepit *Stephanus Gobarus*, qui apud *Photium* (cod. 232.) laudat inter alios Ignatium pro Nicolai immunitate ab ea haereſi. Ceterum in epiſtolis Ignatianis a Jacobo Uſſerio, & Iſaacio Voſſio editis, praefata ſententia tanquam ſuppoſititia deſideratur; ac iis plane tanquam emendatiſſimis fidem adhibere videntur Eruditi moderni, cum laudato *Tillemont.* & *Nourryo* (in addar. tom. 1. Diſſ. 1. c. 8.) Quaeſtionem iraque cum eodem *Nurryo* ſapientioribus viris dirimendam relinqnimus.

(*a*) Haec, pluraque fabuloſiſſima juxta ac ſpurciſſima, quae, ne chartam commaculent, tacere praeſtat, excipies ab *Iren.* l. 1. c. 33. & 34. *Euſeb.* l. 4. c. 7. *Tert.* in Scorpiaco, *Theodor.* l. 1. haeret. fab. & dial. 2. praenotato *Inconfuſus*, *Epiph.* haer. 26. *Philaſtr.* in Carpocratianis, *Aug.* haer. 6. *Juſtin.* Apol. 2. *Hieron.* in Lucifer. c. 8.

ADNOTATIONES.

(*) I. VAriae ſunt apud priſcos Patres de Gnoſticis opiniones. Equidem principio ſub hoc ſpecioſo nomine impia quaeque dogmata verbo & praxi docuiſſe dicuntur pleraeque Sectae, praeſertim Simonianа, Nicolaitana, Baſilidiana, Valentiniana. Sunt deinde qui hujus cognominis Sectam Baſilidi, & qui Carpocrati adjudicent. Apud alios praeterea haec una ceterarum, quas indicavimus, & plurium impietatem quaſi epitomatam praeferebat. (Conſuleſis *Iren.* l. 1. c. 20. & l. 3. c. 11. *Hieron.* epiſt. olim 29. *Epiph.* haer. 26. & 27.) Et vero nos adſerentes peculiarem Gnoſticorum Sectam, & ſingularia ejuſdem dogmata, plerumque *Epiphanium* ſequuti ſumus, quippe qui in juvenili aetate ab hujuſmodi factionis hominibus ad eam ſectandam inſtructus eſt ac perſuaſus, ipſo teſte (haer. 26. §. 18.)

II. Non omnia & ſingula, quae innuimus, dogmata ſinguli quique Gnoſtici invenerunt & profeſſi ſunt: quum enim haec Secta in plures ſat oppoſitas factiones ex more ſtatim ſubdiviſa fuerit, ex iis aliquae certa admittebant dogmata, aliae vero alia. (Conf. *Nourryus* cit. t. 1. de 11. Sec. Scriptor. Diſſ. 1. c. 9.) Id quod plane perpauci cùm ex veteribus, tùm ex modernis Scriptoribus apte diſtinxiſſe reperiuntur. Horum haereſes innovarunt *Gnoſtici Novi* ſub an. 1545. exorti.

ſtus, homo in ſpecie tantum, ut bonis ſuccurreret, ac malos cum daemonibus profligaret (*b*) . . II. Illicitus eſt & execrabilis actus quilibet veneri inſerviens; atque adeo illicitum penitus conjugium cum prolis generatione (*c*). Videlicet ut per fictam hujuſmodi continentiam multos ſeduceret, ut Author eſt laudatus *Irenaeus*.

VII. *Baſilides*, genere Alexandrinus, Saturnini Condiſcipulus, vel eodem tempore, quo Saturninus, vel paullo ſerius (*d*), haec, praeter alia ad aniles fabulas amandanda, inventa docuit. I. Deus, quem Gens Judaea coluit, non fuit verus Deus. (*e*) . . . II. Anima, quae prius peccaverat in alia vita, heic patitur ſupplicium: electa quidem, ut puniatur; alia autem, ut quae ſuo purgetur ſupplicio. (*f*) . . . III. Chriſtus, ſpecie tenus homo, Cruci adfixus non eſt, ſed Simon ille Cyreneus; hunc enim, cui Judaei Crucem impoſuerant, in ſuam Chriſtus figuram commutavit: hinc minime credendum in Crucifixum, ſed in eum, qui crucifigi viſus eſt. (*g*) . . . IV. Non aliae ſunt peccatorum poenae niſi tranſmigrationes animarum poſt mortem. [*h*] . . . V. Chriſtus peccati capax fuit. [*i*] . . . VI. Vetus Teſtamentum penitus rejiciendum; & ex Novo Epiſtolae ad Hebraeos, ad Titum, & ad Timotheum, quoniam falſo Paullo adjudicantur. [*k*] . . . VII. Fides & Praedeſtinatio originem ſeu initium a natura ducunt. [*l*] . . . VIII. Peccata duntaxat involuntaria & ignorantiae dimittuntur a Deo [*m*]: ſcilicet quae ante fidem commiſſa ſunt, ut exponere videtur *Cl. Alex.* [*n*] . . IX. Non eſt repromiſſa corporibus ſalus, ſed ſolis animabus: atque adeo nulla erit carnis reſurrectio. [*o*] (*)

VIII. *Va-*

(*b*) *Epiph.* haer. 23. §. 1.
(*c*) *Epiph.* cit. *Iren.* lib. 1. c. 22. *Theodor.* haeret. fab. l. 1. c. 3. De ipſo plura *Tert.* de praeſcr. c. 46. *Aug.* c. 3. *Philaſtr.* c. 31. *Euſeb.* hiſt. l. 4. c. 6.
(*d*) Circa hanc chronologiam conſulendi *Nourryus* cit. de 11. Sec. Script. Diſſ. 1. c. 3. art. 2. §. 2. & laud. *Cozza* t. 1. c. 4. a num. 3.
(*e*) *Aug.* l. 2. contra adverſ. leg. c. 12.
(*f*) *Cl. Alex.* 4. Strom.
(*g*) *Iren.* l. 1. c. 23. *Epiph.* haer. 24.
(*h*) *Orig.* tr. 28. in c. 24. Matth.
(*i*) *Clem. Alex.* 4. Strom.
(*k*) *Hier.* in Præf. ſup. Titum.
(*l*) Ita *Iren.* cit. *Philaſtr.* in Baſilide, *Epiph.* cit. At *Clem. Alex.* hunc errorem Baſilidis diſcipulis adtribuit, non Magiſtro.
(*m*) *Orig.* hom. 28. in Matth.
(*n*) Strom. 4.
(*o*) *Tert.* de praeſcr. c. 46.

ADNOTATIONES.

(*) I. HAec certa videntur ex adductis Patribus, & aliis, qui adduci ulterius poſſent, Baſilidis dogmata, a ſe primum inventa; aliaque ex Simonis & Menandri Magiſtri doctrina retinuit, quae nos conſulto praetermittimus. Perplura ipſi liberaliter adfigunt alii, & prae ceteris laudatus *Cozza* (cap. 4.) e. g. quod mundus hic Dei providentia non regatur, ſed immediate ab Angelis; quod honeſtum ſit operam dare libidini &c. Porro haec & alia citati Scriptores tacuerunt; nec ea quidem, me judice, produci poſſunt tanquam Baſilidis adſertiones, ſed tanquam illationes, quae ex illis vel directa, vel obliqua acie conſequuntur. Ceterum ſi ita liceat, ad oſtendendam eruditionem argumentari, ex uno quoque dogmate haeretico plura ſine numero deducere poſſis.

II. In dubium ab aliquibus Eruditis vertitur, an Baſilides realem Chriſti praeſentiam in Ss. Euchariſtia negaverit? At dubium plane miror; qui enim Chriſto umbratilem duntaxat hominis praeſentiam conceſſerat; hanc ipſi conſequenter ſub Euchariſticis ſpecie.

VIII. *Valentinus*, gente Aegyptius, patria forte Phaberbites [*p*] novae ac prae ceteris celeberrimae & feraciſsimae haereſeos parens, ſub an. cir. 149. haec dogmata novo ingenio procudit. I. Triginta ſunt Dii vel Aeones: ex iis autem quindecim mares ac totidem feminae, quorum commixtione alii progignuntur; ex eorum vero omnium munere Salvator omnium profectus eſt. (*q*)... II. Chriſtus Coeleſte corpus ſecum adtulit, ac per Mariam Virginem, tanquam per fiſtulam & canalem, ſine ulla de illa adſumpta carne, tranſiit. (*r*)... III. A Diabolo ſunt qui hunc Mundum condiderunt. (*s*)... IV. Malitia non eſt tribuenda voluntatis arbitrio, ſed naturae, hoc eſt generi diabolico. (*t*)... V. Homo non eſt formatus de hac arida & communi terra, ſed de inviſibili ſubſtantia, effuſibili & fluida materia. (*u*)... VI. Duo ſunt animarum genera, bonae ſcilicet ex natura, & ex natura malae. (*x*)... VII. Mundus hic non eſt ex nihilo creatus, ſed ex praeexiſtente quadam materia. (*y*)...

ciebus proculdubio adſcribere potuit, minime realem. Id fortaſſe de Baſilide, aut de Baſilidianis, eos perſtringens, adſeruit *S. Ignatius* ubi ait (epiſt. ad Smyrnens.), *Euchariſtias & oblationes non admittunt, quod non confiteantur, Euchariſtiam carnem eſſe Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.*

III. Fert *S. Hieron.* (epiſt. olim 29., quae eſt Lucinii Epitaphium, ad Theodoram uxorem) Baſilidis haereſim ſua adhuc aetate maxime inſtar peſtis & morbi in Hiſpania ſaeviiſſe; ſubindeque magnopere Lucinium Boeticum commendat, quod tum temporis ab ea haereſi immunis fuerit. Quin & ibidem laudat *Irenaeum*, ajentem, quendam Maroum ex Baſilidis ſtirpe hujus errores in Gallia primum, ac deinde in Hiſpania diſſeminaſſe; ut inde, mea quidem opinione, veroſimile oſtenderet, eam haereſim, quae ea tempeſtate per Hiſpaniam graſſabatur, non aliam fuiſſe quam Baſilidianam, a Marco invectam & ſatam.

Ceterum haereſis illa, de qua Hieronymus, prorſus *Priſcillianiſtica* fuit, Authore *Priſcilliano*, de qua eam ſub Hieronymi tempora ſtragem referunt *Mariana*, *Vaſaeus* & reliqui Hiſpanarum rerum Scriptores, poſt *Idacium Clarum*, apud quem *Priſcillanus in haereſim Gnoſticorum declinavit* &c. (in Chron. Olymp. 291.) Et quidem eſto obſcoeniſſimum Priſcillani Syſtema unum vel alterum ex Baſilidiano dogma deſumpſerit, hoc tamen ab illo longo quidem intervallo differt, ut perſpicue patet utrumque conferenti.

Neque vero Baſilidis errores, quos in Hiſpaniam ille Marcus fortaſſe intulerit trecentos ante annos & amplius, ita ſingulari ac permanenti contagio Regnum infecerunt, ut de eo apud Hiſpanos Hiſtoricos peculiarem mentionem habeamus; adeo facile credi poteſt, parva ea ſemina fuiſſe ſenſim extincta, nec uſque ad Priſcilliani aevum perennaſſe. Et hanc quidem opinionem noſtram ſuo *Tillemontius* calculo comprobavit. (In Hiſt. eccl. tom. 2. ubi de Baſilide ſub fin.) Hinc non audiendus *Cozza*, qui pro Hieronymi ſententia nudum ipſius textum abſque ulla diſcuſſione in medium profert. (cap. 4. n. 13.)

(*p*) Ex *Petavio* in notis ad Epiph. haer. 31. n. 2.

(*q*) Hanc fabuloſam & perridiculam Aeonum, alias Seculorum, genealogiam, ab Heſiodo, Platone, aliiſque priſcis Philoſophis & Poetis depromptam, diſerte ad mentem Valentini explicant vulgo *Haereſeologi*, cum *Epiph.* haer. 31. Aug. haer. 11. *Tillemont.* tom. 2. in Valentinianis.

(*r*) *Iren.* l. 3. c. 22. *Tert.* de praeſcr. c. 49. & l. de Carne Chr. c. 15. & l. 1. contra Valentinum c. 15.

(*s*) *Aug.* haer. 1.

(*t*) *Aug.* cit.

(*u*) *Iren.* l. 1. c. 1. *Epiph.* haer. 31. n. 19.

(*x*) *Iren.* cit. *Tert.* contra Valent. c. 29. *Epiph.* cit. n. 23.

(*y*) *Tert.* contr. Valent. c. 16. ſub fin. At eam tamen noluit Valentinus Deo coeternam cum multis ex priſcis Philoſophis, ſed aliam, illi ſimilem, quam Hermogenes excogitavit ap. cit. *Tert.*

VIII. Homines qui ſalvantur, ex natura ſua ſalvi fiunt (ſcilicet Valentini doctrinae ſectatores), nec enim ipſi fide ac bonis operibus egent, quum viris ſpiritualibus ad ſalutem ſufficiat cognitio. (z) ... IX. Traditio non ſcripta, dicta apud nonnullos *Oralis*, quae eſt ab Apoſtolis & per Apoſtolorum ſucceſſiones in Eccleſia cuſtoditur, adtendenda non eſt (a). (*)

Haec itaque nequiſſima impietatis Zizania in agro Eccleſiae; haec prima mali labes in domo Dei; haec progenies viperarum, quae pene ſemper & ubique monſtra ſibi ſimillima peperit; hi primigenii, juratique ſacrae Dogmatices inimici, quos cunctis Seculis fecundiſſima proles

(z) Ex *Clem. Al.* 2. & 4. Strom. *Tert.* adv. Valent. c. 20. ſub fin. *Theodor.* l. 1. haer. fab. *Iren.* l. 1. c. 1. (a) *Iren.* l. 3. c. 2.

ADNOTATIONES.

(*) I. HAec certa ejus dogmata, e quibus pleraque laudati Patres ex ipſius Valentini ſcriptis eruerunt, omiſſis nonnullis, quae alii Haereſiarchae primum invenerant. Alia ipſi adfiguntur, ut e. g. quod Chriſtus parvulus alphabeti literas didicerit; & quod eundem, ajentem *tranſeat a me calix iſte*, non modo timor occupaverit, ſed etiam deſperatio, &c. Vereor tamen, ne haec & ſimilia adſcititia ſint, aut potius aliis ex Valentini Schola exortis auditoribus vel Haereſiarchis adſcribenda.

II. Sunt ex recentibus Scriptoribus, qui omnia de Aeonibus Valentini dogmata nihil niſi omnino ſanum & orthodoxum continere defendunt; contendantque, ejus & diſcipulorum de Ss. Trinitate (quod caput eſt in eo de Aeonibus Syſtemate) ſententiam fuiſſe prorſus catholicam, quam nempe iidem aperte explicabant in ſacri Baptiſmatis collatione (ap. *Euſeb.* in hiſt. l. 4. c. 12.) Ceterum his Scriptoribus revincendis ſatis eſt authoritas Patrum, qui in Valentiniana doctrina tanquam acatholica adcurate refutanda data opera collaborarunt, nempe laudati *Iren. Tert. Epiph.* quibus addendi *Juſtinus* & *Hippolytus* (in tractatib. adverſ. Valentin.) Conf. cit. *Nourryut* (de 11. Sec. Script. tom. 1. Diſſ. 1. c. 4. art. 1. §. 3.)

Quid? quod Valentini ac ſociorum hipocryſis permagna fuit, eaque tanquam praecipuo medio, multa catholicorum millia ſeduxerint, traxeruntque in ſuas partes; quoniam aperte palamque non niſi catholicas veritates edocebant, clam vero ſimplicibus & nimium curioſis ad ſe adlectis, & iterum atque iterum probatis, ſua iniquitatis myſteria revelabant (ex *Iren.* l. 3. c. 15. & 19. ac *Tert.* adv. Valent. c. 1. & 3.) Quocirca eſto Baptiſmum in Ss. Trinitatis nomine contulerint, & alias externas actiones Chriſtiano dogmati & ritui conſentaneas palam ediderint, at potius credendum, clam tenuiſſe oppoſita dogmata, quae Ss. Patres retexerunt, & literis conſignarunt.

III. Adſeveravit nonnemo, ex *Rufin.* (adverſ. Hieron. l. 1.) Valentinum credidiſſe, Deum eſſe corporeum, ac membris, & quadam figura humana conſtare. Verum hic error, primum adſertus ab *Antropomorphitis*, duce *Audaeo* (ap. *Epiph.* haer 70.) qui fl. an. cir. 340., tribuitur a Rufino, non Valentino, ſed Valentinianis, & iis quidem, mea opinione, qui poſt exortos Audaeanos hunc eundem cum ipſis errorem una cum Valentinianiſmo forte ſuſtinebant.

IV. Vulgo creditur, Valentinum catholicam de Chriſto fidem, excepto ſecundo, quod perſcripſimus, dogmate, tenuiſſe. Enim vero in primis *Fleurius* (in hiſt. ubi de Valentinianis) ex iis quae adfert *Tert.* de carne Chr. c. 1., haud levi fundamento ductus, ſuſpicatur, Chriſtum revera apud Valentinum non fuiſſe verum hominem, immo conſtaſſe corpore, immateriali & impaſſibili.

Deinde *Photius* (cod. 230.) ex ſcriptis Valentini locum adducit, ubi is Chriſtianos irridet, quod duas velint in Chriſto naturas; ſuſtinetque, in Chriſto eſſe viſibile ac inviſibile unicam importare naturam. Denique apud *Athanaſium* (orat. 2.) in Valentini ſententia, Chriſti natura eadem fuit, ac ſit ea, qua gaudent Angeli. Ex quibus facile quiſquam concludere poſſit de fide, quae erga Chriſtum Dominum Haereſiarches animo inſedit; quidquid communior opinio ferat.

proles ſubſequuta eſt: ſic ii deſipiunt; ſic & ſui poſteri deſipuerunt (*b*). Catholicos & invictos Athletas, qui ab hiſce nefandis peſtibus Dogmaticen vindicarunt, dedimus in noſtra *Hiſtoria Dogmatico-Polemica*; dogmata vero ab hucuſque recenſitis, immo & ceteris Haereſiarchis inventa & inſtaurata Proluſiones aliae in propriis ſedibus aut repetent, aut primum exhibebunt. De his igitur jam ſatis, ſuperque. Ad exponendam Dogmaticen calamum convertamus.

§. I.

De Dogmatices Notione, Diviſione, Ortu, Progreſſu.

130 QUAESTIO I. Quid de *Notione*? ADSERO I. Eſt *Facultas, aut Diſciplina, quae in Chriſtianae Fidei expoſitione verſatur*: videlicet Dogmatis fide ſanctis adſerendis, exponendis, confirmandis, illuſtrandiſque penitus intenta. Id equidem, nec quidquam aliud, ſi preſſe loquimur, importare arbitramur *Dogmatices* naturam, etymon, nomen. Porro *Dogma* late ſumptum deſignare poteſt, immo deſignat frequenter cujuſcumque Scholae, aut ſectae, vel etiam privati Authoris theſim, placitum, ſeu pronuntiatum: heic vero illud ſumunt vulgo Theologi pro catholica veritate divinitus revelata, & propoſita ab Eccleſia Chriſti tanquam articulo fidei, cui nequeas abſque piaculo reſiſtere. Et en quod verbo dicimus *Dogma Catholicum*, cui elucidando Dogmatice inſiſtit (*c*).

131 II. Dogmatice prout expoſita eſt, longo intervallo diſtat a Polemice. Illa enim ex proprio inſtituto ac munere fidei dogmata unice verſat, ac undecumque depromptis argumentis, conjecturis, eruditionibus, confirmat, exornatque, ut ea non modo vera, ſed etiam facile credibilia repraeſentet: nec minima illi quidem cura eſt de eorumdem dogmatum hoſtibus, quos revincat, debellet, aut quidem nominet; quoniam ab iis omnino abſtrahit: pacem illa amat, non bellum: docet, inſtruit, erudit pacifice ſacra Dogmata, nec aliter quam nuda nitidaque iſtorum adſertione oppoſitos errores diſpellit, refutat, diſſipatque; quid enim opprimendo mendacio efficacius illuſtriuſque, quam veritas palam enitens ac irradians? Ita plane abſque bellico ſtrepitu Chriſtiana Dogmata exhibent ſacri Codices, Oecumenicorum Conciliorum definitiones, & adcurati Religionis Catechiſmi; a quibus nempe Dogmatice ipſam Dogmatum doctrinam, ipſumque tradendae doctrinae modum mutuata eſt, aut aemulata.

132 At vero Polemice ſuapte natura, ſeu potius inſtitutione ac nomine, perpetuo pugnax, contentioſa, bellatrix eſt; ſubinde fidei hoſtes adſi-

(*b*) Laudati *Gaulterius*, *Cozza* & alii adferunt ex profeſſo collationem veterum haereſum I. & II. Seculi, immo Seculorum omnium, cum modernioribus haereſibus.

(*c*) Conſule *Gautier.* in laudato Prodr. Diſſ. 2. c. 1. ar. 1. & 2.

adſiduo, nec raro cruento, certamine inſectatur; eorum fucos, dolos, technaſqua detegit; ſophiſtica reſponſa confutat; tela in Religionis dogmata procaciter contorta retundit; omnem denique movet lapidem ut & eadem Dogmata ſarta tecta conſervet, & ab adverſis copiis reportet triumphum, ſummo Dogmatum Authori conſecrandum. Ita quidem in fidei hoſtes totis temporibus egerunt Polemices Magiſtri, e. g. perantiqui Prophetae poſt Moſen; ſacri Apoſtoli poſt Chriſtum Dominum; antiquioris aevi Patres poſt Juſtinum Martyrem; medii aevi Sapientes poſt Lanfrancum; & recentioris tandem aevi Doctores poſt Joannem Eckium; nec ab eis plane ceteri ad noſtram uſque aetatem abludunt [*].

133 QUAESTIO II. Quid de *Diviſione*? ADSERO: Multiplex adferri poteſt. Equidem dividi poteſt 1.° Dogmatice in *Divinam*, quae differit de dogmatis pertinentibus ad Deum; *Angelicam*, quae de pertinentibus ad Angelos; & *Humanam*, quae de pertinentibus ad homines. 2.° in *Fidelem*, quae de ſpectantibus fidem; & *Moralem*, quae de ſpectantibus mores. 3.° in *Adſertricem*, quae nude adſerit edocetque more catechetico dogmata fide ſancta; & *Exornatricem*, quae adſerta dogmata momentis hinc inde petitis, quibus ipſa probentur, & credibilia fiant, exornat. 4.° in *Generalem Syſtematicam*, quae cuncta, vel pleraque dogmata, certo quodam Syſtemate, vel doctrinae ordine concinnata, profert, qualem nos tradimus; & *Particularem* ſeu *Tractatricem*, quae de iis tantum differit, quae unum aliquem theologicum tractatum ſpectant, e. g. de Deo, de Chriſto, de Ss. Euchariſtia &c.

134 QUAESTIO III. Quid de *Ortu*? ADSERO I: Idem omnino ortus Dogmatice conſignandus, qui Eccleſiae Dei, & Theologiae generatim acceptae ſuperius adtributus eſt (*c*); quippe ubinam admittenda Dei Eccle-

ADNOTATIO.

(*) HInc, me judice, Theologia, quae ex profeſſo ſancta Dogmata ſtatuit & confirmat, ac inſimul deinceps ab hoſtilibus telis vindicat, minime eſt, ſi adcurate ac preſſius ratiocinari lubeat, ſtricte ac ex integro *Polemica*, ſed *Dogmatico-Polemica*, & *Dogmatices Vindex*: verbo, *Theologica ex Dogmatice atque Polemice complexio*.

Ad haec porro Dogmatice, alioqui brevior & facilior, Theologis cunctis perneceſſaria eſt, & ab omnibus Theologiis, utpote omnium fundamentum & baſis, praeſupponitur, quin etiam ab eiſdem plerumque retractatur; ubi tamen Polemice, ex ſua inſtitutione prolixior, longeque difficillior, nec Dogmatices Vindiciarum metas tranſiliens, ceteris Theologiis nec admodum neceſſaria eſt, nec nimium opportuna, quum extra palaeſtram & conflictum cum Acatholicis nulli pene uſui pateat.

Haec cum ita ſint, conſultiſſime nos Dogmaticen, non autem Polemicen, cum Scholaſtice conjunximus, ubi Theologiae univerſae corpus tradere conſtituimus: alio quippe theologico-polemica certamina diſputanda rejecimus, heic expeditius, ac fortaſſe auditoribus utilius proceſſuri: at ipſis tamen Polemicam Hiſtoriam ſubſtituimus, qua & viam ſternimus ad Theologiam ſtricte Polemicam, & eruditionem cùm Dogmaticis, tùm Scholaſticis, immo Theologiarum omnium ſtudioſis (ſi mea me non fallit opinio, ac diuturna meditatio) mille titulis perutilem repraeſentamus.

(*c*) In Prolegom. I. §. I. Q. III. pag. 288.

Ecclesia absque dogmatis circa credenda & facienda a summo Numine revelata? II. Ortus hic repetendus est a Protoparente Adamo, non quidem ubi post lapsum, quo sibi & posteris perniciem & damnationem incurrit, *inde enitendi spem in Christo liberatore accipiens*, ut cogitat & loquitur Martin. Gerbert (*d*); sed ab Adamo innocente, ubi didicit divinitus praecipua Religionis dogmata, Deum Creatorem, & Christum gratiae & gloriae Authorem spectantia, quibus nempe & ipse proficeret, suosque deinceps posteros institueret (*e*).

135 Neque vero prudenter tenueris, Protoparentes sanctissimum juxta ac felicissimum Innocentiae statum, quem cum *Bened. Pererio* conjectamus integram hebdomadam perduravisse (*f*), absque ulla sacrorum dogmatum infusa cognitione transegisse. Porro ipsi, quum gratiam supernam, qua creati sunt, per fidei actus meruerint (*g*), donandi primum erant sacrorum dogmatum illustratione, quam fides quaelibet necessario praesupponit. Verosimile mihi est, Deum Adamo in mirabili illo somno (*h*) praecipua Religionis dogmata revelasse (*i*), ac de eisdem in statu innocentiae cum Eva conjuge, ceteroqui coelitus edocta, quandoque sermonem instituisse. Haec igitur prima Dogmatices incunabula.

136 QUAESTIO IV. Quid de *Progressu*? ADSERO I. Huic penitus, ac peculiari quodam jure adplicanda quae de Theologiae generatim sumptae Progressu *supra* diserimus (*k*); haec enim prae ceteris Theologiis, cùm a primatu & dignitate, tùm a necessitate ad obtinendam salutem cunctis plane bene sapientibus commendatissima est. II. Quantum ad progressum Dogmatum, quae nostra Facultas ex munere ediderit, & quorum divina revelatione, humanaque observantia sacra apud fidelem Dei populum Religio hucusque crevit, adolevitque, haec opportune addenda.

137 I. In *Lege Naturali*, quae admodum simplex fuit, nonnulla obtinuerunt, a Deo primoribus Patriarchis dictata, & per eosdem familias ac populum edocta; e. g. dogmata de Uno Deo & Creatione mundi per Deum (*l*), de praecepto Protoparenti impositio, hujusque transgressione [*m*], de libero hominis arbitrio (*n*), de malitia peccati lethalis (*o*) &c

Haec

(*d*) In principiis Theol. Dogmat. cap. 1. §. 4.

(*e*) De iis plura inferius Part. II. Tr. I. L. III. Cap. II. ubi de Homine innocente quoad ordinem gratiae.

(*f*) Loco cit. Quaest. VI.

(*g*) Ut ibidem Quaest. I. & II. docemus.

(*h*) De quo *Genes.* 2. 21. ac de quo plura Authores *Biblici*.

(*i*) Et consentire videntur *August.* l. 2. de Genesi contra Manichaeos cap. 12. *Hieron.* in qq. Hebraic. in Genes. c. 2. *Tertul.* l. de anima c. 21. *Ambr.* in c. 5. Ephes. *Rupert.* l. 2. in Genes. c. 34.

(k) In Proleg. I. §. 1. Q. IV. pag. 289.

(*l*) Ex *Genes.* 1. 1. & deinceps.

(*m*) *Gen.* 2. 16. & 3. 6. & alias.

(*n*) *Gen.* 4. 7.

(*o*) *Gen.* 6. & 7. fere per tot.

Haec autem, pluraque literis inerranter consignavit *Moyses* in Geneseos libro & in prioribus Exodi capitibus (*p*) (*).

138 II. In *Lege scripta* complura pariter invaluerunt, praeter illa in Lege naturali communia, quae nuper retulimus: e. g. dogmata de venturo Messia & in ipsum fide (*q*), de Christi Ascensione in Caelum (*r*) ac descensu ad inferos (*s*) necnon secundo adventu (*t*), de Angelorum creatione (*u*), de ortu Messiae ex Hebraeorum semine (*x*), de valore precum justorum apud Deum (*y*), de peccatis poenitentia eluendis (*z*), de futuro Judicio (*a*), de extrema carnis Resurrectione (*b*), de Deo principio & fine creaturarum (*c*), de ciborum delectu (*d*), de Virginitate futurae Matris Dei [*e*], de Christo Redemptore (*f*), de possibilitate servandi praecepta Dei (*g*), de vita aeterna (*h*), de Purgatorio (*i*) [*k*].

139 III. In *Lege Gratiae* Christus Dominus multa expresse promulgavit Dogmata, a sacris Evangelistis recensita; prae ceteris de suae Divinitatis, ac Ss. Trinitatis Mysteriis. Deinde Apostoli in suis Epistolis canonicis, in Actis Apostolicis, in Libro Apocalypseos & in Symbolo, quod vocamus *Apostolicum*, plura evulgarunt, quae vel a summo Magistro Christo Domino ore tenus exceperunt, vel ab Spiritu Sancto eisdem scribentibus coelitus adsistente. Iidem tandem alia divinitus accepta, ore tenus populis, aut privatis Ecclesiis, quibus Verbum Dei adnuntiarunt, tradiderunt: & ista quidem per sacram duntaxat Traditionem, qua oralem, qua scriptam, ad nos usque derivata sunt. Heic autem omnino finis Dogmatum expresse a Deo revelatorum Ecclesiae: nec enim in ista deinceps crevit materia fidei ex ulterioribus a Deo acceptis revelationibus (*l*).

140 IV. In

(*p*) Nos ea, multaque e posterioribus in aliquot fasciculos collecta dedimus in *Histor. Dogmatico-Polem.* Sect. 1. in tribus prioribus Chiliadibus Parte priore §. I.

ADNOTATIO.

(*) Omittimus heic celebrem illam Quaestionem de Henochi, filii Jaredi, libro, dogmatibus Oraculisque referto, quem *Judas* Apostolus in Epistola Canonica commendavit: num scilicet idem Henoch, natus an. M. 623., ac translatus 987. librum illum reapse conscripserit. Eam quippe opportunius alias tradendam resolvimus cum *Tertull.* (l. de Idololatria & alibi) *Orig.* (l. 4. de Principiis & saepius) *August.* (de Civ. l. 15. c. 23. & l. 18. c. 28.) aliisque sacris Interpretibus; adversus Grotium, Calmet. & plerosque recentes Eruditos, antiquiori sententiae adversantes.

(*q*) Ex *Job.* 19. 25. *Deut.* 18. 15. *Num.* 24. 17. *Psal.* 2. 7. &c.

(*r*) *Ps.* 67. 19.

(*s*) *Ps.* 15. 10.

(*t*) *Ps.* 95. 13.

(*u*) *Exod.* 14. 19. *Num.* 20. 16. *Judic.* 2. 1. *Job* 1. 6. *Ps.* 8. 6.

(*x*) *Deut* 18. 5. & saepius.

(*y*) Ex 3. *Reg.* 11. 24.

(*z*) *Job* 1. 5. *Levit.* 4. 1. *Num.* 7. 15. & deinceps per plura capita.

(*a*) *Job* 31. 14. & 34. 23. & saepius.

(*b*) *Job* 19. 15.

(*c*) *Isai.* 48. 12. & 13. ac saepius.

(*d*) *Isai.* 65. 2.

(*e*) Isai. 7. 14.

(*f*) *Daniel.* 9. 26.

(*g*) *Tob.* 2. 13. & saepius.

(*h*) *Proverb.* 19 11. *Ezech.* 43. 7. *Mich.* 4. 5. & saepissime.

(*i*) *I. Machab.* 12. 26.

(*k*) Perplurima patebunt perlegenti Mosis Pentateuchum a cap. 20. *Exodi*, quo legis promulgatio recitatur, necnon reliquos antiqui Foederis libros.

(*l*) Ex dicendis Part. III. Tr. II. L. I. Cap. I. §. III. ubi de Objecto materiali Fidei, atque hujus incremento.

140 IV. In Eccleſia Chriſti, cui depoſitum fidei concreditum eſt, perdurarunt indeſinenter uſque modo praefata dogmata, & quidem penitus incorrupta; nec enim alio pacto eadem ſervari poſſet Eccleſia, cui primum fundamentum & columen, dogmatum fides eſt: idem ergo progreſſus dogmatum per XVIII. Chriſtiana Secula, qui progreſſus Eccleſiae, ipſiuſque Dogmaticae doctrinae (*m*).

141 V. Quum Oecumenica Eccleſiae Concilia, ſummique Hierarchae ſuas frequenter erga fidem definitiones eliciunt, haud nova procudunt dogmata; ſed vel antiqua, duce Traditione adcuratiſſime conſulta, innovant ac tenenda praecipiunt, vel qnae implicite ac ſuboſcure in ſacris literis continebantur, divino adſiſtente Spiritu, inerranter explanant, & illico credenda proponunt. Nec alio quidem ſenſu, me judice, adſeri poteſt novi cujuſquam dogmatis a Chriſtiano-Apoſtolica aetate uſque ad noſtram progreſſus. (*n*)

§. II.

De ejus praeſtantia & Objecto.

142 QUAESTIO I. Quid de *praeſtantia*? ADSERO: Haec praemaxima eſt, multiſque nominibus commendatiſſima. Equidem eſt 1.° ratione temporis Theologiarum omnium antiquiſſima, prima, & a fidelibus exculta: doctrinam quippe dogmatum Adam, primoreſque Patriarchae a Deo primum didicerunt, Deique populum inſtituerunt: 2.° prae ceteris Theologiis Eccleſiae corpori, ſinguliſque fidelibus neceſſaria; ea, nempe prorſus ruente, quantumvis reliquae Theologiae florerent (ſi caſum effingere liceat) nec Corpus Eccleſiae poſſet tuto ſubſiſtere, nec ejuſdem membrorum ſalus obtineri; quid enim dixeris ceteras Theologias profuturas, ubi eas a dogmatum ductamine, cognitione, conſtantique fide ſupponas evulſas? Hinc

143 Eſt 3.° aliarum Theologiarum baſis, qua ipſae radicitus innituntur; clypeus, quo proteguntur; ornamentum, quo illuſtrantur: 4.° ampliſſima ſeu fecundiſſima quantum ad materias, quas ex munere elucidat; complectitur enim univerſa dogmata, quae tum in ſanctis Bibliis, tum in ſacra Traditione continentur.

144 Eſt 5.° utiliſſima, fructus ſiquidem innumeros parit; quos utique Eccleſia triplex, videlicet Triumphans, Militans, & Purgans uberrimos plane reportant, uti cuique rem ſedulo perpendenti obvium fiet; & quidem praeprimis qui eam ſtudioſe excolunt, mirum in modum proficiunt, non modo pene divinam Dogmaticae doctrinae majeſtatem & vim animis ingerendo, verum etiam ipſos immenſa ſacrae eruditionis

(*m*) Perpetuum hujuſce Doctrinae progreſſum dabunt plurimi; ut *Genebrardus* in Chronol. *Gaulter.* in Chronogr. Status Eccleſ. *Sander.* in Monarch. *Gerbert* in principiis Theol. Dogmat. *Porter* in Syſtem. fidei dogmat., tum adcurati *Haereſeologi*, qui ubi Haereſes confutant, dogmata eis oppoſita infimul exponunt ac illuſtrant.

(*n*) Conſule *Suarium* in tr. de fide D. 2. Sect. 6. & 11.

ſuppellectile, qua exundat Dogmatice, praeditando, delectandoque. Nec vero plura; dies enim me deficiet, ſi ceteras quaſque tantae Diſciplinae dotes enitar perſequi.

145 QUAESTIO II. Quid de *Objecto*? ADSERO I. reſpicit tanquam objectum Materiale proximum & per ſe ſancta Fidei dogmata certo credenda, aut ſaltem credibilia: quia haec ex ſuo primario munere in ſuis Tractatibus verſat: tanquam Materiale remotum & ex conſequenti plura ab eis dogmatis diverſa, e. g. Univerſalis Eccleſiae Jura, Ritus, Praecepta, Diſciplinam. II. Habet pro objecto Formali eadem dogmata, prout formaliter adſerenda, comprobanda, roboranda & illuſtranda; hoc enim eſt motivum intrinſecum & formalis ratio vel cauſſa, ob quam de iiſdem pertractandum ſuſcipit: item comparate ad ea plura, quae innuimus, a dogmatis diverſa, habet pro objecto formali eadem ipſa, prout quoque formaliter adſerenda & comprobanda; nec enim ob alium intrinſecum finem de iis diſputat, & quidem non abſque aliquo reſpectu ad dogmata.

146 III. Tendit tanquam in objectum Adtributionis in Deum qua revelantem, ſupernaque fide credendum; ad Deum enim qua talem Theologia haec quoad cunctas primarias theſes refertur; immo ab ipſo ſummo Numine qua tali ſuam haec Diſciplina denominationem, una cum ſpecificatione ſortita eſt. Hanc porro doctrinam innuiſſe videtur *Auguſtin.* ubi explicans illud Apoſtoli 1. *Cor.* 12. 29. *numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Doctores?* tum illud *alii datur ſermo ſcientiae*, ſubjicit S. Doctor (o) *Paullus huic Scientiae* [videlicet Theologiae, ac proculdubio Dogmaticae] *tribuit illud tantummodo, quo fides ſaluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; qua Scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipſa fide plurimum; aliud eſt enim ſcire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiſcendam vitam beatam, quae nonniſi aeterna eſt, aliud autem ſcire quemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur.*

§. III.

De ſancto verae Religionis Dogmate.

147 QUAESTIO I. Quid ſit ejuſmodi Dogma? ADSERO I. Dogma generatim, ſecundum graecum nominis etymon, eſt Regula, Decretum, Scitum, Placitum: unde ſaepe apud Patres eorumdem haereticorum placita vocitantur dogmata. Poſita ergo latiſsima hac ejus nominis acceptione, placita quae in quavis Religione, vel ſecta, vel Scientia habentur tanquam certa a longe majori Profeſſorum numero, ejus Dogmata adpellantur; quin etiam ſaepe cujuſvis privati Sapientis opiniones dogmata dicuntur.

148 Porro Dogma Catholicum in terna membra diviſit *Petrus Annatus*

(o) L. 14. de Trnit. c. 1. n. 3.

tus (p) nempe in imperatum, liberum, & toleratum ſeu permiſſum; ex iis vero imperatum eſt doctrina, quam Eccleſia cunctis fidelibus credendam, tenendamque proponit; liberum eſt doctrina, quae nec de fide eſt, nec fidei, bonisve moribus adverſa, ac in Scholis Catholicis a multis libere palamque traditur & excolitur; toleratum eſt doctrina, quae licet communius ab orthodoxis Doctoribus tanquam fidei ſeu bonis moribus repugnans impugnetur aut rejiciatur, nondum tamen aperto Eccleſiae judicio proſcripta eſt (q).

149 Ceterum Annatiana haec diviſio arbitraria forſan & heteroclita cuiquam videbitur. Nam in primis ex hiſce tribus unum duntaxat, nempe imperatum, venit apud Theologos *Dogma Catholicum*. Deinde haec inter alia ſuggerit Annatus paradigmata pro dogmate Catholico libero: doctrina de futuro vel non futuro Chriſti adventu, ſi Adam non peccaſſet, ac de adſerenda vel neganda ſcientia Dei media; tum inſuper pro tolerato doctrinam de millenario in terris Chriſti regno poſt judicium extremum futuro, de non valido haereticorum baptiſmate ſub S. Cypriani aetate, de una in Chriſto voluntate ſub tempore Honorii P. I. quum videlicet nondum ab Eccleſia proſcriptae erant ejuſmodi erroneae opiniones.

150 Videtur autem, non niſi impropriiſſime, & magno cum abuſu receptarum in Scholis vocum, nuncupari poſſe ejuſmodi doctrinas Dogmata [tametſi late] Catholica. Praeterquam quod τὸ *Catholicum* vulgo ſonat quidquam univerſale, quod obtinet univerſim apud quoslibet orthodoxos aut Catholicos: indicatae vero doctrinae pauciorum duntaxat ſunt, aut fuerunt inter Catholicos. Quocirca accurate eas dixeris *Dogmata aliquot Catholicorum impune defenſa ac tolerata*; minime tamen *Dogmata abſolute Catholica*, quamvis late ſumpſeris τὸ *Catholica* [r].

151 II. Dogma Religionis, ſeu Catholicum, ſecundum communem Theologorum vocem ac ſenſum, eſt veritas a Deo revelata, & ab Eccleſia propoſita tanquam fide ſuperna credenda, aut ſaltem credibilis. Idem ergo eſt dogma Catholicum, ac fidei dogma. Porro ex ejuſmodi veritatibus aliae ab omnibus fide explicita animo concepta credendae ſunt, e. g. quae in IV. Symbolis continentur, quae ſpectant Sacramentorum ſubſtantiam &c., aliae vero non niſi fide implicita credi debent, e. g. perplurimae, quas exhibent ſacrae paginae libri, quos hiſtoriales vocant; e. g. Tobiae, Danielis, Juditae hiſtoriae; quae tamen abſque piaculo diſcredi nequeunt. Illas igitur diximus nos credendas, iſtas vero credibiles. Quod ſi veritas quoad ſe revelata ſit, non autem quoad nos per Eccleſiae propoſitionem, ad fidem univerſim non obligat [s].

(p) In Adparat. tom. 1. l. 1. c. 7. quem exſcripſerunt *Gotti* in Theol. tr. iſagog. q. 1. dub. 6 §. 1. & *Gautier* in prodr. diſſ. 2. c. 1. ar. 2.

(q) Plura pro tribus hiſce membris adferuntur exempla a laudatis Scriptoribus ex eodem *Annato*, quos videſis.

(r) Nobicum ſentit *Gotti* cit.

(s) Plura huc ſpectantia in Part. III. ubi de fide cap. 1. §. IV.

OBJECTIONES.

152 Obj. contra II. Adſertum. Eccleſiae propoſitio ad rationem Dogmatis Catholici minime ſpectat. Nam 1.° veritates antiquis Prophetis revelatae, ſeorſim ab Eccleſiae propoſitione, fuerunt in veteri Eccleſia, ſuntque in nova, Catholica dogmata. 2.° qui veritatem in ſacris literis revelatam negaret, etiam nulla interveniente Eccleſiae propoſitione, haereticus eſſet. 3.° privata revelatio facta a Deo S. Tereſiae e. g. fuit dogma Catholicum, & ab omnibus eam ſcientibus credendum, aut credibile, abſque propoſitione Eccleſiae. 4.° nequit Eccleſia facere de fide quod de fide non eſt: ergo quod aliqua veritas ſit dogma Catholicum aut fide tenendum, non dependet ab Eccleſia, ſed a divina duntaxat loquutione. 5.° ex oppoſito fieret, quod major eſſet proponentis Eccleſiae Authoritas, quam ſupremi Numinis revelantis.

153 R. *N. Adſ.* Sicut lex ut obliget ſubditos ad ejus obſervantiam, iis proponi legitime debet, ita praeceptum de credendo divinam revelationem, ut cogat fideles omnes, debet eis intimari ab habente legitimam & inerrantem authoritatem, nempe ab Eccleſia, quae ex 1. *Tim.* 3. 4. eſt *Columna & firmamentum veritatis*. Ad 1. prob. *N. A.* Eccleſia nova, divino adſiſtente Spiritu, admittit, proponitque nobis ut Verbum Dei eorum Prophetarum revelationes; atque adeo fide divina credendas, aut credibiles. Ipſas eodem jure, ut ego quidem arbitror, admiſit, propoſuitque ſuis fidelibus Judaica Eccleſia; cujus nempe erat, eodem ductante Spiritu, veras profetias a falſis ſecernere, tum admittere ſeu reſpuere.

154 Ad 2. *N. A.* cum *Auguſt.* adſeverante [*t*] *ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicae Eccleſiae commoveret Authoritas*; hac enim deficiente, a nullo Authore infallibili duci poſſem ad credendum, ſacras litteras eſſe Verbum Dei. Ad 3. *N. A.* Ut ſummum ea revelatio S. Tereſiam, cui ipſa fuit evidens in adteſtante, ad fidem compulit; ſubindeque dogma privatum ipſa fuit, minime Catholicum, ſeu univerſale, ſeorſim ab Eccleſiae propoſitione. Ad 4. *D. Conf.* non dependet ab Eccleſia ut a cauſſa faciente veritatem aliquam eſſe dogma Catholicum, *C.* ut a cauſſa adplicante, vel a ſigno oſtendente veritatem aliquam eſſe Verbum Dei, ac ut tale habendum, *N.* Ad 5. *N. A.* Eccleſiae propoſitio ex Dei placito eſt mera adplicatio Authoritatis Dei revelantis, ac penitus huic illa ſupponitur.

155 QUAESTIO II. Undenam ortum habet ſanctum dogma, quod nobis Eccleſia tenendum proponit? ADSERO: Unice ex Verbo Dei ſcripto, vel tradito. Quia ex *Rom.* 10. 17. *fides ex auditu, auditus autem per Verbum Chriſti*, ſive Dei; ubi procul dubio de fide divina ſermo eſt: ergo non niſi Verbo Dei ſcripto, vel tradito ſuperna fides inniti poteſt. Porro in Verbo Dei ſcripto & tradito plura continentur revelata dogmata clare ac nitide expreſſa, ut Mundi creatio a Deo, Adami lapſus

(*t*) Contra epiſt. Manichaei, quae dicitur Fundamenti, cap. 5.

pſus, Chriſti vita, paſſio & reſurrectio; de iis vero ac ſimilibus nemo qui admittat Sacrae Scripturae authoritatem, germanumque & obvium ejuſdem ſenſum, abſque infidelitate ambigere poteſt: & alia ſunt, nec pauca quidem, quoad voces & quoad ſenſum vocum ſubobſcure tradita; verum ubi Eccleſia, quae depoſiti fidei cuſtos eſt, Scripturae implicitum ſenſum explicat, definitque ut fide certum, illico tenendus eſt ac obſervandus. Ac idem omnino dixerim de perpluribus, quae praeferre videtur Verbum traditum, at non admodum perſpicue (*u*).

156 QUAESTIO III. Num omne fidei dogma ſit articulus fidei? Quaeſtio eſt de nomine. Porro fidei dogma & articulus reapſe mutuo convertuntur. Ex communi tamen Theologorum placito poſt *D. Th.* (*x*) nomine dogmatis venit quaecumque veritas a Deo utcumque revelata & per Eccleſiam propoſita; nomine vero articuli ſuccurrit duntaxat principalis fidei veritas omnibus ad explicite credendum propoſita, & diſtinctam continens difficultatem; cujuſmodi ſunt dogmata, quae articulatim in Symbolo Apoſtolico recitamus. Plures adferuntur congruentiae pro eorumdem nominum diſtinctione; immo nonnullae exponuntur articulorum fidei diviſiones. [*y*] Parvi ponderis haec ſunt ad rem dogmaticam; nihilo tamen ſecius cum Theologis loquamur, oportet.

157 QUAESTIO IV. Quo pacto dignoſci poſſit, quodnam ſit indubitanter verum fidei dogma, & a falſo vel dubio ſecerni? ADSERO I. Quaeſtio haec vel etiam ſapientioribus Theologis haud leve negotium faceſſit, Quum enim plurima ſint divinitus revelata, non modo formaliter & explicite, verum etiam aequivaleuter aut virtute, ac implicite; nondum liquido conſtat per legitimas & inerrantes definitiones de ejuſmodi revelationum numero, qualitate ac certitudine. Hinc nemo unus, quem viderim [tametſi plurimum optaverim] adgreſſus eſt ſaltem compendio tradere omnia omnino certa noſtrae Religionis dogmata, fide expreſſa credenda, ſeu credibilia, rejectis in aliud compendium dubiis, de quorum nempe exiſtentia hodiedum apud Doctos Viros diſputatur.

158 II. En praecipui Canones, quibus ad agnitionem veri, certique fidei dogmatis perducaris. Ejuſmodi I. Dogma eſt, quod morali ſumma certitudine intelligitur eſſe a Deo revelatum, & a vera Dei Eccleſia qua tale propoſitum. II. quod in ſacris literis perſpicue habetur, ſecundum Eccleſiae intelligentiam. III. quod ex vera, univerſali, conſtantique Traditione receptum eſt ab Eccleſia ut fide certum. IV. quod ab Oecumenico Concilio per Eccleſiam recepto inter Canones ſeu dogmata doctrinalia perſpicue definitum eſt ut fidei articulus vel dogma. V. quod tanquam fide certum proponitur in unoquoque ex quatuor Symbolis. VI. illud, in quod tanquam fide certum conſpirant etiam ſeparatim omnes aut fere omnes Eccleſiae Patres, videlicet Paſtores majores, & mino-

(*u*) Relege Prolegomenon I. in §. de locis Theol. ubi de Authoritate Eccleſiae.

(*x*) 1. 2. q. 1. ar. 6.

(*y*) Conf. *D. Th.* cit. ibiq. *Interpretes*, necnon *Annat.* cit. l. 1. art. 8.

minores, ceterique Doctores & Magiſtri. VII. quod licet in ſe ſingulare ſit, at certo continetur ſub aliquo univerſali certa fide tenendo. VIII. illud, cujus oppoſitum olim vulgo Patres ut haereſim confutarunt. IX. quod utcumque tanquam fide certum proponitur, accipitur, aut creditur ab univerſa Eccleſia, & quidem ſeu in Oecumenica Synodo congregata, ſeu toto Chriſtiano Orbe diſperſa [z]. Hi porro Canones apud omnes Catholicos Doctores certi ſunt, aut ſaltem apud omnes probe ſapientes, me judice, futuri ſunt: plures autem a recentibus haereticis, ſuis confovendis erroribus, inventi, certo falſi. Eos mox in ſcenam producimus.

159 QUAESTIO V. Quum dubium occurrit, num theſis aliqua ſit fidei dogma, necne, quiſnam ut legitimus & ſupremus controverſiarum fidei Judex poteſt ac debet litem dirimere; qui propterea ſit dogmati internoſcendo credendoque infallibilis Canon? ADSERO adverſus colligatas Proteſtantium turbas, I: nequit eſſe ejuſmodi Judex aut Canon ſola Scriptura ſacra ſe ipſa. Nam ipſa eſt interdum longe obſcura, intellectu perdifficilis, & prona ut in multiplices pertrahatur ſenſus: qnemadmodum liquet ex ejuſdem Scripturae ſenſibus & exemplis, videndis apud *Matth.* 24. 11. & 19. 12. *Act. Apoſt.* 8. 31. *Luc.* 24. 27. & 2. *Petri* 3. 16.; tum ex PP. quibus animo inſedit haec difficultatis in exponendo ſacro Codice opinio, e. g. *Iren.* (*a*) *Orig.* (*b*) *Ambr.* (*c*) *Cypr.* (*d*) *Aug.* (*e*); ex ipſis item Proteſtantibus, qui quoad interpretationem ſacri textus in ſententias mirifice oppoſitas diſtrahuntur. Atqui ejuſmodi Scriptura nequit ſe ſola abſque interprete ac judice infallibili ſubnaſcentem quamlibet de fidei dogmate quaeſtionem finire ac terminare: Ergo.

160 II. Nequit eſſe privatus cujuſvis hominis Spiritus, aut Dei Spiritus (ut ipſi loquuntur) qui eſt in privatis hominibus. Nam *principio* id ipſum ſacrae literae adſeverare videntur. Quoniam ex *Joan.* 4. 1. *nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſi ſpiritus ex Deo ſunt*, & ex 2. *Petr.* 1. 20. *omnis prophetia Scripturae propria interpretatione non fit*, hoc eſt Scripturae interpretatio a privato homine profecta non eſt infallibilis: quin etiam ſaepe ſaepius redarguuntur a Deo, qui in rebus divinis privatum ſpiritum ſuum, quemadmodnm falſi Prophetae, audiunt & ſequuntur, ut legere eſt apud *Hierem.* 14 14. & 23. 16. & apud *Ezech.* 13. 3. ac deinceps.

161 *Deinde* apud Novatores in ejuſmodi dubiis aut controverſiis dictamen omnium Patrum & Doctorum catholicorum, immo ſpiritus publicus aut judicium univerſalis Eccleſiae errare poteſt: ergo potiore titulo privatus quilibet ſpiritus, aut privatum judicium; quod propterea Judex illegitimus eſt. Praeterea Judex iniquus eſt ſpiritus ille privatus, qui eſt fons, & radix malorum omnium, quibus haereſeωn ſectas

(z) Conf. *Can* de locis l. 12. c. 7. quem cit. *Gotti*, & alii exſcripſerunt.
(a) L. 2. c. 28. alias 47.
(b) L. 7. contra Celſum.
(c) Epiſt. 2. alias 44. ad Conſtantium.
(d) Epiſt. 139.
(e) De doctr. Chriſt. l. 2. c. 6. & alias.

ctas faediſſime deturpatas deploramus. Ita ſane. Ex eo autem ſpiritu profluxerunt in ſectis omnibus errores in doctrina & moribus, contradictiones ſecum ipſis, SS. Patrum contemptio, Oecumenicarum Synodorum ludibria, obſtinata erga Matrem Eccleſiam docentem indocilitas (*f*).

162 III. Non eſt Princeps politicus Secularis. Nam huic in primis nullo jure debetur aut conceſſa eſt poteſtas judicandi de rebus fidei. Non equidem jure naturae; quia poteſtas aut juriſdictio politica & ſpiritualis ex natura rei diſtinctae ſunt ac invicem ſeparabiles; nec ulla quidem excogitari poteſt naturalis connexio poteſtatem naturalem inter & ſupernaturalem, a qua, ſecundum praeſentem Dei legem, deſcendit authoritas judicandi inerranter de rebus fidei.

163 Non jure divino, quia nec in antiquo Foedere, nec in novo ullum ejuſmodi reperire licet: id unum de Seculari Principe dictum eſt *Rom.* 15. 4. *quod ſit Dei Miniſter, vindex in iram ei, qui malum agit*, hoc eſt fidei dogmatum & Eccleſiae legum Cuſtos, Adſertor, Protector, Vindex. Non jure Canonico; alias vel unus canon in medium proferatur: immo plerique canones noſtram theſim virtute adſerunt, quatenus Reges, ceteroſque politicos Principes nulla eccleſiaſtica & ſpiritali poteſtate gaudere oſtendunt (*g*).

164 Non jure Civili ex lege aliqua recepta, quae pariter nulla proferri valet. Immo hujuſce authoritatis defectum nonnulli confeſſi ſunt Principes (*h*). Ipſam inſuper authoritatem politicis Principibus plerique Patres denegarunt: ut plurium inſtar ſunt *Oſius* Cordubenſis Antiſtes (*i*), *Ambroſ.* (*k*), *Athanaſius* (*l*), *Leontius* Epiſcopus Tripolitanus (*m*), & *Martinus*, Turonenſis Antiſtes (*n*). Ergo.

165 IV. Univerſalis Eccleſia inerranter docens eſt ejuſmodi Judex; & quidem cùm in Concilio Oecumenico congregata, tùm toto terrarum Orbe diſperſa. Fide ſanctum. Tribus membris conſtat Adſertio. Primum patet ex Scripturis, quibus vera doctrina committitur ſacris Paſtoribus, ut ea inſtituant plebem, & huic conſequenter injungitur, ut ipſam teneat. Sic *Matth.* 18. 17., ſic *Malach.* 2. 7., ſic *Matth.* 23. 3. ſic *Luc.* 10. 16. ſic *Joan.* 16. 13., ſic *Act.* 20. 18., ſic 1. *Timoth.* 3. 15., ſic *Epheſ.* 4. 11. & 12., ſic *Hebrae.* 13. 17. Tum ex Patribus, inde Eccleſiae perennitatem urgentibus, quod vel ne unum quidem errorem in fide aliquando docuerit, aut docere poſſit. Sic, aliis praetermiſis, *Aug.* (*o*) *Cyprian.* (*p*) *Greg.* (*q*) Demum ex eodem *Luthero*, ſic ſcribente (*r*) *Eccleſia nec debet, nec poteſt mendacia & errores docere, nec in uno quidem*

(*f*) Conf. *Redingium* in Diſſertationibus Controverſiſticis, Diſ. 2. per tot.

(*g*) Lege Can. 51. Diſt. 96. *Si Imperator*.

(*h*) Lege *Juſtinian.* Imp in authentica Conſtit. 123. *Juſtiniani* ſenioris effatum ap. *Niceph.* in Hiſt. l. 11. c. 30. *Theodoſii* junioris Epiſtolam ad Synod. Epheſin. *Baſilii* Imp. praelocutionem in VIII Synodo Gener.

(*i*) Ap. *Athanaſ.* epiſt. ad agentes vitam ſolitariam.

(*k*) Ep. 33. ad Marcellinam ſororem, & epiſt. 21. alias 32. ad Valentinianum junio-rem.

(*l*) In laudata Epiſt.

(*m*) Ap. *Suidam* in Hiſtor. in Leontio.

(*n*) Ap. *Sulpitium* in Hiſt ſacra l. 2. ſub finem.

(*o*) In Pſal. 101. & 147. & l. de Unit. Eccleſ. c. 13. & 20 & alias.

(*p*) In l. de Unit Eccleſ.

(*q*) In l. 35. Moral. c. 25.

(*r*) In tr. de veteri vera Eccleſia.

dem articulo ... & qui posset aliud fieri, cum os Dei sit os Ecclesiae? Deus non potest mentiri, ita nec Ecclesia. (*s*)

166 Secundum patet ex eisdem nuper adlegatis Scripturis; Concilium enim Oecumenicum est repraesentative eadem Universalis Ecclesia. Quid? Quod eadem Concilia vulgo adserunt, se esse in Spiritu S. congregata; & deinde contradicentibus anathemata dicunt, ut de Nicaeno testatur *Athanasius* (*t*). Tum ex Patribus ad unum testantibus, ejusmodi Synodorum sententiam in causa fidei esse ultimum Ecclesiae judicium, quod nec irritari valeat, nec retractari, & a quo adpellari non liceat. Sic plane docent *Athanas.* (*u*) *Aug.* (*x*) *Leo* M. [*y*] *Gregor.* M. (*z*) *Gelasius* P. [*a*]: quibus addito *C. Ephesinum* [*b*] & *Chalcedonense* (*c*).

167 Tertium patet ex adductis pro primo & secundo membro; illa enim idipsum pro tertio probant & evincunt; nec enim minoris authoritatis & inerrantiae est Ecclesia per orbem dispersa, quam in Concilio coacta; immo haec ab illa, quam repraesentat, suam videtur authoritatem mutuari. His adde *C. Ephesinum*, quod [*d*] Nestorium adegit, ut, si vellet satis Ecclesiae facere, juraret, se ex animo sentire quae universi per Orientem & Occidentem Episcopi crederent, docerentque. Rursus Patres, qui saepesaepius ad Episcopos, aut Apostolicas Ecclesias unice recurrunt, ut fidei Regula, seu dogma praefigatur. Ita enim *Hegesippus* [*e*], *Iren.* [*f*], *Cyprian.* [*g*], *Tertullian.* [*h*], *August.* [*i*]

168 V. Seorsim ab Ecclesia universa collective sumpta, Caput Ecclesiae, vel Summus Pontifex, loquens ac docens (ut ajunt) ex cathedra est hujusmodi Judex infallibilis. Nam *inprimis* hoc inerrantiae privilegio donavit Deus Summum Hebraeorum Pontificem, ex *Deut.* 16. 8. & 17. 9. & *Levit.* 10. 8. &c. ergo ne convincamur, *fuisse Synagogam feliciorem*, ut loquitur *Bonaventura* (*k*), quam sit Christiana Ecclesia, fatendum est, hujus Summum Praesulem eadem praerogativa decorari. (*l*) *Deinde* Petro tanquam Apostolorum & Ecclesiae Capiti indulsit Christus hanc inerrantiam, ut liquet ex *Luc.* 22. 31. & 32. *Matth.* 16. 18. *Joan.* 21. 17. ergo qui Successor est Petri in Primatu supra ceteros Episcopos & universam Ecclesiam, (*m*) & in eodem inerrantiae dono successor est. (*n*)

169 *Insuper* eandem Pontificiam authoritatem agnovisse videntur non-

(*s*) Aliud ipse profert id genus testimonium in Epist. ad Albertum Ducem Brandeburg. circa praesentiam Corporis Christi in Ss. Eucharistia.

(*t*) In Epist. ad Episcopos Africanos.

(*u*) Epist. ad Epictetum ap. *Epiph.* haeresi 77.

(*x*) Epist. 162.

(*y*) Epist. 62. ad Maximum Antiochen.

(*z*) In Epistolis l. 1. epist. 24.

(*a*) Epist. ad Episcopos Dardaniae.

(*b*) Videndum in Actis versus finem.

(*c*) Act. v. can. ultimo.

(*d*) In sua Epistola ad Nestorium.

(*e*) Ap. *Euseb.* in hist. l. 4. c. 12.

(*f*) L. 3. c. 3. alias 2.

(*g*) In Epistolis l. 4. epist. 9.

(*h*) In l. de praescript. c. 21. & 28. & 36.

(*i*) Contra Faust. l. 28. c. 2. & l. 33. c. 9.

(*K*) In breviloq. part. 6. cap. 16.

(*l*) Consule *Betan.* in Analogia veteris ac novi Testamenti cap. 10.

(*m*) Ex inferius adferendis Part. IV. tr. III. L. III. Cap. V. §. V. ubi de Ordine Episcopatus Romani.

(*n*) Conf. *Anton. a Panormo* in Scrutinio doctrinarum Cap. 11. art. 12. a num. 8.

nonnulla Concilia Oecumenica, inter quae referas, licet *Epheſinum I.* (*o*) *Chalcedonenſe* [*p*], *Synodum VI. Generalem* (*q*) *Synodum VIII. Generalem* (*r*) His *demum* fas eſt accenſere multa Patrum teſtimonia, nempe *Iren.* (*s*) *Orig.* (*t*) *Cyprian.* (*u*) *Ambroſ.* (*x*) *Hieron.* [*y*] *Auguſt.* (*z*) *Chryſolog.* [*a*] *Bernard.* [*b*]

170 Plura quidem his poſſent adjici, petita ex nonnullis Romanis Pontificibus, omni exceptione majoribus, e. g. ex *S. Leone* [*c*], *Gelaſio* [*d*], *Gregorio M.* (*e*), *Nicolao I.* (*f*), *Leone IX.* (*g*), *Innocentio III.* [*h*]. Haec tamen, compluraque, ne actum agamus, praetermittere juvat; ea nempe abunde dabunt qui agmine facto theſim noſtram quamſtrenue propugnarunt. (*i*)

OBJECTIONES.

171 Obj. *primo* contra 1. Adſertum. Scriptura ſe ſola in controverſiis fidei eſt Judex infallibilis: id quod in eadem Scriptura paſſim habetur. Nam, pluribus omiſſis, 1.° ex *Iſaiae* 8. 20. *ad legem magis & ad teſtimonium*: quocirca Judaei in antiquo foedere quandocumque controverſia de Religione inſurgebat, ex Dei mandato, ad Scripturam tanquam ad Judicem mittebantur. 2.° ex *Act.* 17. 11. *quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi haec ita ſe haberent*: ſubindeque Beroenſes haud temere credebant, quae ab Apoſtolis docebantur. 3.° ex 2. *Tim.* 3. 16. *omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum &c.* ergo & ipſa ſufficiens eſt ad quodlibet certum de fide ac doctrina judicium.

172 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob. *N. illationem*, nam Judaei *Deut.* 17. 8. & 18. 24. jubentur Sacerdotes ac Prophetas conſulere. Ex contextu patet aperte illorum verborum ſenſus: Judaei videlicet per ea commonentur, ne quum lubeat de futuris eventibus certiores fieri, pythoniſſas conſulant, exemplo Saulis ex 1. *Reg.* 27. 7., ſed Prophetas Domini, quorum erat futura ſuis teſtimoniis praenuntiare. Ad 2: Beroenſes non eo animo perſcrutabantur Scripturas, ut vel de illis ſuo ſenſu judicarent, aut eaſdem impugnarent, ſed potius ut confirmarentur in fide

(*o*) In Act. 3.
(*p*) In Act. 2.
(*q*) In Act. 4.
(*r*) In Act. 2.
(*s*) L. 3. adverſ. haereſ. c. 3.
(*t*) In Matth. c. 18.
(*u*) Epiſt. 55. ad Cornelium, & l. de Unit. Eccleſiae.
(*x*) L. 4. de Fide ad Gratianum cap. 3.
(*y*) Epiſt. 14. alias 57. ad Damaſum.
(*z*) Serm. 2. de verbis Apoſtoli, & l. 1. contra Julianum cap. 4.
(*a*) In Epiſt. ad Eutychem, quae extat in parte 1. Actorum Conc. Chalcedonenſis.
(*b*) In Epiſt. 90. ad Innocent. II. de erroribus Abaelardi.
(*c*) Serm. 3. de adſumpt. ſua ad Pontificatu ☞.
(*d*) In Epiſt. 8. ad Imper. Anaſtaſium.
(*e*) In Epiſt. ad Eulogium Alexaadrinum.
(*f*) In Epiſt. 8. ad Michael. Imperat.
(*g*) In Epiſt. 5. ad Petrum Antiochenum.
(*h*) In Epiſt. ad Epiſcop. Arelatenſem.
(*i*) Confer, ſi lubet, *Turrecrematam* in Summa de Eccleſia l. 2. c. 109. & 110. ubi forte omnium primus hanc ſententiam expreſſe tenuit ac elucidavit, *Can.* de loc. l. 6. *Suarezium* tr. de fide D. 5. Sect. 8. *Bellarm.* de Romano Pontifice l. 4. fere per tot. *Rocabertin.* in prolixo Opere de eadem infallibilit. *Aguirrium* in Commentar. de infallibil. Cathedrae Apoſtolicae, *Petitdidier* in tract. Theologico de authoritate & infallibilitate Summorum Pontificum, *Orſium* de irreformab. R. Pont in definiendis fidei controverſiis judicio tom. 11. *Sfondrat.* in Reg. Sacerd.,

Reſurrectionis Chriſti, quam Paullus laudabat, ſplendidiſque miraculis roborarat ex 1. *Theſſal.* 1. 5: nimirum in animum induxerant Beroenſes animadvertere, num Paulli adſerta ab antiquioribus Prophetis praenuntiata ſuiſſent. Ad 3. *N. Con.* Non ea quidem omnia ſufficiunt, quae utilia ſunt. Utilis porro eſt ad aeternam ſalutem temperantia, ſola tamen non ſufficit: utilis quoque Scriptura vetus, at inſufficiens. [*k*]

173 Obj. *ſecundo* contra 11. Adſertum: privatus cujuſvis hominis ſpiritus a Deo edoctus eſt ejuſmodi Judex. Nam 1.° ex *Iſa.* 54. 13. *ponam... univerſos filios tuos doctos a Domino*. 2.° ex 1. *Joan.* 2. 27. *non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos, ſed unctio ejus docet vos de omnibus*. 3.° ex 1. *Joan.* 5. 10. *qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*. 4.° Scriptura credentibus clara eſt ac nitida, ex *Pſ.* 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen ſemitis meis*: ergo e credentibus quilibet ſuo privato intimae conſcientiae ſpiritu, ſimulque S. Scriptura poteſt de rebus fidei judicium ferre. Hinc 5.° ſi S. Scriptura eſſet credentibus obſcura, videretur Deus ſtudio voluiſſe homines decipere; utpote eum exhibens loquendi modum, quem ſciret poſſe difficillime ab eis percipi. Hinc 6.° nulla eſt ratio, cur Deus obſcure potius quam perſpicue in Scripturis verba faciat; ſicut neque cur potius doctores homines, quam rudiores, ac feminae ſimplices Verbum Dei intelligant; cum per illud omnes aeque loquatur Deus.

174 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob: non eſt ſermo de Spiritu privatim revelante: immo potius aut loquitur Propheta de doctrina Evangelii, quam Deus per ſe, vel per Chriſtum docuit, ut ſentit *Cyril.* [*l*], aut de Spiritus S. gratia, qua homo interius a Deo illuſtratur ad credendum & ad amandum permovetur, quemadmodum exponit *Aug.* (*m*) Ad 2. Joannes, uti liquet ex contextu, cum illis Eccleſiae Magiſtris loquitur relate ad ea dogmata, quae jam acceperant ab Apoſtolis, ac S. Spiritu cooperante, unctione didicerant, & crediderant; eoſque ſubinde hortatur, ut in fide permaneant, nec Pſeudo-Apoſtolos contraria effutientes auſcultent. Quod ſi ſecus Evangeliſtam exponas, ut quid ipſe perſcribat, hortetur, inſtruat eos, quos unctio de omnibus edocebat?

175 Ad 3. qui credit, habet in ſe verum teſtimonium Dei, quatenus habet internum Dei auxilium illuſtrans & movens ad credendum: ut vero, quis certo credat, indiget infallibili divinae revelationis propoſitione. Ad 4. Scriptura quum intellecta riteque declarata eſt, illuminat, docet, actiones noſtras dirigit, ex *Pſal.* 130. *declaratio ſermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis*; non ita vero ante legitimam declarationem.

176 Ad 5. quaecumque fuerit adoranda Dei voluntas in adhibendis variis loquendi modis, jam perſpicuis, jam obſcuris; attamen ſatis ſuperque in S. Scriptura modum & viam rite ipſam intelligendi nobis aperuit, quum juſſit nos Eccleſiam ejuſque Praelatos audire, e. c. *Malach.* 2. *labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem ex ore ejus requirent*, nec non

(*K*) Plura de hoc argumento in noſtra *Theol. Polem. Fundament.* controv. IV. cap. 1.

(*l*) In ejus loci expoſitione.

(*m*) L. de Grat. Chriſti a cap. 13.

non *Matth.* 18. *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*, tum *Luc.* 10. *qui vos audit, me audit.*

177 Ad 6. permultae a Patribus & Doctoribus Biblicis adferuntur rationes & congruentiae pro ea obſcuritate, ſuppoſito Dei adorando beneplacito, quod eſt prima omnium ratio. Nec quidem inter alias haec minima eſt; ut nempe in Eccleſia Doctores inter & diſcipulos, Presbyteros inter & laicos, Viros inter & feminas dignus ordo ſervetur, ajente Apoſtolo 1.Cor. 12.30. *numquid omnes Doctores? numquid omnes interpretantur?* (*n*)

178 Obj. *tertio* contra III. Adſert. Princeps Secularis eſt ejuſmodi Judex. Nam 1°. *Exod.* 18. 22. & 26. Moyſes conſtituens Magiſtratus minores, qui populum judicarent, ſibi tamen dubia circa Religionem dirimenda reſervat; at Moyſes fuit duntaxat Princeps politicus, non Sacerdos. 2°. *Exod.* 17. 9. pro decidendis Religionis dubiis, una cum Leviticis Sacerdotibus proponitur adeundus, qui ſub id tempus Judicis munere fungebatur; hicque plane Princeps politicus erat. 3°. ex 2. *Paralip.* 19. 8. Rex Joſaphat conſtituit Levitas & Sacerdotes in Hieruſalem. 4°. ex 3. *Reg.* 2. 27. Salomon ſummum Sacerdotem Abiathar ab officio depoſuit, & Sadoc ei ſubrogavit.

179 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob. *N. Min.* Ex *Pſal.* 98. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus.* Et quidem Moſen preſſe Sacerdotem depraedicant vulgo Patres cum *Philone* (*o*), *Hieron.* (*p*), *Auguſt.* (*q*). Ad 2.: eo loci ſententia definitiva Sacerdoti tribuitur; Judici vero exſequutio in contumaces: ſiquidem paullo poſt ℣. 12. ſubjungitur, *qui ſuperbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto Judicis moriatur.*

180 Ad 3. *D. A:* conſtituit, hoc eſt elegit, aut conſecravit, *N;* id enim Regem non ſpectabat; quoniam electio fiebat a Deo, & conſecratio Aaroni ejuſque ſucceſſoribus erat divinitus commiſſa: hoc eſt jam electos & conſecratos ad peculiare officium adplicuit & deputavit, *C:* at inde tamen nulla evincitur authoritas erga judicium in rebus fidei, aut in ipſis quibuſquam rebus Eccleſiaſticis Religionis. Ad 4. Salomon ita ſe geſſit, non ut Rex, ſed ut Propheta extraordinarius, coelitus adflatus, ut nempe adimpleretur ſermo Domini ex 3. *Reg.* 2. 27., videlicet fore ut aliquando Sacerdotale officium auferretur a familia Heli, ex qua ortum duxerat Abiathar. (*r*)

181 Obj. *quarto* contra IV. Adſert. Univerſalis Eccleſia quomodocumque accepta non eſt ejuſmodi Judex. Nam 1°. errarunt aliquando in fide Prophetae omnes antiquae Eccleſiae numero 400., uno excepto Michea: ergo & in nova errare poſſunt Praelati omnes, uno vel altero excepto, in definitione alicujus dogmatis. 2°. in Synagoga erravit ſummus Sacerdos cum omnibus Sacerdotibus & Senioribus populi, Chriſtum Dominum in graviſſimo Concilio condemnando: ergo & Eccleſia Chriſti etiam in Concilio Oecumenico poteſt aliquando errare. 3°. fides hujus fidelis & alterius, immo omnium fidelium, qui Eccleſiam conſtituunt, eſt

(*n*) De iis fuſius in cit. *Theol. Pol. Fundam.* cap. 11.

(*o*) In l. 3. de Vita Moſis.

(*p*) Lib. 1. in Jovinianum.

(*q*) In enarrat. in Pſal. 98.

(*r*) Plura itidem in cit. *Theol.* cap. 111.

libera & defectibilis: ergo fieri potest ut in iis singulis, subindeque in universa Ecclesia, saltem aliquando deficiat. 4°. non est intellectus firmior voluntate; at voluntas fidelium omnium, & consequenter Universalis Ecclesiae, errare potest, videlicet in gravissima scelera prolabendo: ergo & omnium intellectus errare potest in rebus fidei. Ita fere ex Protestantibus *Lomerus*.

182 R. *N. Adſ.*, positis Dei decreto & promissione de perpetua Ecclesiae docentis & credentis infallibilitate. Ad 1. prob. *N. A.* Illi quidem 400. fuerunt Pseudoprophetae, intra Samariae limites contenti: et vero in Judaea non unus erat Michaeas, sed & permulti alii extabant Prophetae, Sacerdotes, Doctores, fideles vera fide florentes. Ad 2. *C. A.* quoniam inerrantiae donum Synagogae duntaxat concessum est usque ad Christum praesentem; quippe cujus fides erat de Christo futuro. Et *N. Con.* ob contrariam rationem.

183 Ad 3. posita divina promissione, semper Ecclesia constare debet ex fidelibus aliquot in negotio fidei infallibilibus. Quocirca ne arguatur Dei Providentia a suo munere, atque Fidelitas a promissis deficere, defectibilis esse potest fides in decernendo dogmate omnium fidelium indeterminate sumptorum, quatenus vel hic vel ille potest in fide stabilienda errare; non autem fides omnium determinate ac conjunctive sumptorum, quatenus sit sensus, & hunc, & illum, & omnes errare posse. Ad 4. *Perm. Ma.* & *N. Mi.*, quia etiam vera sanctitas Ecclesiae promissa est: quamobrem donec ista consistat, Sanctos aliquos in sinu suo confovebit. Neque vero permanere valet superna intellectus fides a Deo promissa, quin identidem subsistat sancta & pia adfectio voluntatis, illam imperantis, ex dicendis ubi de Fide. (*s*)

184 Obj. *quinto* contra v. Adsert. Summus Pontifex loquens ex cathedra (ut ajunt) non est ejusmodi Judex. Nam 1°. permulti Summi Pontifices errarunt in suis definitionibus circa res fidei; & ipsi quidem passim cum factis suis enumerantur ab Authoribus hujus adserti. 2°. erravit speciatim Nicolaus I, renuntiatus Pontifex an. 858. 24. April. & vita functus an. 867. 13. Novembr. Hic enim (*t*) consultus a Bulgaris super Baptismum, quem saepe Judaeus quidam contulerat in solo J. C. nomine, num esset validus, num denuo conferendus, sic definivit: *hi profecto si in nomine Ss. Trinitatis, vel tantum in nomine Christi .... baptizati sunt .... constat, eos non esse denuo baptizandos*: atqui fide sanctum est, nullum esse Baptismum, tantum in nomine Christi, non autem in nomine Ss. Trinitatis collatum; id quod definierunt Pelagius P. (*u*), Zacharias P. (*x*), Gelasius P. (*y*) & Alexander P. III. (*z*). 3°. nonnulli Pon-

(*s*) Complura in hanc rem inferius Par. III. Tr. II. Lib. I. Cap. I. ubi de Regulis fidei, ium in cit. *Theol.* Controv. II. ubi de Ecclesiae perennitate & authoritate. Interea consule *Dogmatico-Polemicos*.

(*t*) Relatus in Cap. *A quodam Judaeo*, seu potius *A quodam viro*, uti corrigendum merito putat clariss. *Antonius Augustinus* lib. 1. de Emendatione Gratiani Dialogo 18. ex quodam Codice Caesar-Augustano, de Consecr. dist. 4.

(*u*) In Epist. ad Gaudentium Episcop.

(*x*) Relatus in dist. 4. de consecr. cap. *In Synodo Anglorum*.

(*y*) Ibidem relatus cap. *Si revera*, & cap. *Multi sunt*.

(*z*) Cap. *Si quis puerum*.

Pontifices referuntur erraſse in decretis morum [a] : ergo etiam in decretis fidei errare poſſunt . 4°. Patres Concilii Africani (b) videntur plus authoritatis tribuere Provinciali Concilio , quam ſummo Hierarchae ; at illud Concilium errori obnoxium eſt .

185 R. N. *Adſ.* Ad 1. prob. ſummi Praeſules , qui erraſſe perhibentur , ut ſummum tanquam privati Doctores errarunt , minime prout definientes ex cathedra , ſeu tanquam Eccleſiae Paſtores . Nec unus quidem aliquis oppoſitum hucuſque demonſtravit . Ad 2. quae Theologis & Canoniſtis plurimum negotii faceſſit : poſito quod Nicolaus conſultus ſit de perſona baptizantis , non de forma baptiſmi , quemadmodum vulgo adſerunt Hiſtorici , & conjici videtur ex ejuſdem Capitis verbis (c) , ſecunda pars pontificiae reſponſionis circa formam baptiſmi , eſt obiter dicta , & ad privatam Nicolai opinionem ſpectat , minime ad definitivum judicium Paſtoris univerſalis . (d)

186 Ad 3. eadem gaudet Summus Pontifex inerrantia definiens in materia morum , ac definiens in materia fidei . Porro nequit ipſe errare in paſcendis ovibus ; oves autem non modo doctrina fidei , verum etiam morum inſtitutis paſcuntur . (e) Hinc Pontifices , qui in ejuſmodi morum definitionibus erraſſe feruntur , a laudatis Scriptoribus ſtrenue vindicantur . Ad 4. Africani Patres ſermonem inſtituunt de facto minime conferente ad notabile Eccleſiae bonum . Neque ejuſmodi Epiſtola adprobata eſt . (f) (g)

§. IV.

De Anti-Dogmate , ſeu de errore Dogmati oppoſito .

187 QUAESTIO I. Quid generatim de hujuſmodi errore anti-dogmatico ? ADSERO 1. Eſt propoſito , quae utcumque adverſatur propoſitioni preſſe dogmaticae , vel ſancto fidei Dogmati , qua tali ſufficienter propoſito , ſcilicet vel ab Eccleſia , vel ab ipſo Deo immediate revelante ; quatenus nempe vel ipſa aberrat , vel plane nata eſt ut aberrare faciat a Veritate Dogmatica . Quod ſi directe aberret , utpote Veritati Dogmaticae ex diametro contraria , dicitur propoſito *anti-dogmatica directa* : ſi vero oblique duntaxat & indirecte , utpote ex aliquo tantum reſpectu , qui in ſanctam veritatem falſo reflectit , *anti-dogmatica indirecta* merito adpellanda .

188 II. An-

(a) Eorum cenſum habes apud *Fuente Hurtado* in Theologia reformata Diſſ. 1. a num. 97.

(b) In Epiſt. ad Coeleſtin. P.

(c) Videlicet *A quodam Judaeo , neſcitis utrum Chriſtiano , an Pagano , multos in Patria veſtra baptizatos adſeritis , & quid de his ſit agendum conſulitis* .

(d) Ita ſentiunt *Can.* de loc. l. 6. c. 8. §. *Ad ſeptimum* , *Bellarm.* l. 4. de Rom Pont. c. 12. *Eſtius* in 4. Sent. diſt. 3. §. 5. *Sylv.* in 3. p. ad q. 66. art. 6. Plura nos de hoc percelebri decreto in *Theologia Morali-Dogmatica* , ubi de Sacram. Baptiſmi .

(e) Fuſius hoc adſertum defendimus in eadem *Theol. Mor. Dogm.* in titulo Prodromo , cum *Suar. Bañez* , *Caſtropalao* , *Cardenas* , *Fuente Hurtado* , *Viva* , *Gutierre Hurtado* &c. contra alios .

(f) Conſtat ex Diſt. 20. cap. *de libellis* .

(g) Rurſus de hoc argumento inferius Part. III. ubi de Regulis fidei .

188 II. Anti-dogma, ſeu propoſitio anti-dogmatica multiplex eſt. Haec in perplures claſſes dividi ſolet, conſequenter ad multiplices cenſuras theologicas, quibus varias theſes cùm a Conciliis, tùm ab Apoſtolicis Conſtitutionibus confixas novimus: & quidem ſeorſim a cenſuris aliis, quibus ibidem notantur pleraque theoremata materiam morum ſpectantia, quae noſtrum porro inſtitutum minime contingunt.

189 Equidem principio Conc. Conſtantienſe [*h*] damnavit varios Wiclefi articulos ut reſpective *haereticos*, *non Catholicos ſed erroneos*, *ſcandaloſos*, *piarum aurium offenſivos*, *temerarios*, *ſeditioſos*. Deinde Leo X. in Conſt. *Exurge Domine*. Lutheri articulos, quos proſcripſit, adpellavit *errores*. Tum Pius V. praeter alias cenſuras, propoſitiones Baianas vocavit reſpective *ſuſpectas*. Inſuper Innocentius X. primam theſim e quinque famoſis Janſenii profligavit etiam velut *impiam*, & quintam velut *contumelioſam*, *& divinae pietati derogantem*. Praeterea Innocentius XI. in decreto, quo perſtringit 68. Molinoſii theſes, eas vocat *Chriſtianae diſciplinae relaxativas & everſivas*.

190 Quin etiam Alexander VIII. propoſitiones 31. quas damnat, dicit reſpective *male ſonantes*, *injurioſas*, *haereſi proximas*, *haereſim ſapientes*, *ſchiſmaticas*. Clemens denique XI. in Conſt. *Unigenitus*. perplurimis notis inuſſit 101. theſes Queſnellianas, quas nempe, ut alias communiores cenſuras taceam, vocavit reſpective *haereticas*, *perniciosas*, *temerarias*, *ſuſpectas de haereſi*, *haereſi proximas*, *haereticis*, *haereſi ac ſchiſmati faventes*. His igitur ſummae authoritatis exemplis ducti Theologi Dogmatici, praeſertim juniores, perdifficilem doctrinam pro penitus dignoſcendo anti-dogmate, eoque juſtis & aequis cenſuris notando, elucidandam adgreſſi ſunt. (*i*)

191 III. Ex intelligentia cenſurarum, quibus accurate notentur theſes, quae vulgo habentur anti-dogmaticae, qua directae, qua indirectae, earundem theſium naturam ſeu notionem deprehendere licet. Magnam quidem ejuſmodi cenſurarum ſylvam paſſim offerunt, enodantque AA; ex eis tamen multae ſat cuiquam obviae ſunt, ac iſtae frequenter cum illis coincidunt, aperteque convertuntur. Nos autem praecipuas ex eiſdem ſeligimus, & ſtrictim pro inſtituto noſtro exponendas ſubjicimus;

192 QUAESTIO II. Quid ſpeciatim de *propoſitione Haeretica*? Ansero 1. *To Haeretica* derivari volunt nonnulli ex voce *Haereſis* & *Haereticus*. Quid vero ſit *Haereſis*, quid *Haereticus*, ſat contentioſe a nobilibus quibuſdam ſcriptoribus exagitari video: num videlicet *Haereſis* ſit quaecumque theſis ſancto Dogmati aperte repugnans, vel includat ulterius pertinaciam in ejuſdem theſis authore: ac inſuper num Haereticus ſit

(*h*) Seſſ. 8.

(*i*) De his *Can.* de loc. l. 12. c. 7. 8. & deinceps, *Anton. a Panormo* in Comment. de ſcrutinio doctrinarum per tot. *Petr. Annat.* in adpar. l. 1. art. 5. *Tournel.* in Adpendice ad loc. theol. de Cenſur. ar. 2. *Gautier* in laudato Prodromo Diſſ. 2. cap. 2. *Biſſius* in tr. theol. adverſ. theſes Queſnellianas, *Anonymus* Gallus in qualificatione earumdem theſium, *Charmes* in tr. de Prolegomenis Theolog. Diſſ. 6., *Carbo* in introd. in Theol. l. 4. a c. 17. *Gisbert* in Org. q 8. alii.

ſit ille duntaxat, qui ſacro initiatus Baptiſmate ejuſmodi theſim enuntiat pertinax; aut alius quicumque, vel Judaeus ipſe ſit, vel Paganus.

193 Nos vero, qui haſce de puro nomine lites alibi fuſius dirimendas ſuſcepimus (*k*) haec breviter ponimus. In primis Haereſis in ſe ipſa ſpectata eſt omnis propoſitio, quae Sancto Dogmati repugnat. Nec enim abſolute talis eſt per reſpectum ad animum, ſeu pertinaciam hominis, qui eam profert, ſed duntaxat per oppoſitionem ad dogma fidei; ad eum plane modum, quo propoſitio eſt in ſe vera, vel falſa, nullo habito reſpectu ad proferentem, ſed ad rem unice, quam enuntiat. (*l*) Et haec quidem probabiliter dicta ſint; nam etiam alii aeque probabiliter conſtituunt haereſim per reſpectum ad ſubjecti pertinaciam.

194 Deinde ſi communem loquendi modum, a primaevis Eccleſiae Patribus conſecratum admittamus, ille Haereticus eſt, qui poſtquam pacto aliquo Chriſtum confeſſus erat, in opinionem dogmati contrariam labitur; hunc ſiquidem Patres illi *Haereticum* vulgo adpellarunt; quo ſcilicet nomine diſtinguerent infidelitatem eorum, qui a recepta fide deſciverant, ab infidelitate Judaeorum & Paganorum, qui nunquam Chriſti fidem ſuſceperant (*n*): hoc autem ſenſu pertinax iſtorum error contra fidem non haereſis, ſed infidelitas aut perfidia nuncupanda venit (*o*). In ſenſu vero apud vulgus latiore, mea tamen ſententia ſtricto & proprio, quicumque contra fidem pertinaciter errat, haereticus eſt, aut hoſtis fidei, quemadmodum qui verbum profert, ab ipſa loquutione denominatur ſtricte loquens. At ſi repugnes, de ſolo nomine lis erit.

195 II. Propoſitio Haeretica eſt quae formaliter ac directe adverſatur ſancto fidei dogmati. v. g. propoſitio, quam effutiit Arius, *Filius divinus non eſt Patri conſubſtantialis*; quam Macedonius, *Spiritus S. eſt minor Patre & Filio, & non Deus*; quam Eutyches, *unica eſt in Chriſto natura*; quam Calvinus, *Chriſtus non eſt realiter praeſens in Euchariſtia* &c; hae ſiquidem omnes totidem fidei dogmatibus rite propoſitis contradictorie opponuntur. Sub hac tanquam ſub genere variae quaſi ſpecies continentur, e. c. propoſitio *Apoſtatica*, quae deſerit & negat omnem omnino fidem (*p*); *Athea*, quae Dei exiſtentiam inficiatur; *Polithea*, quae plures admittit Deos; *Irreligioſa*, quae Religionem quamlibet a Deo revelatam e medio tollit: has ſiquidem, & ſi quas ſuppares reperias, ſummum haereſeos apicem contigiſſe quis dubitet?

196 QUAE-

(*K*) In cit. *Theol. Pol. Fundam.* in Diſſert. praeliminari.

(*l*) Conf. *OcKam* in Dialog. part. 1. l. 2. c. 11. *Turrecrem.* in Sum. Eccl. l. 4. part. 2. c. 3. *Adrian.* in 4. Sent. qu. 1. de Confeſſ. *Caſtr.* de juſta haereticor. punitione l. 1. c. 1. *Can.* de loc. lib. 12. c. 8. *Laurae.* Diſp. 14. de haereſ. art. 5. *Gisberrt.* in Organo novae Theolog. quaeſt. 8. c. 1. *Carbo* in introd. in Theol. l. 4. c. 16.

(*n*) Vide, ſi lubet, *Orig.* in epiſt. ad Tit. c. 3. *Ambroſ.* ibid. *Aug.* de Civ. l. 18. c. 51. & l. 16. c. 2. *Greg.* l. 5. Moral. c. 11. *Bed.* in Luc. c. 17.

(*o*) Conſule *Suar.* in tr. de fide D. 9. ſect. 5. *Sanctarel.* de haereſib. c. 1. per tot. *De Panormo* cit. c. 2. art 5. *Gaut.* in laud. Prodr. Diſſ. 2. c. 2. ar, 2. n. 10.

(*p*) De hac plura ap. *Can.* de loc. l. 12. cap. 9.

196 QUAESTIO III. Quid de Propoſitione *haereſi proxima*? ADSERO. Ea eſt, quae ex graviſſimo, communiorique bene ſapientum Doctorum judicio, in ultimo ſeu fere ultimo definibilitatis gradu, ut declaretur haeretica, adparet conſtituta. Ad eum plane modum, quo ea propoſitio vocatur fidei proxima, quae proxime definibilis eſt ab Eccleſia tanquam fide certa, utpote inſtructa ex probatiſſima Theologorum ſententia, unctis conditionibus ad ejuſmodi definitionem requiſitis. Porro haec proxima definibilitas, quam exponimus, non deſumit originem aut fundamentum proximum a ſapientum judicio, ſed a conditionibus objectivis, quibus innititur hoc judicium, & quae per ipſum judicium aperte declarantur; adeo ut hoc urgente, poſſit prudenter definiri, propoſitionem aliquam eſſe haereticam. Deſcriptio haec obvia videtur & expedita. Aliter tamen alii (*q*).

197 QUAESTIO IV. Quid de Propoſitione *ſuſpecta* de *haereſi*, de *ſapiente haereſim*, de *favente haereſi*? ADSERO I. Tres iſtae propoſitiones apud nonnullos cum *Antonio Saura* [*r*] mutuo convertuntur, quatenus in unum idemque recidunt; quippe ſuſpicio de haereſi in ipſo haereſeos ſapore fundamentum habet, ac haereſi favens non niſi propter eundem ſaporem illi favere videtur. Et Saurae quidem, ſaltem quoad identitatem duarum priorum Propoſitionum, conſentit libenter communior opinio cum *Lauraea* (*s*) & *Panormo* (*t*) poſt *Hurt. Delug. Cvied.* &c. (*u*).

198 II. Alii ſic eas dividunt & exponunt. Suſpecta de haereſi eſt ea, quae licet aliquo ſenſu tolerari poſſit, magna tamen cum probabilitate judicatur haeretica: Sapiens haereſim eſt, quae majore cum probabilitate, quam altera, cenſetur haeretica: Favens haereſi eſt, qua haeretici uti poſſunt ad ſuos errores, ſuamque inobedientiam propugnandam. Secus, & ſecus alii. Nihil tamen, quod certum ſit, ex una vel ex altera parte concluditur. Ergo loquere prout libuerit; hoc uno tamen adnotato, quod heic de hiſce propoſitionibus ſermonem inſtituimus, prout in ſe ipſis inſpectae nonnullam cum ſancto dogmate oppoſitionem praeſeferre videntur; non autem comparate ad circunſtantias loci, temporis, aut perſonae ipſas proferentis; has enim circunſtantias expendere (uti & plures conſimiles in aliis eventibus occurrentes) munus eſt Theologiae Dogmatico-practicae, non item Dogmatico-ſpeculativae, qualem nos heic profitemur.

199 QUAESTIO V. Quid de *Erronea*? ADSERO I. Hoc nomine non venit error genericus, omnes errorum ſpecies complectens; nec error ſummus, qualis eſt haereſis, ſed alius inferioris ordinis, graviſſimus tamen. Videmus enim apud Concilium Conſtantienſe [*x*] ac pleraſque Pon-

(*q*) Conf. *Delugo* in tr. de virtute fidei c 5. ar. 1. a n. 7. *De Panor.* cit. c. 6. ar. 1. n. 19.
(*r*) In voto Platonis praelud. 5. ſub fin.
(*s*) Diſp. 16. de perſ. ac doctr. de haereſ. ſuſp. art. 1. §. 1.
(*t*) Cap. 6. art. 1. n. 6.
(*u*) Contra Ferrè tr. 1. de oppoſit. fidei q. 16. §. 5. a num. 14.
(*x*) Seſſ. 8. & ſeſſ. 15.

Pontificias Conſtitutiones condiſtingui ejuſmodi cenſuram ab aliis, notarique propoſitiones, quas proſcribunt, & tanquam *Erroneas*, & tanquam *Haereticas*, & tanquam *Schiſmaticas* &c.

200 II. Eſt, quae adverſatur doctrinae apud omnes Catholicos communi ſenſu indubitanter receptae; qui ſiquidem de ea dubitare non audent, quia vident valde connexam cum doctrina fidei, tametſi ea nondum ab Eccleſia declarata expreſſe ſit ut fidei dogma. Exemplum adferri ſolet in theſi adſerente B. Virginem non eſſe in Coelum corporaliter adſumptam. Haec propoſitionis Erroneae notio, quam adfert *Delugo* (y), mihi ſat probabilis & expeditior eſt; quidquid ſecus & ſecus alii eam probabiliter explicent (z).

201 QUAESTIO VI. Quid de *Proxima errori*, de *ſuſpecta de errore*, de *ſapiente errorem*, de *favente errori*? ADSERO. De iis proportione adcommoda idem comparate ad Errorem, ſive ad propoſitionem Erroneam, dicendum, quod nuper de ſimilibus propoſitionibus comparate ad propoſitionem haereticam dictum eſt. Ergo haec probabiliter adſerere licet. Primum proxima Errori ea eſt, quae proxime definiri poteſt ut erronea, ex concordi ſapientum Doctorum calculo. Deinde ſuſpecta de errore, quae nata eſt ingerere ſuſpicionem de eo quod ſit erronea. Inſuper ſapiens errorem, quae videtur vicina errori, cujus nempe ſaporem praefert ac odorem emittit, dum ejus natura & relatio ad errorem adcurate perpenditur. Demum favens errori, quae utcumque in errorem propendet, ipſive auxilio eſſe videtur.

202 QUAESTIO VII. Quid de *Contraria Verbo Dei*? ADSERO: Eſt ea, quae vel ſacrae Scripturae, vel Traditioni, ex prudentum dictamine repugnat in materia fidei: quoniam vero illa repugnantia nondum eſt ſupremo Eccleſiae judicio definita, minime ejuſmodi propoſitio dici poteſt haeretica.

203 QUAESTIO VIII. Quid de *Blaſphema* in ordine ad fidem? ADSERO: Ea eſt, quae cum convitio, ſeu derogatione divini honoris, & quidem vel directa, vel indirecta, adſerit aliquid veritati revelatae oppoſitum. Illa vero dicitur directa derogatio honoris, aut injuria, quae directe ad Deum tendit, ut propoſitio *Deus eſt injuſtus, non eſt Omnipotens*; ac indirecta, quae reſpicit Sanctos & res ſacras, v. c. Sacramenta; horum quippe inhonoratio ad Deum ultimo refertur; ut illa propoſitio Quintini Picardi haeretici, *S. Paullus fuit vas fractum*, & illa Mahumedanorum, *Sacramenta nihil aliud ſunt quam perridicula Chriſtianorum inventa*. Ejuſmodi propoſitio dicitur vulgo Blaſphemia *haereticalis* (a).

(y) In Comment. de fide div. D. 20. ſect. 3. n. 76.

(z) Conſuleſis *Can.* l. 12. c. 11. *Suar.* de fide D. 19. ſect. 2. *Ferrè* cit. tr. 2. q. 15. §. 4. *A Panormo* cit. c. 5. ar. 1. & deinceps. *Gisbert* in Org. q. 8. c. 1. ubi de doctrina erronea.

(a) Plura laud. *A Panormo* c. 6. artic 5. & ſeqq.

204 QUAESTIO IX. Quid de *Impia* in negotio fidei? ADSERO. Ea est, quae de se nata est cultum Deo debitum minuere, adferens aliquid Sancto Dogmati circa eundem cultum repugnans. Ejusmodi est, *Deus non est colendus Religione aliqua revelata*; tum, saltem illative, illa Jansenii, *aliqua Dei praecepta hominibus justis volentibus & conantibus, secundum praesentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possiblia fiant*; hinc etenim aperte colligitur, frustra Deum esse orandum ad obtinendam gratiam observandis praeceptis necessariam. Extenditur a Tridentino C. (*b*) eadem censura ad abjicientes cultum Sanctis debitum, quos nempe diserte ait *impie sentire*; quoniam cultus hic ad Deum ultimo refertur [*c*].

205 QUAESTIO X. Quid de Propositione *male sonante*, de *piarum aurium offensiva*, de *scandalosa* comparate ad fidem? ADSERO I. Male sonans ea est, quae sensu gaudet fidei congruo, verbis autem incongruis; vel, ut aliis probabiliter placet, quae ita duos habet sensus unum bonum, malum alterum, ut quum sine distinctione profertur, saepius in malum sensum sumatur ab audientibus: e. g. inter Latinos propositio *causa Filii Pater est*, & *Pater, Filius & Spiritus S. sunt tres substantiae*, quae tamen apud Graecos absque lite prorsus olim catholicae fuerunt (*d*). His alii adjiciunt propositionem *Christus est creatura rationalis*, quippe videtur iis negare Christi Divinitatem: secus tamen alii sentiunt; quoniam vice versa *Christus est Deus* optime sonat, nec ulli videtur Christi humanitatem negare.

206 II. Piarum aurium seu pietatis offensiva est, quae profert aliquid indecens, indignum, vel indecorum Deo aut Sanctis, cum nonnulla fidei injuria, e. c. *Christus tepida cum charitate erga homines mortem subiit*. Quod si haec propositio suapte natura debeat nihil falsum adferere, ut vulgo tenent Viri docti (*e*), non video, quo jure possit ipsa ad errores Sancto Dogmati utcumque oppositos revocari (*f*). III. scandalosa est, quae dat occasionem ruinae spiritualis in materia fidei, proximum inducendo ad peccatum, vel avertendo a virtutum exercitio, v.g. *qui semel deliquit lethaliter, nullam potest a Deo remissionem sperare*. Quod si nihil audientem hoc effatum commoveat, aliis circumstantiae seu rationi, quae datam occasionem superat, tribuendum est, non ingenitae thesis efficaciae (*g*).

207 Jam vero ad expositas hucusque Pravarum Propositionum divisiones aut species facile reducuntur perplurimae, quas quidem praelaudati Authores passim offerunt, expenduntque. E. g. *Captiosa, Denigrativa*

(*b*) In Sess. 25.

(*c*) Latius de prop. impia cit. *A Panormo* cap. 6. art. 9. & deinceps.

(*d*) Conf. *D. Th.* opusc. 1. contra Graecos in Praefat.

(*e*) Ap. & cum laud. *Panorm.* cap. 7. art. 3.

(*f*) Conf. *Can.* l. 12. c. 11. *Saura* in Platonis Voto cap. 10.

(*g*) Plura de Propos. scandalosa jam citatus *Lauraea* Disp. 16. art. 2. §. 3. a n. 19. & qui agunt de thesibus in genere moris ab Apostolica Sede confixis, ut *Fuente Hurtado, Cardenas, Torrecilla, Lumbier, Filguera, Corella, Viva*.

tiva puritatis fidei, *Subſannativa Chriſtianae Religionis*, *Periculoſa in fide*, *Seditioſa*, *Pernicioſa*, *Temeraria*, *Stulta*, *Antiquata*, *Sacrilega*, *Seductiva* &c. Adnotato praeterea, unam eamdemque theſim interdum talem eſſe poſſe, ut non uno duntaxat, ſed vario & multiplici oppoſitionis modo ſit fidei nociva, atque adeo multiplici inurenda nota. E. g. propoſitio, *nec pro juſtis, nec pro impiis eſt vita aeterna*, qualem plurimi Acatholici impie effutierunt, eſt *haeretica*, quia opponitur contrariae Veritati apertiſſime revelatae; *piarum aurium offenſiva*, quia conſtituit Deum indecore improvidentem erga probos & improbos; *ſcandaloſa*, quia dat occaſionem maximae ruinae ſpiritualis in ordine ad fidem; *temeraria*, quia ſolido fundamento nititur nullo (*h*).

208 QUAESTIO XI. Cui jus adfigendi Propoſitionibus ejuſmodi notas aut cenſuras? ADSERO I: In duplici differentia heic intelligi poteſt cenſura, videlicet *Judicialis*, quae vim habet authenticae ſententiae, latae a legitimo Judice eccleſiaſtico, & Judicis ſubditum obligantis; ac mere *Doctrinalis*, quae per modum prudentis judicii irrogatur a Theologis, qui pro ſua ſacrae doctrinae peritia ſatis idonei ſunt ad diſcernendum iſtis in rebus verum a falſo, & rectum a pravo.

209 II. Jus eſt Eccleſiae, ſive in Concilio Oecumenico coactae, ſive per orbem diffuſae, Judicialem ferendi cenſuram, & quidem infallibilem & irreformabilem, in ejuſmodi Propoſitiones. Patet ex ſuperius adſertis ubi de Authoritate Eccleſiae circa doctrinam fidei [*i*]. Tum ex facto; docemur enim ab Hiſtoria eccleſiaſtica, Synodum V. Generalem notaſſe errores Origenis, Neſtorianorum ac Eutychianorum; Conſtantienſem alios Wiclefi & Joan. Huſſi; Tridentinam plurimos Lutheri, Melanchonis & Calvini.

210 III. Idem eſt jus Summo Pontifici, Eccleſiam ex cathedra, ut ajunt, docenti. Conſtat pariter ex nuper dictis pro ejus Authoritate [*k*], & ex facto; quia nempe ſaepeſaepius Apoſtolica Sedes, his adjectis notis aut qualificationibus, aut cenſurae gradibus, theſes proſcripſit (*l*). Et quidem catholici Doctores eadem reverentia theſibus adfixas notas pontificias ſuſpiciunt, ac theſium proſcriptionem.

211 IV. Eſt quoque jus ſingulis Epiſcopis, & unicuique in ſua dioeceſi. Quoniam unicuique ex officio incumbit puritatem fidei in ſua Eccleſia tueri; atque adeo eam notare ac proſcribere doctrinam, qua puritas fidei contaminaretur.

212 V. Competit abſque dubio Sacro Fidei Tribunali; quippe quod in hoc poſitum & a ſummis Hierarchis conſtitutum eſt, ut doctrinas quaſque Doctrinae Chriſti adverſantes inquirat & damnet (*m*).

213 VI. Jus eſt, aut ſpecialis quaedam praerogativa Catholicis Academiis, ſeu potius Theologicis earum Facultatibus (quo nomine vocantur

(*h*) Conf. praecitatos AA. *Can. Suar. Del. Ferrè*, *Laur. Saura*, *Panorm. Annat. Gaut.*

(*i*) Relege pag. 343. a num. 165. & 181.

(*k*) A pag. 344.

(*l*) Eas innuimus pag. 350.

(*m*) Conf. *Giſbertus* in Organo novae Theol. q. 8. c. 1.

tur Coetus Profeſſorum Theologiae) ferendi doctrinalem cenſuram in ejuſmodi theſes. Ii enim Doctores pro ea, qua pollent, ſacrae doctrinae peritia, jure habentur idonei, ut quum mutuo ſecum communicato lumine, communique conſilio res ejuſmodi mature librant, ſanum de illis velut in materia propria judicium ferant (*n*). Quid? quod ipſorum in hujuſmodi negotiis deliberationem perſaepe exquiſierunt & amplexi ſunt magni Praeſules, nec raro Summus omnium Praeſul [*o*]. Et quid in Academicae id genus cenſurae, quae paſſim occurrunt, reverenter plerumque ſolent excipi (*p*).

214 VII. Privatis quibuſque Doctoribus Theologis fas eſt hanc verſare doctrinam de propoſitionum cenſuris, ac iſtas infligere pro cujuſque merito theſis. Haec enim eſt materia Theologiae propria, praeſertim Dogmaticae; ſicuti Biblicae eſt ſacras Scripturas exponere, Polemicae haereticorum dogmata confutare, Scholaſticae varitates fidei ſubtiliter elucidare, Liturgicae eccleſiaſticos ritus expendere, Moralis regulas ad mores proponere. Porro Theologi tanquam ex proprio munere tam in privatis publiciſque diſputationibus, quam in emiſſis Commentariis, non modo judiciales cenſuras a ſumma Poteſtate latas pluribus confirmare pergunt, ſed novis etiam ad illarum normam notis alias theſes cum laude adficiunt.

215 Hinc, quoniam privati Theologi in ejuſmodi doctrina, tanquam in re propria exculiſſimi habentur, non niſi praevia eorumdem conſultatione, ipſiſque veluti manuducentibus, & ſacra Concilia, & ſummos Hierarchas, & ceteros Antiſtites in ſuis pravarum theſium proſcriptionibus & cenſuris omni aetate proceſſiſſe notum eſt. Porro ejuſmodi Theologorum cenſura non eſt judicum ſententia, quae obligationem inducat; immo potius Actorum, ſeu adcuſatorum ſententia, quae Judices ipſos ad ferendam ſententiam obligantem excitet ac inſtruat.

216 QUAESTIO XII. Quae tandem ſint Regulae, pro ejuſmodi cenſuris prudenter decernendis? Perplurimae adſignari poſſent. En aliquas, & fortaſſe praecipuas. I. Cavendum maxime, ne adſeratur aut negetur quod ad ſacram Doctrinam non ſpectat, tanquam ad eam pertinens; id enim multum nocere poteſt (*q*)... II. Ut aequa, rectaque theſi cenſura ſtatuatur, multa praecedat meditatio, oportet, qua nempe ad unguem exploretur intima cenſurae indoles ac notio, ſimulque notandae theſis aperta cohaerentia cum eadem cenſura. Porro cohaerentia haec non admodum difficulter ſtatui poteſt, ſi primum adprime noveris cenſurae indolem: at quo tamen pacto hanc indolem indubitanter reſolveris? Quaeres ne illam in Conciliorum & Apoſtolicae Sedis decretis, quae ejuſmodi cenſuras emiſerunt? Fruſtra tamen; nullibi enim (id quod qui-

(*n*) Ita totidem fere verbis laud. *Gautier.* in Prodr. Diſſ. 2. c. 3. art. 1. §. 8.

(*o*) Videſis pag. 57.

(*p*) Nonnullas indicavimus ſupra p. 55, plures dabunt *Bulaeus* in Hiſt. Univ. Paris, *D'Argentraeus* in Collectione judicior., *Gaut.* mox laud. §. 9.

(*q*) Ita diſerte *Aug.* l. 2. Confeſ. & in 1. ſuper Geneſ. ad lit.

quidem maxime optarem) cenſurarum, quae feruntur, indoles innuitur. Evolves ne primi ſubſellii Authores, qui te inſtituant? Sed raro iſti in exponenda cenſurae cujuſpiam notione prorſus conveniunt: fere in hac doctrina, quod ſolet in ceteris, quot capita tot ſententiae; immo quod iis certum eſt, aliis totidem refragantibus probabile duntaxat videtur. Facilius ergo & expeditius ſtatues cenſuram *tanquam probabiliter theſi conſonam*; difficulter vero *tanquam abſolute certo theſi conſonam*.

217 III. Ut theſis aliqua declaretur abſolute rea cujuſquam cenſurae, debet eſſe non modo utcumque probabile, ſed etiam certum & evidens, quod ejuſmodi infamem notam abſolute promereatur. Ratio evidens deducitur a foro Iuriſprudentiae. Equidem in Criminalibus ut quis tanquam reus condemnetur, requiruntur probationes, non ſolum *concludentes* [r], ſed etiam *luce meridiana clariores* [s]. Theſis autem, quae notanda proponitur, eſt quaſi rea in Doctorum tribunali, ſententiam ab ipſis, aut probroſam, aut honeſtam expectans. Tum ex tritis axiomatis Juris, *Odia ſunt reſtringenda* (t), *In obſcuris minimum eſt ſequendum* (u), *In re dubia benignorem interpretationem ſequi, non minus juſtius, quam tutius* [x], *In dubiis benigniora praeferenda ſunt*. (y) Ubi igitur de theſis propoſitae pravitate non conſtat evidenter, nequit illi abſolute pravitas, aut pravitatis gradus jure adſcribi.

218 IV. Cenſorio ergo in hujuſmodi theſes muneri ineptus videtur, qui acri ingenio, magna animi moderatione, judicii maturitate, profunda ſacrae doctrinae penetratione non polleat, unam cognoſcere & adſerere veritatem adlaborans, quolibet abjecto praejudicio ac partium ſtudio. Haec enim omnia plane neceſſaria ſunt, ut in cauſſa perquam difficili & obſcura aequum rectumque judicium pro rei merito feratur.

219 V. Magnopere cavendum, ne ita immature ſeu acerbe theſim aliquam, praeſertim in Schola catholica vigentem cenſura perſtringas, ut haec novam ſibi vendicet cenſuram. Sanctiſſimus enim *Innocentius* P. XI. in decreto, quo LXV. theſes proſcribit, ſub finem, *in virtute S. Obedientiae praecipit* [Doctoribus, ſeu Scholaſticis, & aliis quibuſcumque] *ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quam in theſibus, diſputationibus ac praedicationibus caveant ab omni Cenſura & Nota, necnon a quibuſvis conviciis contra eas Propoſitiones, quae adhuc inter catholicos heinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitis, ſuper iiſdem Propoſitionibus judicium proferatur*. Ad haec tamen notant nonnulli (z) Cenſuram non eſſe, ſi quis opinionem aliquam dixerit eſſe *improbabilem*.

Plu-

(r) Ita *Conciolius* & *Ayllon.* ap. *Amigantium* ubi de Praxi criminali.

(s) Ex L. *Sciant cuncti.* fin. Cod. de probat. & ibi *Gloſſa*, *Guazzinus*, & vulgo *Juriſperiti*.

(t) Ex Reg. 15. de Reg. Jur. in 6.

(u) Ex Reg. 30. ibidem.

(x) Ex Reg. 192. ibid.

(y) Ex Reg. 56. ff. de Reg. Juris.

(z) Cum *Laeroixio* in Theol. Morali l. 1. num. 185.

Plures dogmaticas Regulas te docebit praedictarum uſus ; nec non alias dabunt in ſuis id genus commentariis laudati Authores, ac praeprimis *Ant. Saura* [*a*] *Ant. a Panormo* [*b*] *Joan. Gisbert.* (*c*)

PROLEGOMENON III.

De Theologia Scholaſtica ſpeciatim.

220 ACturi tandem de Scholaſtice, prout hujuſce Prodromi Oeconomia poſtulat, ea duximus ſtrictiſſimo calamo praelibanda, quae alias ſatis ſuperque enucleavimus in Prodromo I., ubi de Scholaſtices Hiſtoria, Encomiis, ac Vindiciis, Lectorem eo loci remittentes ; latius tamen & ex profeſſo, pro inſtituto noſtro cetera, quae propriorem heic ſibi vendicant ſedem.

PROLUSIO HISTORICO-CRITICA

De Theologiae Scholaſticae Obtrectatoribus.

221 Sacra haec atque praenobilis Diſciplina, infinitis pene nominibus commendanda, complures ex varia ſorte turbas ſibi ſuſtinuit inimicas, praeter illas, quas nuper dolentes recenſuimus & cuilibet generatim ſacrae Theologiae, & ſpeciatim Dogmaticae adverſarias. Equidem

I. *Schiſmatici Orientales* nullo unquam pacto adduci potuerunt, quominus modum & ſtilum in Scholaſtice tradenda, ab Latinis vulgo receptos, adprobarent. Prae ceteris *Nicephorus Gregoras*, doctrina & eruditione inter eos conſpicuus, eo ſpeciatim titulo ſub an. 1328. Scholaſticen objurgavit, quod ſubtiliores diſputationes, atque Dialectices uſum praeferret.

Ipſe equidem prolixa in Oratione, quam in confeſſu Praeſulum, etſi laicus, recitavit, ut eos deterreret ab ineunda cum Latinis circa proceſſionem Spiritus Sancti a Filio concertatione, ad quam duo ex Occidente miſſi Antiſtites pro conciliandis invicem Eccleſiis provocarant ; ſubtiles & acutas in rebus theologicis diſputationes ſub ſtilo dialectici ſyllogiſmi magnopere averſatur ; & ejus quidem ſtili inanem & ſupervacaneam illic operam eſſe multis probare pergit. (*d*) At ipſius tamen impetus, pro dialectico Scholaſtico uſu differens, in anteceſſum retuderat Graecus alter celebratiſſimus, & Gregora ſenior, *Emmanuel Calecas*. [*e*]

II. *Acatholici Occidentales Protcſtantes*, ac pene hucuſque ceteri hujuſce furfuris prave ſapientes homines, convitiis potius quam momentis egregiam Scientiam proſciderunt : ſcilicet ei vitio vertentes, quae in imperitos duntaxat Pſeudo-Scholaſticos merito revocanda ſint.

Audia-

(*a*) In ſuo Platonis Voto, de examine propoſitionum.

(*b*) In ſuo Scrutinio doctrinarum.

(*c*) In Organo novae Theolog. q. 8. per tot.

(*d*) Conf. idem *Gregoras* in Hiſt. c. 8. ubi laudatam Orationem exhibet, a n. 5.

(*e*) Ex pag. 57.

Audiatur, quaeſo, *Lutherus*. Hic in primis agens rabioſe contra Latomum, in omnes pariter Scholaſticos turpiſſime debacchatur, addens, *Univerſitates eſſe Synagogas Synagogarum Sathanae in quibus Sophiſtotheologi, Epicurei illi porci, ſuum regnum regnant*. (*f*) Et paucis interjectis, eoſdem adpellat *indoctos, ſtupidos, impios, ſacrilegos in Verbum Dei*. Tum ut a furore latratuum quieſcat rabidus canis, haec ſubdit, *ſed finamus quaeſo, Sophiſtas mores ſuos implere, neque enim eos praeter hypocriſin & adulationem & mendacium quidquam recte decet*. Plura ſimilia & quoque impudentiora, quibus eam Confutationem adſpergit blatero, lubens mitto, ut alia cominus Scholaſticen contigentia percurramus, ſub Theſibus ab ipſo Haeraſiarcha pervulgatis. En ipſas.

I. Omnes virtutes morales & Scientiae Speculativae non ſunt verae virtutes & Scientiae, ſed peccata & errores ... II. Theologia Scholaſtica eſt falſa Scripturae & Sacramentorum intelligentia & exſulem nobis fecit veram & ſinceram Theologiam ... III. In Sermonibus Joannis Tauleri, lingua germanica conſcriptis, plus reperio Theologiae ſolidae & ſincerae, quam in univerſis omnium Univerſitatum Scholaſticis Doctoribus repertum eſt, aut reperiri poſſit in omnibus ſuis ſententiis ... IV. Quo tempore coepit Theologia Scholaſtica, ideſt illuſſoria, eodem evacuata eſt Theologia Crucis, ſuntque omnia plane perverſa ... V. Libidinem corrumpendae Scripturae jam ferme trecentis annis patitur Eccleſia incomparabili damno ſuo a Doctoribus Scholaſticis ... IV. Theologi Scholaſtici Ariſtotelis Moralia prorſus convenire mentiti ſunt cum Chriſti, Paullique doctrina.

Excerptae quidem, praeter alias plurimas, iſtae ſunt ex Lutheri libro, cui titulum fecit *De Captivitate Babylonica*, meritiſque Cenſuris inuſtae per ſacram Theologicam Facultatem Pariſienſem, cujuſmodi eas ſubjungimus.

I. Theſis quoad alteram partem de Scientiis Speculativis eſt *manifeſte falſa* ... II. eſt *falſa, temerarie & ſuperbe adſerta, ac ſanae doctrinae inimica* ... III. eſt *manifeſte temeraria* ... IV. eſt *falſa, praeſumptuoſe & irrationabiliter adſerta, & errori Bohemorum damnato vicina* ... V. eſt *falſa, ſtulte & malicioſe adſerta* ... VI. *imprudenter & falſo Scholaſticis imponit quod non eſt verum* (*g*).

Haec Scurra ille in ſuo peſtifero de Captivitate Babilonica commentario, quem hac quaſi coronide exornavit: *ex iis puto ſatis monſtratum, Theologiam Scholaſticam eſſe aliud nihil, quam ignorantiam veritatis & ſcandalum juxta Scripturas poſitum: meum vero conſilium dixi, ut adoleſcens vitet Philoſophiam & Theologiam Scholaſticam, ut mortem animae ſuae*. Quid vero eo dato conſilio vilius, impudentius & atrocius?

Eos interea, potius iracundiae ac impudentiae, quam craſſae ignorantiae errores edocebat impius Novator, ac adoleſcentes ab Scholaſtices amo-

(*f*) In Confutatione Rationis Latomianae, ad Praefationem Latomi.

(*g*) Extant hae theſes & cenſurae in *Determinatione Theologicae Facultatis Pariſienſis ſuper doctrina Lutherana hactenus per eam viſa*, conſtituta & lata ſub an. 1521. 15. Aprilis, ap. tomum 2. Operum Lutheri, Jenae editum 1600. p. m. 426. col. 2. Et ea quidem conſonat omnino cum *Determinatione*, quam ex Sorbonicis Scriniis retulit *Bulaeus* in Hiſt. Univ. Pariſ. tom. 6. ad an. 1521. a p. m. 116.

amore & ſtudio ardenter avocabat. Nec deerant quidem qui arrectis auribus luthericum paradoxon audirent, totoque animo exciperent; Poetae nimirum & Rhetores cum *Hermanno Buſchio Weſtphalo*, Scholaſtice infeſti ob latinitatis barbariem, quam invexit. Quanto tamen animi furore Pariſienſem Determinationem idem Lutherus, quaſi furiis agitatus exceperit, quis valeat paucis enarrare? Eum ipſe prodit his verbis, quibus odium in Lovanienſes, Colonienſes, ceteroſque Scholae Theologos inique conceptum, in unos Pariſienſes ita convertit, vindictae ac talionis reddendi gratia.

„ Academia, *inquit*, Pariſienſis in parte ſuprema, quae facultas „ Theologiae nuncupatur, eſt a vertice uſque ad plantam mera, & ut „ nix alba, lepra verae, noviſſimae, Antichriſtianaeque & Capitalis haereſeos; Mater omnium errorum in Chriſtianitate; maxima meretrix „ ſpiritualis, quam Sol unquam vidit, & vera poſtica Inferni. Prophetatum eſt, temporibus Antichriſti omnes haereſes, quae unquam fuerunt in unam Camerinam confluxuras, mundumque perdituras: id „ ego oſtendere intendo de Pariſiis, Papae veri Antichriſti maximo fornicationis cubiculo; atque probare, eos eſſe pejores Montanis, Ebionitis, & omnibus, quoſcumque commemoraverunt, haereticis, Deo „ volente. Ipſi ſunt quos jam pridem deſideravi.

Audiſtin' unquam, Lybia, ferociorem leaenam? Haec vero teuthonice ad populum iracundiae oeſtro percitus, Scholaſtices Oſor implacabilis; ille inquam, qui non ita pridem & Auguſtae coram Cardinale Cajetano, & Lipſiae coram Ducis Georgii Conciliariis Pariſienſium Scholaſticorum, quos a Papa offenſos putabat, judicium expetierat, diſerte ſubdens, eorum Univerſitatem eſſe in Theologia florentiſſimam (*h*). Hic ergo Dux clariſſimus & Coriphaeus maximus ſacrae Scholaſtices Obtrectatorum.

Enim vero abſque declamatore Vindice inter ſuos gregales famoſus Haereſiarches relinquendus? Minime gentium. Nonnulla ipſi anonyma ſcripta produxerunt; ea tamen ubi Pariſienſium Scholaſticorum doctrinam, pietatem, eruditionem, & criticen ſcommatis, dicteriis, calumniis denigrare ac proſcindere intendebant, potius Authorum ſuorum inſcitiam, impietatem, & caninam rabiem commonſtrarunt (*i*).

Unus *Melanchthon*, juvenis adhuc & Luthero plenus, Magiſtrum aperto marte vindicandum ſuſcepit, edita cum Cenſura Lutheri Apologia, quam inſcripſit, *Adverſus furioſum Pariſienſium Theologaſtrorum Decretum Philippi Melanchthonis pro Luthero Apologia*. Quis vero Philippum tam deſertae cauſſae patronum agere, ac inſanire dubitaverit? Et quidem egregie inſanivit (quod noſtrum inſtitutum ſpectat) adverſus Scholaſticen, ejuſque Profeſſores, praeſertim qui Luthericorum paradoxon Judices fuerunt, ſingillatim Lovanienſes, Colonienſes, & quammaxime Pari-

(*h*) Conf. *Joan. Cochlaeum* in Hiſt. de actis & ſcriptis Martini Lutheri Saxonis, Cochlaeo aequalis, ad an. 1521., quem exſcripſit *Bulaeus* in Hiſt. Univ. Pariſ. ad ipſum an. 1521.

(*i*) Conf. laud. *Cochlaeum*.

Pariſienſes. Quid autem ſingula, quibus Apologema illud adſpergitur, & conſpurcatur, convitia perſtrinxero? Ex uno cetera noris.

„ Ubi rem, *inquit*, propius conſidero, videtur Lutetia non pec-
„ care nunc primum, ſed jam olim ineptire, quum eccleſiaſtica doctrina
„ humanis diſputationibus vitiata philoſophari coepit. Conſtat enim na-
„ tam eſſe Lutetiae prophanam illam Scholaſticen, quam Theologiam vo-
„ cari volunt, qua admiſſa, nihil ſalvi reliquum eſt Eccleſiae, Evan-
„ gelium obſcuratum eſt, fides extincta, recepta operum doctrina, &
„ pro chriſtiano populo, ne Legis quidem, ſed Moralium Ariſtotelis po-
„ pulus ſumus, & ex Chriſtianiſmo contra omnem ſenſum ſpiritus, fa-
„ cta eſt quaedam philoſophica vivendi ratio. O utinam contingat vo-
„ bis ſpiritualibus oculis cernere, quid Eccleſiae damni dederit veſtra
„ illa, apud vos & nata & exculta Scholaſtica, quam a vobis accepe-
„ runt quaſi per manus reliqua Europae Gymnaſia. Oportet nim Ido-
„ lis terram repleri „.

Tum „ quod commentum ſoli Scholaſticae Theologiae debemus, quae
„ ubi coepit divinam legem ad Philoſophiam Ariſtotelis exigere, pro
„ libidine refixit quas voluit leges Dei „. Demum „ Paullus ait fore,
„ qui a fide diſcedant, qui corrumpant humanis doctrinis Evangelium
„ & hoc genus multa: hi, niſi ſunt Sorbonae Theologi, non intelli-
„ go quid velit Apoſtolus „. Haec, pluraque ſimilia Philippus, quae quis non rideat? [*k*]

Calvino inſuper eadem omnino fuit, quae Luthero ejuſque aſſeclis, adverſus Scholaſticen, ejuſque Profeſſores inſana Opinio. Eam ipſum quandoque palam protuliſſe reperio, ubi de fide diſſerit (*l*). „ Hoc ve-
„ ro nunc, *inquit*, expendere convenit, qualis eſſe haec fides debeat...
„ atque eo majore cura & ſtudio diſpicienda eſt nobis & diſquirenda ger-
„ mana fidei proprietas, quo pernicioſior hodie eſt in hac parte mul-
„ torum [hoc eſt *Scholaſticorum*, ut ibidem in nota marginali exponitur]
„ hallucinatio... immo quum in Scholis de fide diſputant, Deum ejus
„ objectum ſimpliciter vocando, evanida ſpeculatione [ut alibi diximus]
„ miſeras animas rapiunt tranſverſum magis, quam ad ſcopum dirigant „.

Tum inſuper „ Ergo hoc malum, ut alia innumera, Scholaſticis
„ acceptum referri par eſt, qui velut obducto velo Chriſtum texerunt,
„ in cujus intuitum niſi recta intenti ſimus, per multos labyrinthos
„ ſemper vagari continget. Praeterquam vero quod caliginoſa ſua de-
„ finitione totam vim fidei deterunt ac fere exinaniunt, commentum
„ fabricarunt implicitae fidei, quo nomine craſſiſſimam ignorantiam or-
„ nantes, miſerae plebeculae cum magna pernicie illudunt; immo (ut
„ verius & apertius dicam quod res eſt) commentum hoc veram fidem
„ non modo ſepelit, ſed penitus deſtruit „. Scholaſticos tandem ſub eodem Capite ſparſim nuncupat *indociles*, *errones*, *deliros*, *craſſa torpentes ignorantia*. Hic Calvini ſenſus, cui ceteros quoſque Proteſtan-

(*K*) Extat haec Melanchtonis Apologia ap laudat. tom. 2. Operum Lutheri, a pag. 427.

(*l*) In Inſtitutione Chriſtianae Religionis l. 3. c. 2. §. 1. & ſeqq.

tes unanimiter consentire indubium est; quemadmodum liquet ex eorumdem Commentariis ubicumque de Scholastice, seu de Scholastices Professoribus mentio incidit.

Ex iis tamen unus merito excipiendus *Stancarus*, qui Acatholicorum Sociorum iras & impudentiam detestatus, haec scribere non dubitavit: (*m*) scilicet *Petrum Lombardum pluris esse quam centum Lutheros, ducentos Melanchthones, trecentos Bullingeros, quadringentos Petros Martyres, quingentos Calvinos; qui si omnes in mortario contunderentur*, (utpote Haeretici & Haereticorum Ductores, Doctoresque) *non posset exprimi una uncia Theologiae*. (*n*) (*)

Missa tandem facimus id genus perplura, quibus Acatholici vulgo Authores Scholasticen & Scholasticos peracerbe sugillant, e. g. *Joannes Ovven* (*o*) *Gisbertus Voetius* (*p*) *Antonius Perizonius* (*q*) alii.

III. *Michael Bajus*, alias adpellandus, quam torviter Scholastices universe Professores conspexerit, argumento sunt aliquot ejusdem Theses, pontificio jam mucrone profligatae, quae nonnullas communissimas illorum doctrinas aspernantur, & ab Scholis amandari jubent. Ejusmodi dixeris, quas exempli gratia mox subjicimus.

1. „ A vanis & otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum „ ex-

(*m*) In lib. de Trinitate.

(*n*) Ap. *Labbeum* in Biblioth. Script. in Petro Lombardo, quem exscripsit *Thomas Pope Blount*, & ipse acatholicus, in Censura celebriorum Authorum, in eodem Lombardo.

ADNOTATIO.

(*) SEd heic tamen reclamat *Casimirus Oudinus* (de Script. Eccles. tom. 2. in Dis. de Petro Lombardo c. 1.) & Stancari apophtegmate recitato, quasi Labbeum, qui illud primum retulerat, vellicans, subdit illico: *hae etenim hyporbolae etsi Labbeo placent, ceteris tamen partium studio caeco non abreptis displicent*. Ceterum callide subticet Apostata quae totidem verbis exscriptae Stancari sententiae protinus Labbeus subjicit, nempe, *in iis scilicet, in quibus ab Ecclesia Catholica ac Romana, Columna ac firmamento veritatis, dissidere voluerunt*.

Ecquis autem vere Catholicus id Stancaro, Labbeoque lubenter ac firmiter non concesserit? Quis sanae mentis dubitet in differendis illis dogmatis, in quibus ea haereseon monstra ab Ecclesia Catholica ac Romana dissident, & illa vel ne unciam verae Theologiae in mortario contussa reddere, & uni Petro Lombardo, immo minimo Scholastico primas cedere?

Cedo, Lombardo praestarent illa damnatae memoriae nomina, Lutherus, Melanchton, Bullingerus, Pseudo-Martyr, Calvinus prophana eruditione atque eloquentia; verum ubi agitur de sacra Catholicae Ecclesiae doctrina & sancto dogmate, quis ipsis & millenis ejusdem furfuris Erronibus unum praestare Lombardum jure diffiteatur?

Ceteris tamen, reponit Oudinus, *partium studio caeco non abreptis displicent*, videlicet sociis suis acatholicis, & sibi, quippe qui dum Fidei dogmata proterve negant, & sese a partium studio alienos profitentur, & eos qui illa constanter defendimus, stupidae caecitatis ac obstinatae pervicacitatis insimulant. Sed apage nequam, & verum Scholastices Conditoris Encomium adversus ejus hostes, tibi familiares, ab ore alterius tibi similis vere prolatum, patienter sustine cum laudato Lutherico Pope Blount, qui ipsum recitavit, nec quidquam reposuit.

(*o*) In Theologumenis.

(*p*) In exercitiis & Bibliotheca studiosi Theologiae.

(*q*) In tract. de ratione studii theologici, ad ejus emendationem praecipue spectante.

„ excogitata eſt ſententia, hominem ab initio ſic conſtitutum, ut per do-
„ na naturae ſuperaddita fuerit largitate Conditoris ſublimatus, & in
„ Dei filium adoptatus„ (r) Carpit haec Scholaſticos tanquam vanos & otioſos homines, ipſiſque inſipientiae a veteribus philoſophis derivatae vertit, quod oppoſitam ſententiam, quae unice vera eſt, edocuerint; quaſi plane Philoſophi veteres quidquam homini naturam ſuperans tribuendum agnoverint.

II. „ Diſtinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus „ amatur ut Author naturae, & gratuiti, quo Deus amatur ut Beati-„ ficator, vana eſt & commentitia, & ad illudendum ſacris literis, & „ plurimis veterum teſtimoniis excogitata.„ (s) Haec pariter Scholae Theologos, qui prudenter, adcurate atque catholice duplicem illum amorem diſtinxerant, aperte ferit.

III. „ Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt uſus aliquis liberi „ arbitrii bonus, ſive non malus, & Gratiae Chriſti injuriam facit qui „ ita ſentit & docet.„ [t] Videlicet univerſa Theologorum Schola, quae ita catholice ſentit ac docet; quapropter tanquam Pelagiana traducitur.

Ceteras mitto; ſatis enim iſtae, ſuperque oſtendunt hominis animum in repudiandis, cum deſpectu ac injuria Doctorum, certis, veriſque Scholae placitis: ut nempe novum ſuum lubricumque de rebus Theologicis ſyſtema Scholae deſpectioni & conclamatae ruinae expeditius ſuperſtrueret.

IV. *Joannes* ille *Vergerus*, vulgo *Abbas San-Cyranus* haud levi odio Scholaſticen, ejuſque Alumnos etiam doctiſſimos & ſacratiſſimos proſequutus ſatis ex iis adparet, quae ſuperius Praeſul ille, omni exceptione major, teſtata reliquit. (u)

V. *Cornelius Janſenius*, Iprenſis Antiſtes, ſaepius alias advocandus, iniquum, torvumque animum, quo in Scholaſticen, & ejuſdem Profeſſores ferebatur & ardebat, diſſimulare non potuit. En hujuſce Scriptoris aliquot ſenſa. (x)

1. „ Quid ſtatum purae naturae formavit, ornavit, inſtrunxit, ni-„ ſi Ariſtotelica Philoſophia, quam etiam Gentiles quidam majori ſen-„ tiendi ſanitate damnarunt? Quid virtutes Gentilium ac damnatorum „ hominum veras protulit, unde opera etiam bona pullularent, niſi „ Gentium Philoſophia? Quid fidem, ſpem, dilectionem Dei ſuper om-„ nia naturalem, in ſummo ſacrarum literarum ſcriptorumque ſilentio, „ adinvenit, niſi pura puta Philoſophia?... Nempe de rebus iſtis Theo-„ logicis pleriſque valde arcanis, homines Ariſtotelicis diſciplinis in-„ ſtructiſſimi, ſecure & magiſtraliter diſputant... ſemper enim Philo-„ ſophia, quemadmodum mater haereticorum fuit, ita rerum divina-„ rum arcanis definiendis adhibita, mater errorum eſt.„ (y)

Heic 1.° ſubſannat univerſae Scholae, quae Janſenii aevo in iis quae

(r) Eſt Prop. 24. ex proſcriptis.
(s) Prop. 34.
(t) Prop. 65.
(u) In Prodr. I. Cap. III. pag. 65.
(x) Ex Comment. cui titulus *Auguſtinus*.
(y) In lib. Prooem. de Ratione & Authoritate c. 3.

fidem non ſpectant, Ariſtoteleis placitis innitebatur, Angelici Doctoris pediſſequa. 2.° Bajum, ſentientem, abſque Dei gratia nihil aliud poſſe hominem quam peccare, etiam proſcriptum defendit. 3.° Ludovicum Molinam & alios admittentes fidem, ſpem, dilectionem Dei ſuper omnia naturales, ex obliquo tanquam ridicule philoſophantes criminatur. 4.° Philoſophiam ſeu uſum ratiocinii ab Schola Theologica valere jubet. Quibus nempe ad novam ſuam Theologiam, millenis titulis rationi diſſonam, ſummiſque diris obnoxiam, viam ſternat.

II. „ Quaeſtiones & veritates pure Scholaſticae nihil cum cognitio„ ne caritatis commune habent, propter diverſas cauſſas: praecipitia „ in quae prorumpunt. „ Hic titulus eſt Capiti VIII. ejuſdem Libri Prooemialis praefixus, quem pluribus Novator hic probare nititur. Quaſi vero Scholaſtice tractationes radicitus omitteret de Deo, de ſupernaturalitate, de Gratia, de Virtutibus Theologicis, de Chriſto ejuſque Sacramentis: anne tractationes hujuſmodi cum caritatis cognitione pugnare coelitus ipſe viderit?

III. „ Recentiores iſti profecto tantum ab oſtio verae Theologiae, „ fide ſalva aberraverint, ut neque fidem chriſtianam, quam animo ut „ catholici tenent.... denique neque vetus, neque novum Teſtamen„ tum intelligere videantur: ſed Babylonicam quandam confuſionem, „ Cymmeriaſque quaſi tenebras in Theologiae moralis faciem, nimium „ ratiocinationibus indulgendo intuliſſe. Hyperbolice vel temere me„ iſta fundere citra dubium lector quiſque modeſtior arbitrabitur; ſed „ ſingula ſuis locis, multoque fortaſſis plura quam dixi, juxta ſancti „ Auguſtini principia, Deo juvante, patefient. „ (z) Bene eſt: haec, multoque plura patefient, juxta Sancti Auguſtini principia, videlicet ſub eo ſenſu a Janſenio intellecta, quem non modo communis Doctorum Scholaſtice, verum etiam univerſa Catholica Eccleſia decies & vicies condemnabit.

At enim quid Lectorem moramur, ac tempus in parvis terimus? Haec in ſuo Pſeudo-Auguſtino ſaepe ingeminat, nec raro duriora interſerit. Enim vero cum ejuſmodi Iprenſis paradoxa fundamentis adeo ruinoſis ſuperſtruantur, jacula ſunt, quae non feriunt, & vix tonante calamo excidunt, in fumum abeunt. (a) (*)

VI. *Jan-*

(z) Sub eodem l. prooem. c. 28.

(a) Videſis ipſum *Auguſtinum* in l. prooem. cap. 6. §. *Quod ſi*. De ſtatu naturae lapſae l. 2. c. 25. ſub fin. & l. 4. c. 24. §. *Nunc*. & *Quae*. & de Statu naturae purae l. 2. c. 2. ſub init. & §. *Cum* verſus fin. & de Gratia Chriſti l. 2. c. 2. §. *Quae*. & c. 33. §. *Quae ſi*. Quod ſi ſingula, quae pro ſuo ſtabiliendo ſyſtemate adverſus Catholicam Scholae doctrinam effutiit in Scholaſticos Iprenſis, legere lubeat, totum ejus Auguſtinum haud ſegniter percurras, oportet.

ADNOTATIO.

(*) PEtro Janſenius eo conſilio Scholae Theologos ita acerbe ſibi vellicandos propoſuit, ut quo magis apud orbem lite ratum eorum authoritatem deprimeret, eo maxime ſuam pro ſtabiliendo & confirmando novae doctrinae Syſtamate, cui praeformando tradendoque viginti & amplius annos inſumpſit, efferret. Virum tamen ceteroqui

ſaga-

VI. *Janſeniani* & *Queſnelliſtae*, qui San-Cyranum & Janſenium ut Patres & Patronos revereuter ſuſpiciunt, ſummiſque percolunt obſequiis, in pluribus expoſita illorum ſenſa uſque modo retinuerunt.

VII. *Grammatici* & *Rhetores*, cum *Laurentio Valla* & *Deſiderio Eraſmo*, alias advocatis, hoc titulo in ſacram Facultatem virulentis aculeis invehuntur, quod ſtilo prorſus ineleganti, ruſtico, inornato, inconcinno, barbaroque ſacrae Doctrinae Myſteria & Quaeſtiones exponat. Et iis quidem conſentire videtur *Ludovicus Muratorius*, ubi differens de bono guſtu ſeu delectu ſuper Scholaſtice, deteſtatus inculti ſtili & obſcuriorum vocum rationem ab Scholae Theologis ut plurimum obſervatam, praeter alia, ut ea ratio caſtigetur, & ſtilus cultus ac elegans ſubſtituatur pluribus Author eſt. (*b*) Quin etiam Muratorio jam vulgo ſubſcribunt Recentes e Schola Theologi cum *Gerberto* [*c*].

VIII. *Beatus Rhenanus* (*d*) & rurſus *Eraſmus* (*e*) eo nomine vehementer Scholaſticen vellicant, quod pleraſque valde inutiles quaeſtiones, ac nonnullas vix non impias, aut ſaltem abſurdas auditoribus addiſcendas & ventilandas obtrudat. Sunt & alii, qui eandem querimoniam frequenter ingeminant cum laudatis *Muratorio* (*f*) & *Gerberto*. (*g*)

IX. *Critici* tetrici, moroſique, cùm antiquiorum temporum, tùm praemaxime noſtri ſeculi, centenis hinc inde ſophiſticis conquiſitis argutiis, ſummam Scholaſtice invidiam conflant, eamque fore penitus exſibilandam occlamant. De iis ſuperius quantum ſatis. (*h*) Nihilo tamen ſecius ex illis duo ſunt, quos hic recolere juvat, *Gualterus*, & *Grimaldus*, qui ex profeſſo Scholaſtice inſidiabantur, ipſamque prae ceteris ardentius oppugnarunt.

Equidem principio *Gualterus de Sancto Victore*, Richardi de S. Victore in Prioratu Domus San-Victorinae Pariſienſis ab an. 1173. ſucceſſor, ejus factionis, quae Scholaſticen tunc temporis enaſcentem tanquam novam haereſim, ejuſque Profeſſores tanquam recentes Haereticos immortali odio traducebat & oppugnabat, Anteſignanus, & antiquioris Theologiam tradendi methodi tenaciſſimus defenſor, ut novae methodo tanquam Pſeudo-theologicae ſummam invidiam conflaret, commentarium ſub an. 1180. exaravit IV. libris diſtinctum, quem ſic inſcripſit, *Gualterus contra quatuor Galliae labyrinthos*: in Prologo vero ſic exordi-

tur.

ſagacem & peracutum ſpes fefellit: immo quae in ſuo Auguſtino probra fuerant in Scholaſticen ejuſque alumnos ejaculata, mox in eorumdem praeconia, proſcripto penitus Janſeniano Auguſtino, glorioſa metempſycoſi commutata ſunt.

Nihil enim glorioſius, quam ut ea ſollemni & inerranti judicio proſcribatur doctrina, quam tuae ab Hoſte falſitatis & imperitiae inſimulatae, oppoſitam, Hoſtis idem petulanter profiteri jactarat. Adeo res periculi plena eſt, ubi agitur de ſpectantibus ſanctum dogma, te Catholicae Scholaſtice omnino ſubducere, & ab ſollemni, indubioque ejuſdem Profeſſorum judicio penitus alienum profiteri.

(*b*) *Murat.* ſub *Lamindi Pritanii* larva, de bono guſtu ſeu delectu ſuper ſcientiis & Artibus, cap. 10.

(*c*) De recto & perverſo uſu Theol. Scholaſticae c. v.

(*d*) In Schol. ad Tertull. in adnotat. de dogmat. Tertull.

(*e*) In adnotat. ad cap. 1. Epiſt. ad Timoth.

(*f*) Cap. 10. (*g*) Cap. VII.

(*h*) In Prodr. I. p. 73. 74. 101.

tur.„ Quiſquis hoc legerit, non dubitabit, quatuor labyrinthos Fran„ ciae, id eſt Abaelardum, & Lombardum, Petrum Pictavinum, & „ Gilbertum Porretanum, uno ſpiritu Ariſtotelico afflatos, dum inef„ fabilia Trinitatis & Incarnationis Scholaſtica levitate tractarent, mul„ tas haereſes olim vomuiſſe, & adhuc errores pullulare. „ (*i*) (*)

Grimaldus praeterea, cetera nobilitate, profana eruditione, dignitate clarus Vir, ſub an. 1750. extinctus, duo pro Scholaſtice Apologemata, quae ſub totidem literis ediderat *Joannes Baptiſta de Benedictis*, S. J. ſub *Benedicti Aletini* larva, binis ſaltem aliis literis cruento quidem marte confutavit. (**)

Haec (& heu quanto plura!) Obtrectatores. Enim vero tanta eſt Scholaſtices dignitas, ut ſe ſola adverſas quaſque diſpellat umbras: tot rurſus, tantique ejuſdem Scholae Profeſſores, ac Vindices, ut memoratus Obtrectatorum numerus quaſi nullus evadat, & in nihilum pene recidat. Ergo iis alio remiſſis, ad dignitatem tantae Scientiae ſubjectis Quaeſtionibus elucidandam properemus. (*k*)

§. I.

(*i*) Extabat MS. in Bibliotheca San-Victorina Pariſienſi, ut teſtatur *Bulaeus* in Hiſt. Univ. Pariſ. tom. 2. pag. m. 629., quem exſcripſit *D' Argentraeus* in Collectione judic. &c. tom. 1. a p. m. 114.

ADNOTATIO.

(*) AT quaenam hujuſce Scripti fuerint fata, certo non liquet. Ego vero haec mecum ſtatuo. Conſtat primum, hoc ſcriptum in San-Victorinae Bibliothecae tenebris literario orbi incognitum delituiſſe ad annum uſque 1665. quo primum ejuſdem centones aliquot editi ſunt & pervulgati a laudato *Bulaeo*, qui rem enarrat. Conſtat deinde, Scholaſticen a Lombardo traditam, & a Petro Pictavienſi confirmatam, ab univerſis Latinae Reipublicae Scholis in paucis acceptam fuiſſe, & ut catholicam adprobatam, necnon innumeris fere commentariis inſignitam. Hinc vero duo manifeſte conjicere licet: unum videlicet, quod Gualterianus ille foetus, utpote a viro factioſo, & cordatae rationis impote partus, nullam apud bene ſapientes commendationem promeruerit: alterum inſuper, quod Secta alia Lombardiana Scholaſtices propugnatrix, cum tot abinde ſeculis glorioſa triumphet, jam tum pro ratione pugnavit, & lauro redimita eſt.

ADNOTATIO.

(**) PORro utrinque, lite pendente, contentio exarſit: & fortaſſe utrinque ſupra modum; nec enim is ego ſum, qui cunctis utriuſque literis abſque partium ſtudio hinc inde perpenſis, quae tulit Aletinus probem omnia, nec omnia quae regeſſit Grimaldus reprobem; tametſi cenſeam, quam multa vera & praeclara poſuiſſe pro Scholaſtice Aletinum, ac peraeque Grimaldum quam multa falſa & putida in Scholaſticen repoſuiſſe. Nihiloſecius litem diremiſſe viſa eſt *S. R. Congregatio Indicis*. Haec enim, Aletinum penitus intactum relinquens, Grimaldianas Apologias prohibuit in *Prima Claſſe* decreto edito ſub an. 1726. 27. Septembris, quamvis paullo poſt, aliquorum potenti interceſſione, prohibitae duntaxat remanſerint, non autem in *Prima Claſſe*.

(*K*) Haec fuſius, pluraque de hoc argumento in Prodr. I. praeſertim Cap. III. a pag. 65.

§. I.

De Scholaſtices Notione, Origine, Progreſſu.

222 QUAESTIO I. Quid de *Notione*? ADSERO. Haec Theologia eſt *Facultas aut Diſciplina diſſerens ſcholaſtice de Deo ac de rebus divinis*. Dicitur autem in primis *ſcholaſtice* 1.° per antonomaſiam & comparate ad eximium *Scholaſtici* epithetum, quod & huic vix enaſcenti Theologiae, & ejus cultoribus jure adſcriptum eſt; quidquid alii ſtudio partium abrepti, contra ſuadere nitantur. (*l*) 2.° ut a ceteris Theologiis diſtinguatur. 3.° ut deſignetur diſſerere cum ſeveriore methodo dialectica; cùm in definiendo, dividendo & argumentando, quamobrem Theologiam *Angelicus* (*m*) argumentativam nuncupavit; tùm in ſua Tractatuum Oeconomia opportuniore nexu coordinanda. 4.° ut denotetur, etiam ita diſſerere, ut elucidet ac promoveat principia fidei ſcientifico rationis naturalis proceſſu; quo inſuper ex eiſdem principiis ulteriora depromat theoremata. Dicitur praeterea *de Deo*, *ac de rebus Divinis*, quo innuitur, ſuum eſſe tam directa, quam obliqua acie de ſummo Deo diſſerere. (*n*) Plura de Scholaſtices notione *ſupra*. [*o*]

223 QUAESTIO II. Quid de *Origine*? ADSERO. Ei veteres Patres praeluſerunt, praeprimis ſubtiliſſimus *Auguſtinus* (*p*) in perpluribus de ſacra doctrina quaeſtionibus, more quaſi ſcholaſtico, vel ſpeculativo digeſtis. Ejus ſpecimen praemonſtravit doctiſſimus ille Caeſar-Auguſtanus Praeſul *Samuel Tajus*. (*q*) Eam ſubinde adumbravit apud Graecos *Joannes Damaſcenus*, & apud Latinos *Anſelmus*, Cantuarienſis Antiſtes (*r*), vel, ut Danaeo & Hornio placet (*s*), prae Anſelmo ejuſdem Magiſter *Lanfrancus* Papienſis. Ipſi praeterea inter diſputandum adverſus Berengarianae haereſeos fautores, formam indere adgrediuntur, famoſi ceteroqui Viri, *Roſcelinus*, *Petrus Abaelardus*, & *Gilbertus Porretanus*; at infelici tamen exitu; quippe qui ſobrium ſubtilioris ingenii ac Dialectices uſum neſcientes, Pſeudo-Theologiam, ſeu informem de rebus ſacris doctrinam, qua dubiis, qua certis conſtantem erroribus conſarcinarunt. (*t*)

224 Primus Itaque feliciſſima ſorte Parens & Conditor celebratiſſimus Scholaſticen edidit Clariſſ. V. *Petrus Lombardus*, ex Theologiae Scholae Praeſide, ſeu *Scholaſtico*, Pariſienſis Antiſtes; emiſſo nempe *Sententiarum* commentario, quo ſacram doctrinam univerſam ſolide ſtabilitam, methodice digeſtam, ſubtiliter exornatam Scholae tradidit, excolendamque commiſit: ac eo quidem animo, & ſtudio, ut ejus opera adlecti Scholares Eccleſiae alumni, facile inſtituerentur, ac invicte obarmarentur, & ortho-

(*l*) Ex ſuperius enarratis pag. 2. & 4.
(*m*) I. p. q. 1. art. 4.
(*n*) Recole notiones Theologiae directae & indirectae, expoſitas pag. 291. num. 22.
(*o*) A pag. 1.
(*p*) Ex pag. 42.
(*q*) Ex pag. 2. & 3.
(*r*) Ex pag. 1.
(*s*) Ex pag. 4. in Adnotat.
(*t*) Ex pag. 75.

orthodoxis dogmatis propugnandis, & haereſeos tunc temporis circumquaque gliſcentis dolis, cavillis, technis oppido revincendis. [*u*] Haec porro Scholaſtices origo : hic Parens, fato functus ſub an. 1164. 20. Jul., ſed immortali tamen laudum cumulo digniſſimus.

225 QUAESTIO III. Quid de *Progreſſu*? ADSERO. Vix orta Pariſiis effulſit, peracerbos hoſtes experta, mox ab ipſis reportavit triumphum, & glorioſam in eadem urbe ſedem fixit. (*x*) Hinc quamcito Oxonium, ſenſimque univerſum Orbem Latinum pervagata, communi Gentium plauſu ſalutata eſt, atque recepta. (*y*) Scholaſtices per ſeptem haud interrupta hucuſque Secula Epochas, Fata, Viciſſitudines jam enarravimus (*z*): ejus Encomia, Laudatores ac Vindices protulimus (*a*): ejus Obtrectatores profligavimus, ac obiter ſummos ſacrae Scientiae Aſſertores Hiſpanos vindicavimus (*b*): Academias demum & ſacros Coetus, qui eam impenſe excoluerunt, necnon praeſtantiſſimos ex omni claſſe Scriptores, qui eam innumeris pene Commentariis illuſtrarunt, haud ſtricto calamo percenſuimus [*c*] Iis autem nihil eſt quod in praeſentia adjiciendum ducamus.

§. II.

De Scholaſtices Adtributis.

226 QUAESTIO I. Quo gaudet Objecto? ADSERO 1. Hoc (quemadmodum cetera ipſius Adtributa) pene ab indole ejuſdem Scholaſtices, ſimulque ab ſcopo, quem ſibi in eadem inſtituenda praefixerunt primi Conditores, ceteriqui vulgo poſteri adprobarunt, repetendum eſt. Id quod unuſquiſque recte ſapiens dixerit generatim erga quamlibet Diſciplinam ab hominum arbitraria arte ac induſtria inventam. Hinc II. Ei Objectum materiale, ſeu materia, quam verſat, Deus eſt ac res divinae: formale primarium & directum Deus qua Deus, vel ratione Deitatis, non alterius praedicati: id quod plane colligitur ex nomine *Theologia*; ſiquidem primaria Diſciplinae denominatio unice repeti ſolet a primario ejuſdem objecto, a quo nempe Diſciplina ſpeciem ſumit: ſecundarium & indirectum, creaturae; quoniam de iis agit, quatenus ad Deum ut principium, finemve ſupernum referuntur. (*d*) Hinc

227 III. Ei Objectum Adtributionis Deus ut Deus. IV. Ratio formalis *ſub qua*, ut ajunt, ſcilicet conditio, ſub qua, vel qua poſita, objectum movet potentiam ad ſui cognitionem, & qua abſente, movere nequit, quo pacto viſibilitas dicitur ratio formalis ſub qua oculus colorem deprehendit; haec, inquam, ratio formalis eſt ei revelatio virtualis, aut indi-

(*u*) Plura in hanc rem diſces ex pag. 1. 3. 141. 142. 144.
(*x*) Ex pag. 4. 6. 7.
(*y*) Ex pag. 4. & 7.
(*z*) In Prodr. I. Cap. I per tot.
(*a*) Ibidem Cap. II. per tot.
(*b*) Ibidem Cap. III. per tot.
(*c*) In eodem Prodr Cap. IV. per tot.
(*d*) Conf. *D. Th.* 1. p. q. 1. art 7. *Amic.* heic D. 1. a n. 136. *Paull. a Concept.* heic D. prooem. n. 64.

indirecta, hoc eſt revelatio formalis per diſcurſum adplicata; tum quia in eam omnes ejus concluſiones ultimo reſolvuntur; tum quia ea revelatione abſente, ipſam deficere Scholaſticen, prout modo conſtituta eſt, neceſſum foret. (e) v. Finis ei multiplex, & omnes quidem nobiliſſimi, ac valde utiles tum Religioni, tum Fidei, tum Scholae exercitationibus. (f)

228 QUAESTIO II. Eſt ne Theoretica, aut Speculativa, vel Practica? ADSERO I: Sunt qui velint (g), Theologiae habitum ad praxin ſimul & ſpeculationem reduci. Sed iſti tamen de Theologia generatim accepta loquuntur, non praeciſe de Scholaſtica, de qua in ſeſe ſpectata rarus eſt, quem viderim, ejuſmodi quaeſtiones inſtituiſſe. II. Eſt abſolute, ſimpliciter, & adaequate ſpeculatrix (h). Quia ex ſui inſtitutione ac munere procedit ex integro ſpeculando in ſuis tractatibus & quaeſtionibus, ſiſtendo nimirum in ſubtili ſui Objecti ſpeculatione, quin quidquam directa fronte curet de praxi ſeu operatione. Hinc vulgo dicitur antonomaſtice THEOLOGIA SPECULATRIX (i).

OBJECTIONES.

229 Obj. Scholaſtice eſt practica, ſeu pacto aliquo in praxin tendit. Nam 1.° Auguſt. dixit [k] *habitum Theologiae ordinari ad dirigendos actus credendi, ſperandi, diligendi & pie vivendi*. 2.° agit de praeceptis, virtutibus, ceteriſque mediis, quibus finem ultimum adſequamur: ergo ratione ſui excitat voluntatem ad ſui objecti conſequutionem, ejuſdemque operationes dirigit. 3.° non ſumus Theologi, ut ſubtiliter diſputemus, nec eo fine ut Deum contemplemur, etſi contemplatio ordinetur ad amorem; ſed ut amore in Deum rapiamur. 4.° Magiſter & primores Scholaſtici, puta Robertus Pullanus, Alenſis, SS. Thomas, Albertus M., Bonaventura &c. permultos tractatus & quaeſtiones concernentes morum praxin in ſuos Scholaſticos Commentarios intulerunt: ergo ipſis Scholaſtice, cujus indolem optime norant, practica eſt.

230 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob: Auguſtino ſermo eſt de Theologia practica, non de Speculatrice, quae, Magiſtro Inſtitutore, Scholae adfulſit. Ad 2: agit de iis mediis inſtar ſpeculantis, ſiſtendo in eorum contemplatione; non practice, intendendo directe & ex proprio munere eorum exſequutionem; haec enim intentio ad alias Theologias ſpectat. Ad 3. *N. Con.* Una Dei, rerumque divinarum ſpeculatio eſt intrinſecus ac dire-

(e) Ita plures ubi loquuntur de objecto doctrinae ſacrae generatim, & nuper laudatus *S. Th.* ar. 3. *Amic.* n. 142. *Paull.* n. 66. Secus alii, & quidem probabiliter, cum *Tournel.* heic in D. praevia q. 2. art. 2.

(f) Ex pagg. 1. 4. 42. quas recolas.

(g) Cum *Greg. Ariminenſi* q. 5. Prologi art. 4. *Petav. Juenin, Habert, Boucat*, & *Bertio* in Prolegom. c. 4. prop. II.

(h) Fere *S. Th.* cit. ar. 4. *Can.* de loc. l. 2. c. 2. *Molin.* in D. Th. cit. D. 2. *Hervaeus* q. 4. prolog. *Valent.* t. 1. q. 1. pu. 3. §. 4. *Vazq.* in D. Th. cit. D. 9. c. 3. *Tanner.* in Theol. t. 1. D. 1. q. 4. dub. 3. n. 3.

(i) Cum *Arſdek.* ubi de Theol. Speculat. & *Antoine* in Theol. Speculat. & dogmat. &c.

(k) L. 1. de doctr. Chriſt.

directus finis Scholaſtices, quae quidem deinceps voluntatis operationes aliis Theologiis procurandas relinquit: eſto quidem in ipſas tanquam in finem ultimum tendat; ſiquidem virtutum exercitium, quod Scholaſticae quaeſtiones ſuapte natura pariunt, in ſui Profeſſoribus & Candidatis, vel praeſupponit, vel ſummopere deſiderat. Ad 4. *N. Con.* Plures ipſi quaeſtiones biblicas, polemicas, dogmaticas & morales cum mere Scholaſticis permiſcuerunt (*l*). Nec unus quidem ex ipſis, quem viderim, univerſale nudae Scholaſtices ſyſtema concinnavit: hanc alii provinciam poſterioribus Seculis Scholaſticis adgreſſi ſunt.

231 QUAESTIO III. Num ſit Utilis, aut Neceſſaria? ADSERO 1. Eſto non ſit Eccleſiae ſimpliciter neceſſaria, eſt tamen ſummopere utilis. Ita contra nebulones haereticos, & alios, quos ſupra retulimus [*m*] omnes ad unum Scholaſtici, necnon alii qua ſanctimonia, qua ſapientia, qua dignitate commendatiſſimi Viri, alias laudati (*n*). Equidem *in primis* Myſteria fidei ipſa elucidat, & difficultatem ut credantur emollit. *Tum* eadem Myſteria, & quae ex illis deduci poſſunt, Scholaſtices methodo digeſta ſolidius, ſubtiliuſque probantur, roborantur, & a fidei hoſtibus defenduntur: quin & eo ordine diſpoſita facilius addiſcuntur ac memoria retinentur.

232 *Praeterea* ex munere ſuo univerſam doctrinam ſacram exponit, ea cuncta videlicet, quae ex revelatis Myſteriis aut directa, aut indirecta acie deducuntur, ſuis quaeſtionibus heinc inde exagitando, ad chriſtiani populi eruditionem (*o*). Quae vero contra Adſertum objici poſſint, abunde alias refutavimus (*p*). II. Eſt moraliter neceſſaria ad ceteras fere omnes Theologias funditus perdiſcendas. Quia non modo voces facultativas, verum etiam ſolida & pene innumera principia praeſtat ad ſacram doctrinam probe ac radicitus penetrandam: atque adeo non niſi perquam difficulter ad plurium Theologiarum apices quis pertinget, ſi vias regias, quas una Scholaſtice invenit, ac explanavit, ignoret.

233 QUAESTIO IV. Quaenam ejus Authoritas in Eccleſia Dei? ADSERO: Praemaxima fuit jam a primis ſui adfulgentis ſplendoris incunalibus. Id enim teſtantur ſummi honores, quos univerſus orbis Latinus Scholaſtices Profeſſoribus perpetuo venerabundus detulit; & quidem ad unum connitentibus & conſpirantibus ſummis Hierarchis, Conciliis Oecumenicis & particularibus, Regibus, cujuſcumque ordinis Praeſulibus, ſacris Coetibus, Academiis; univerſi quippe probe norant, quantum luminis religio, quantum puritatis & roboris fides, quantum ſplendoris ac methodi theologica doctrina ex Schola cunctis aetatibus ſibi adſciverint. [*q*]

234 QUAE-

(*l*) Relege pagg. 46. 47.
(*m*) A pag. 65. 73. & a pag. 359 num. 221.
(*n*) A pag. 57.
(*o*) Recole quae diximus pag. 49. & 50.
(*p*) In Prodr. I. Cap. III. fere per tot.
(*q*) Recole Prodr. I. a pag. 50. ſub finem ad uſque 64.

234 QUAESTIO V. Quid de ejus fecunditate, ſive opera erga alias Theologias? ADSERO. Jure nuncupatur digniſſima plerarumque Mater & Altrix. Quoniam ad ejuſdem Scholaſtices normam illae inventae ſunt ad Scholae methodum conformatae, ut ſub eo ſyſtematis genere ordinatius, ſubtilius, ſolidius, clarius excolerentur, permagno Literariae Reipublicae fructu & ornamento. [r]

235 QUAESTIO VI. Num ſit ſupernaturalis, nimirum quatenus eſt habitus, noſtris actibus adquiſitus? ADSERO I. Eſt radicaliter, ſeu praeſuppoſitive ſupernaturalis. (s) Quia procedit ex principio radicali ſupernaturali, nempe ex articulis fidei. II. Eſt entitative naturalis, eſto apud nonnullos ſit ſupernaturalis quoad modum (t), quod modo omittimus. Quia procedit proxime a principio naturali; non enim fides, immo potius ſtudium mere humanum & naturale eſt principium proximum ejuſmodi habitus; quemadmodum & actus theologici, hoc eſt concluſionis deductae ex praemiſſa de fide & altera naturali, quae iccirco naturalis eſt.

OBJECTIONES.

236 Obj. Ejuſmodi habitus Scholaſtico-Theologicus eſt entitative ſupernaturalis. Nam 1. ex Angelico [u] Theologia differt generice a ceteris naturalibus diſciplinis. 2. adſenſus theologicus eſt certior adſenſu quovis ſcientifico naturali; at nequit eam certitudinem aliunde adſciſcere, quam a principio aliquo ſuperno: ergo & ab ipſo deſumit ſupernaturalitatem, ad quam quippe ſufficit unum quodlibet ex principiis in actum influentibus. 3. Concluſio theologica petit cauſſari ab adſenſibus fidei, qui porro ſunt ſupernaturales.

237 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob. *N. Con.* Ad eam differentiam ſatis eſt, quod omnes ejus concluſiones reſolvantur ultimo in divinam revelationem, ratione cujus eſt radicaliter ſupernaturalis. Ad 2. hanc certitudinem adſciſcit remote a principiis fidei, proxime a cognitione, qua mens ſua vi nativa noſcit connexionem praemmiſſarum cum concluſione. Ad 3. petit cauſſari radicaliter ac mediate, nequaquam proxime, relate ad naturalem praefatae connexionis adſenſum. (x)

238 QUAESTIO VII. Quid de Scholaſtices Certitudine quoad Concluſiones Theologicas, ut vocant, deductas ex duplici praemiſſa de fide, ſeu ex una de fide & altera evidente, vel naturaliter certa; quas nempe Scholaſtice ex munere ſuo verſat? Duplex heic diſtinguenda certitudo; nempe objectiva, quae eſt immutabilitas & invariabilitas rei,

(r) Latius de hoc argumento a pag. 43. aduſque 48.

(s) *Paul. a Conc.* cit. n. 50., prout loquitur cum ceteris vulgo Doctoribus de Doctrina ſacra generatim.

(t) Iis adhaeret cit. *Paul.* n. 52. cum *Suar. Vazq. Gonet &c.*

(u) Heic p. I. q. I. a. I. & 5.

(x) Conf. *Vaz.* heic in I. p. q. I. D. 4. n. 23. & *Paull.* cit. a n. 55.

quae cognoſcitur; & ſubjectiva ſeu motiva, quae eſt adhaeſio mentis alicui veritati cognitae, per medium ſeu motivum aliquod certum.

239 ADSERO 1. Scholaſtice quoad ejuſmodi Concluſiones Theologicas certior penitus eſt quibuſcumque Scientiis naturalibus. (y) Quia objectum ejuſmodi Concluſionum, nempe Deus, majorem habet immutabilitatem ac neceſſitatem exiſtendi, quam ſcientiarum quarumlibet naturalium objecta. Ac deinde medium, ſeu motivum, propter quod iis Concluſionibus mens adſentitur, eſt divina revelatio, quae plane longe certior eſt, quam ſint certa principia, ſeu ſcientiarum naturalium motiva, lumine naturali cognita; haec enim tametſi in ſe ipſis certa ſint, errori tamen & falſitati obnoxia ſunt, ob mentis humanae paſſim errantis imbecillitatem. Quo quidem reſpexit *Auguſt.* ubi inquit (z) *facilius dubitarem vivere me, quam non eſſe veritatem, quae per ea, quae facta ſunt intellecta conſpicitur.* (a)

240 II. Scholaſtice quoad praefatas Concluſiones, quatenus per diſcurſum ex praemiſſis deductae ſunt, non ſpectat ad fidem, nec eſt paris cum fide certitudinis. (b) Tunc enim hae Concluſiones ſolo fidei motivo non innituntur, ſed partim revelatione ſaltem mediata, & partim connexione, quam infert diſcurſus habere cum praemiſſis: at haec connexio, eſto virtute formae ſyllogiſticae neceſſaria ſit, deprehenditur per diſcurſum, qui alioqui poteſt eſſe errori obnoxius: ergo.

OBJECTIONES.

241 Obj. *primo* contra 1. Adſert. Scholaſtice quoad Concluſiones Theologicas deductas ex duplici praemiſſa de fide non eſt certior quibuſcumque ſcientiis naturalibus. Nam 1.° Nihil dari poteſt eo certius, quod eſt certiſſimum; at principia prima naturalia e. g. *quodlibet eſt vel non eſt, impoſſibile eſt idem ſimul eſſe & non eſſe* &c. ſunt certiſſima. 2.° longe firmius adhaeret iis principiis intellectus, minuſque de iis dubitat, quam de Concluſionibus Theologicis, de quibus paſſim Scholae dubitant. 3.° non minus a Deo Authore ac parente eſt lumen rationis, quo primorum principiorum veritatem adprehendimus, ac ſit ipſum fidei lumen: ergo utrumque pari gaudet certitudine, ac neutri pariter falſum ſubeſſe poteſt; alioqui Deus foret cauſſa erroris, in quem ab eo induceremur. 4.° nihil eſt certius evidentia, quae eſt adſenſus ſcientifici motivum. 5.° adſenſus neceſſarius, qualis eſt ſcientificus, certior eſt quam omnino liber, qualis eſt Theologicus. 6.° propoſitio disjunctiva *Deus eſt trinus, vel non trinus*, quae reducitur ad principium naturale *quodlibet eſt, vel non eſt*, certior eſt qualibet categorica illam componente: ergo certior eſt hac categorica *Deus eſt trinus*, quae eſt propoſitio de fide &c.

242 R. N.

(y) Satis communiter TT. tum veteres, cum *Gandavenſi* in Sum. art. 7. qu. 2. & *D. Th.* heic q. 1. art. 5. & alias, tum recentiores, cum *Cajet. Molin. Tanner.* in D. Th. cit. *Tournel.* in D. praevia q. 3. art. 2. *Charmes* de Prolegom. Diſſ. 4. q. 2. ar. 2. &c.

(z) L. 7. Conf. c. 10.

(a) Conf. *S. Th.* 2. 2. q. 4. ar. 8.

(b) Iidem fere, qui pro 1. Adſerto adlegati ſunt.

242 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob. *D. Ma:* quod eſt certiſſimum tam certitudine objectiva, quam ſubjectiva, de qua unice heic diſputamus, *C.* certitudine duntaxat objectiva, qua ſola gaudent illa principia, *N.* Et *D.* reſpective *Mi.* Et *N. Con.* Huc revoca Auguſtini effatum. Ad 2. *D. A:* firmius adhaeret propter hominis credentis imbecillitatem, *C.* id autem per accidens eſt: propter majorem certitudinem ſubjectivam, ſeu motivi formalis ſcientiae naturalis, *N;* quia ſubjectiva certitudo Concluſionis Theologicae deſumitur a divina Revelatione, quae eſt motivum formale certius ſcientia qualibet naturali.

243 Deinde ſimiliter ſi quis imprudenter dubitet de Concluſione Theologica, dubium plane oritur ex infirmitate intellectus cognoſcentis, non autem ex formali fidei motivo, quippe quod ſi animo inſideat, firmius ac velocius eum ad credendam revelationem inclinat, teſte *Chryſoſt.* [*c*] Tandem inter peritos Scholaſticos nunquam inſtituitur quaeſtio de Concluſione vere Theologica animo dubitandi, ſed potius ad clariorem veritatis elucidationem, aut ingenii exercendi gratia.

244 Ad 3. *D. A:* non minus eſt, ac eadem ratione, *N:* ac diverſa prorſus ratione, *C.* Quoniam lumen rationis eſt a Deo ut a prima cauſſa efficiente, ipſumque lumen per peccatum maxime obſcuratum eſt, multiſque erroribus, quos Deus permittit, quin ad eos hominem inducat, obnoxium: lumen autem fidei eſt a Deo ut a prima Veritate & objecto formali motivo; & ipſum quidem ad verum ſemper inclinat & ducit. Hinc *N. Con.* Ad 4. *D. A:* in eodem ordine, *C:* in diverſo, eoque ſuperiore, *N.* Evidentia quidem eſt in ordine naturali, revelatio in ordine ſupernaturali; ſupernaturale tamen id quod eſt naturaliter evidens certitudine ſuperat.

245 Ad 5. *D. A:* ſi aſſenſus liber oriatur ex motivo fallibili, *C.* ſi ex motivo infallibili & tam neceſſario, quam ſit ipſe Deus, qui ſe ipſum negare nequit, *N. A.* & *Con.* Ad 6. *N. A.* Eodem actu, quo quis aſſentitur huic veritati *Deus eſt trinus*, diſſentitur pariter oppoſitae propoſitioni *Deus non eſt trinus*, nam hoc ipſo quod proponatur, Deum eſſe trinum, proponitur, non eſſe non trinum. Quocirca propoſitio *quodlibet eſt, vel non eſt* continetur in propoſitione revelante Deum eſſe trinum, & in hac ipſa eſt virtualiter revelata [*d*].

246 Obj. *ſecundo:* Scholaſtice quoad Concluſiones Theologicas deductas ex praemiſſa revelata & altera naturaliter evidente, non eſt certior quibuſcumque ſcientiis naturalibus. Nam 1.° Quod eſt cauſſa certitudinis alicujus concluſionis eſt ipſa concluſione certius, aut ſaltem paris cum ipſa certitudinis; at praemiſſa naturalis in caſu eſt cauſſa Concluſionis Theologicae, in quam influit. 2.° ex vulgari adagio, *concluſio ſequitur debiliorem praemiſſam:* ergo quando una praemiſſa eſt naturalis, Concluſio Theologica adquirit tantum certitudinem naturalem, illi comparem, quae ineſt naturali praemiſſae.

247 R. *N. Adſ.* Ad 1. prob. *D. Ma:* quod eſt cauſſa adaequata, *C.* inadaequata, *N.* Et *D. Mi:* praemiſſa naturalis eſt cauſſa adaequata, *N.* inadae-

(*c*) Hom. olim 21. in Epiſt. ad Hebraeos. (*d*) Conſule *Fraſſen* heic Diſſ. 1. art 3. q. 3. concl. 1.

inadaequata, *Subd;* si spectetur separata a praemissa revelata, *N;* sic enim non est caussa certitudinis, qua gaudet Conclusio Theologica qua talis; si spectetur conjuncta cum praemissa revelata, *C;* quia tunc certior est, quam si sola foret. Praemissa naturalis, adsumpta in Conclusione Theologica, ad istam nec ratione sui, nec ut caussa adaequata concurrit, sed ut elevata, & alteri praemissae de fide, explicandae veritati, quam ipsa enuntiat, inserviens. Ad 2: tunc illud adagium obtinet, quum praemissa debilior, qua debilior est in conclusionem influit, non autem quum influit ratione partis fortioris, & in ejus, cui ancillatur, consortio. (*e*)

248 Obj. *tertio*. Contra II. Adsert. Scholastice quoad praefatas Conclusiones per discursum ex praemissis deductas est paris cum fide certitudinis. Nam 1.° propositio *Christus habet duas voluntates* est deducta ex propositione fidei *Christus habet duas naturas*; sed Monothelitae quod illam negarint, traducti & proscripti sunt ut haeretici: ergo quia ipsa de fide certa est. 2.° quales sunt praemissae, talis est conclusio; at praemissae Conclusionis Theologicae sunt quandoque de fide, e. g. in hoc syllogismo *omnis creatura est facta a Deo; Coelum est creatura; ergo Coelum est factum a Deo*: ergo conclusio illa de fide est. 3.° in omni fidei adsensu reperitur discursus humanus, saltem tanquam partiale motivum; ideo enim rem credis, quia est revelata, & ideo credis rem revelatam esse veram, quia eam loquutus est Deus, & falli, & fallere nescius: ergo quod Conclusio Theologica per discursum adquiratur, non obstat quominus ipsa fidei certitudinem pertingat.

249 R. *N. Adf.* Ad 1. prob. *D. Ma*: illa prima propositio est deducta ex alia, simulque in ipsa continetur saltem implicite revelata, quoniam fieri non potest ut natura intellectualis a sua voluntate separetur, *C*: secus, *N*. Et *D. Mi*: quod illam negarint ut praecise illata est per discursum Theologicum, *N*: quod illam negarint, ut contenta est, ac implicite revelata in altera propositione, quae adducitur, *C*. Et *N. Con*. Ad 2. *D. Ma*. talis est conclusio quoad omnia, *N*: aliqua ex parte, *C*.

250 Equidem conclusio qua talis debet esse certa aut evidens pro conditione praemissarum, e quibus infertur; non autem eodem certitudinis ac evidentiae gradu; quoniam quum in omni legitimo discursu fiat progressus a notiori ad minus notum, si vera sit Dialecticorum doctrina, praemissae debent adstrui plus certae ac evidentes, quam Conclusio. Hinc *C. Mi.* & *N. Con*. Ad 3. *N. A*. Nam divina duntaxat revelatio est formale motivum adsensus, qui fidei datur; discursus vero, ratiocinia, discussio Traditionis, & motivorum credibilitatis, sunt unice conditiones praeviae, seu organa vel instrumenta, quibus utitur mens humana ut revelatas veritates deprehendat (*f*).

251 QUAESTIO VIII. Quid de ceteris Adtributis? ADSERO: sex alia

(*e*) Consule *Sylvium* in 1. p. q. 1. art. 5. Cap. I. ubi de Fedei Objecto: interea consulitor *Tournel.* in cit. D. praevia q. 3. art. 2.

(*f*) Plura inferius Part. III. Tr. II. Lib. I.

alia tanquam propria & inſita ei jure adſcribuntur. Scilicet I. *Ordo*; quatenus eo ordine de Deo, rebuſque divinis pene infinitis diſſerit, quo ſingula inter ſe aptentur ac in idem collineent. II. *Brevitas*; quatenus paucis, ſtrictiſque argumentis ea conficit, quae paginam apud antiquos utramque impleat; immo cum ternis voculis, quibus res negetur, concedatur, diſtinguatur in tempore, earum una maximae ſaepe ſecentur & multi ſermonis quaeſtiones.

252 III. *Perſpicuitas* cum Brevitate conjuncta; quatenus quum preſſe, nitideque ſine vocum redundantia aut phaleris diſputet, res, quam intendit, anguſtia concluſae orationis tota facile, quanta eſt, patet, & ab audiente nullo ſane negotio percipitur. Equidem in illo qui recte paucis diſſerit, nihil te fugit, quod omnia, utpote neceſſaria, attendas; quum tamen in eo, qui rem verborum ambagibus & involucris veluti obnubit, pauca te advertant, quod pleraque ut ſupervacua non cures. Ergo majore cum perſpicuitate docet, qui breviorem aptis vocibus ſermonem inſtituit.

253 IV. *Sanitas* & Securitas opinionum; quatenus ea docet ac ſentit, quibus tute abſque prolapſionis metu, & erroris periculo quivis ſe poſſit committere. Hinc Tridentini Patres ad detegendos, profligandoſque pravae doctrinae errores coacti, non ſemel proteſtati ſunt, unam aliquam, quae apud Scholae Theologos obtineret, ſententiam vel ne quidem examini velle ſubjici (*g*).

254 V. *Vis* quaedam & *Efficientia* ſuae inſita doctrinae; quatenus ita ſolide ac nervoſe pugnat, procul abjectis praeſtigiis fallacibus, levibus ratiunculis, & contortis dialecticorum ſophiſmatum captionibus, ut adſenſum vel ab invito extorqueat, omnemque adhibeat perſuadendi neceſſitatem. En itaque Diſciplina haec *ſicut turris David, quae aedificata eſt cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium* (ex *Cant.* 4. 4.) quam propterea & pene ceterae Theologiae ſibi in auxilium ac ſplendorem adſciverunt, & fidei hoſtes vehementiſſimo timore perculſi, irritis tamen conatibus, defugerunt. (*h*) VI. *Subtilitas* cum Soliditate ſociata; quatenus ſummo ingenii acumine de ſublimioribus Arcanis quaeſtiones agitat, theſeſque adſerit, confirmat, propugnat, vendicat; nec niſi ad ſublimes etiam de rebus minimis cogitationes ingenia exercet ac provocat.

255 Ex iis ergo, aliiſque permultis id genus Adtributis, Dotibus, Praerogativis, Virtutibus, illa Scholaſtice inſita Majeſtas, Dignitas,

(*g*) Ex pag. 71.

(*h*) Plura in hanc rem ſuperius ſparſim tradita in Prodr. I. Cap. I. II. & III. Audiendus praeterea Criticus & emunctae naris Vir *Mabillonius* in tr. de Stud. Monaſticis part. 2. cap. 6. de noſtra Scholaſtice in hunc modum differens: „ Scholaſtica Facultas „ perquam utilis eſt ad recte differendum „ de rebus ad materiam Religionis ſpectan„ tibus; ad ſtabiliendas ſententias, quibus „ nitendum eſt; ad decidendas novas con„ troverſias, quae paſſim inſurgunt: ad eno„ dandas aequivocationes, paralogiſmos & „ harreticorum ſophiſmata; ad conciliandos „ demum veterum exprimendi modos cum „ iis, qui nunc in Eccleſia uſurpantur.

tas, Imperium, quibus penitiſſime intellectis univerſum Latinum Orbem, & univerſam quoque Chriſti Eccleſiam ſibi hucuſque devinxerat. [*]

§. III.

De optima ratione tradendi Sholaſticen.

256 QUAESTIO I. Quid generatim de ea ratione? Sermo eſt de Profeſſore Theologo, ſeu Magiſtro, cui incumbit Scholae Candidatum Scholaſticis Praelectionibus a ſe dictatis inſtituere, ac penitus verae, minime Pſeudo-Scholaſticae Theologiae praeceptis, & exercitationibus informare. ADSERO 1. Praeſupponuntur heic primum in Candidato neceſſariae dotes: puta, prae ceteris, integritas morum, chriſtiana & pia intentio, delectum ingenium, adſiduus ac indefeſſus labor, praevia inſtructio aliarum diſciplinarum, quae vel neceſſariae, vel praeprimis opportunae ſunt, ut Candidatus Scholaſtices tractatus adprime cal-

ADNOTATIO.

(*) EX iis, quae ultimo loco percenſuimus Scholaſtices Adtributis, quinque priora potiſſimum elegantiſſime juxta ac ingenioſiſſime, more ſuo, expendit & celebrat *Vavaſſorius* noſter in Orat. X. *Quid Scriptnrae interpretes Scholaſtice juvet?* recitata Avarici Biturigum XIV. Cal. Novembr. MDCXLIII., quae extat inter ejus Opera in unum volumen primum collecta an. 1709. a p. m. 240., omnino legenda & perlegenda.

Enim vero (quod maxime notandum) ex iis, quae primum eximie *Vavaſſorius*, & nos deinde pertenui calamo de Scholaſtices Encomiis hucuſque diſſeruimus, ſatis aperte liquet, utriuſque ſermonem in unam duntaxat collineaſſe *veram Theologiam Scholaſticam*, quam videlicet nobis tradiderunt pulcherrimam & digniſſimam *Lombardus*, *Alenſis*, *Bonaventura*, *Aquinas*, *Gandavenſis*, *Aegidius Columna*, *Ariminenſis*, *de Valentia*, *Suarezius*, *Sylvius* aliique ſimiles Scholae Coriphaei: minime vero in *Pſeudo-Scholaſticen*, ſive Scholaſticen illam, quam haud rari quidem cunctis Scholaſticis aetatibus variis ex titulis adulterati ſunt.

Equidem ſunt ex Schola Viri, quibus plus aequo Philoſophiae ac naturali rationi deditis, perraro fuerunt uſui Sacri Codices, Traditiones, Concilia, Patres, Eccleſiae Canones; quippe qui res divinas, ratione potius quam authoritate, non minus turpiter quam fruſtra metiri & comprobare intenderunt. Alii vero quaeſtiones plane futiles, & ſacrae doctrinae prorſus inutiles prolixo implexoque ſermone ventilandas obtruderunt.

Hi barbaram & ſoloeciſmis ſcatentem orationem, quam vel mediocri latinitate inſtitutus horret ac nauſeat, loquuti ſunt. Tum illi, una cum nitida brevique loquutione eruditionem & claritatem adfectantes, paginas hiſtoriis & authoritatibus haud raro importunis infarciunt, ſummas Diſciplinae difficultates ſummis labris delibant; graviores etiam aut praetereunt, aut leviſſime adtingunt; cereras univerſim, vi, nervo, acumine deſtitutas, quaſi in Schola jocantes, cum Doctorum nauſea percurrunt. Alii demum aliis vitiis & labibus faceriimamScholaſticen depravarunt & corruperunt. (In hanc rem nonnihil ſparſim libavimus ſupra in Prodr. I. Cap. I. & III.) Et hinc quidem in corruptam Scholaſticen, ejuſque corruptores tot, tamque graves ſubortae haud iniquae querimoniae, a *Jacobo Fabro* Stapulenſi, *Thoma Moro*, *Orthuino Gratio*, *Alberto Pighio*, *Auguſtino Steucho*, ceteriſque ſuperius percenſitis pag. 73. profectae & quaſi certatim effuſae.

Quae cum ita ſint, noſtrum pariter eſt ejuſmodi corruptores una cum Pſeudo-Scholaſtice ſua acriter inſectari, dum veram & omnibus numeris abſolutam Scholaſticen digniſſimis laudibus cumulamus.

calleat, perfectuſque Scholaſticus evadat cum fructu & laude. (*i*)

257 II. Praeſupponuntur deinde in Profeſſore dotes eo muneri rite obeundo pares. Videlicet, ut praecipuas innuamus, peinſignis pietas, quae ſit addiſcentibus exemplo, ac in dictatis paſſim reſplendeat: qua nempe iidem ipſi erudiantur, non tantum quo modo cognoſcendus ſit Deus, ſed etiam quomodo diligendus; ingenium acre, ſolidum, ſubtile, non ſophiſtices ſed veritatis amans, diſcipulorum captui, prout ferat opportunitas aut neceſſitas, adcommodatum; profunda Scholaſtices univerſae intellectio & eruditio; penitiſſima Locorum omnium Theologicorum comprehenſio; claritas in docendo; diligens in lucubrandis, tradendiſque Scholaſticis penſis adſiduitas; amor erga diſcipulos, eorumque profectum, ac literarios honores. [*k*]

258 III. Quae ad hanc Rationem cum laude & fructu exſequutioni mandandam opportuniora videntur, ad haec capita revocari poſſunt. Videlicet ad *Materiam*, quae tradenda eſt; ad *Methodum*, & *Modum* eam tradendi; ad *Uſum Locorum Theologicorum*; ad *Stilum*,

(*i*) Plura de hoc argumento qui Didacticen pertractant; e. g. *Vives* de tradendis diſciplinis, libris V. *Can.* de loc. l. 8. & 12. ſparſim, *Dominic.* a Ss. Trinit. in Biblioth. Theol. l. 5. ſect. 2. c. 1. & alias. *Joan. Henricus Alſtedius* in Encyclopaedia l. 4. de Didactice per tot. praeſertim cap. 15. ubi de ratione diſcendi Theologiam, *Sturmius* de ſcholis aperiendis, & in Epiſtolis Claſſicis & Academicis, Cl. V. *Joſeph Vaſcus* in Inſtitut. philoſ. volum. I. cap. I. cum Adpendice, ubi perplures erudite congerit a p. m. 76.

Tum qui agunt ex profeſſo de ratione ſtudii Theologici e. g. laud. *Canus*, *Poſſevinus* in Biblioth. ſelect. l. 3. c. 11. ubi de Theologiae ſtudio, *Carbonius* in Introd. in S. Theologiam lib. 1. *Mabill.* tr. de Stud. Monaſt. *Voetius* de exercitiis & Bibliotheca ſtudioſi Theologiae libris II. *Perizonius* de ratione ſtudii Theologici tract. integro, ad ejus emendationem praecipue ſpectante, *Gerbert* in Adpar. ad erudition. theologicam per XV. capita, *Laurent. a Villavincentio* de recte formando Theologiae ſtudio, *Rogerius* opuſc. de auditore Theologiae, *Evangeliſta Boſius* in Theologicis Theorematis, *Dupinius* in Methodo ſtudiorum theologicor. cap. 25. & alias, *Carbone* in Introduct. in Theol. l. 5. c. 27. *Tournel.* in Praelect. t. 1. in Praefat. *Berti* t. 1. ubi de Prolegomen. c. 6. *Petav.* in Prolegom. c. 9.

(*K*) Haec, pluraque generatim in ſingulis quibuſque publicis Praeceptoribus expetunt cum *D. Th.* in Opuſc. de eruditione Principis, *Vives* de tradendis diſcipl. l. 2. & 3. & laudat. *Vaſcus* in Adpendice §. IV. ubi Doctoris munia diſerte perſequitur. Inſuper de Theologiae Magiſtris ſpeciatim agunt, qui de ratione ſtudii Theologici pro dignitate diſputant, cum proxime laudatis *Can. Poſſev.* l. 3. c. 10. *Voet. Carbon.* c. 28. *Villavincent. Dominic. a Ss. Trinit.* cum *Alexandro de Burgos* in Syntagmate inſtitutionum Theologicarum.

Porro in hanc rem e ſuis Theologis Proteſtantibus ſat copioſum ſyllabum texit *Joan. Georgius VValchius* in Bibliotheca Theologica ſelecta tom. 1. c. 1. ubi de ſcriptis methodi Studii Theologici §. 1. & 2. Immo ſub initium §. 3. haec ponpoſe adſerere non dubitavit: *inter Romanae Curiae addictos, itidem fuerunt, qui ingenia ſua in eo exercerent, ut viam ad literarum ſanctiorum ſtudia monſtrarent; ſive tamen ad numerum, ſive ad indolem librorum, quos in lucem emiſerunt animum advertere velimus, longe ſunt inferiores noſtratibus iis, qui ad idem argumentum pertractandum ſe contulerunt.* Haec ille & alia, ſuae critices virga noſtrates feriens; quae tamen, ſi nobis eſſet otium, facili negotio refelleremus. Utinam e noſtris Theologis quiſpiam a VValchiana critice cauſſam vindicet plane noſtram!

Dotes poſtremo & ſigillatim Profeſſoris Scholaſtices virtute produnt, qui vera & indubitata vitia, quae in Scholaſticen ab nonnullis minus ſcite traditam irrepſerant, detegunt & infectantur, cum laudato *Can.* & *Ludov. de Caravajal* in Specimine reſtitutae theologicarum ſententiarum Theologiae, & a Sophiſtice & barbarie repurgatae.

259 QUAESTIO II. Quid ſpeciatim circa *Materiam*? ADSERO: ſelecta Materia tradenda eſt, nimirum e Quaeſtionibus, quibus fertiliſſima Scholaſtices pomoeria mirum in modum exundant, illae potiſſimum, quae ſint ad mores & uſum Scholae in praeſentia adcommodatae, ſimulque comparate ad Theologicum ſtudium utiliores; procul abjectis minus utilibus, aut ſupervacaneis, quae ex communiore bene ſapientum Theologorum calculo, non niſi paginas complent, inique ſibi temporis & operae pretium ſuffurantes.

260 At quaenam hjuſmodi utiliores? quae ſupervacaneae? Hic Rhodus, hic ſaltus; haec Quaeſtio diu agitata, necdum omnium votis & ſuffragiis deciſa. Ea porro nonnullis eſt utilior Quaeſtio, & Scholaſtica velitatione dignior, quae plus confert ad directam ſeu indirectam ſummi Dei cognitionem; ea vero minus utilis, quae minus confert, ac pene de voce eſt; ars enim Theologica ad eam notitiam comparandam inventa dicitur ac praedicatur. Aliis deinde illa ſeligenda, quae exponendo ſeu vindicando Sanctae Fidei dogmati opportunior eluceſcat.

261 Nec inſuper deſunt, qui cum profundiſſimo Theologo illo *Petavio* (*l*) eam arbitrantur in Scholaſtica Palaeſtra praeponendam, in cujus confirmationem plura ſuppetant ex Sacro Codice, vel ex Conciliis, vel ex priſcis Patribus, vel ex Hiſtoriis eccleſiaſticis, vel ex ſacris aliis Antiquitatibus documenta. Sunt praeterea, quibus, ſolidiſſimo *Cano* duce (*m*) ea theologicis curis prorſus indigna reputatur, quae ope unius ſophiſtices, exigui momenti materiem prolixe verſat, ad ſubtilioris ingenii oſtentationem (*n*).

262 Profecto ſana eſſe atque tenenda haec, quae innuimus, prudentum Doctorum dictamina, ſecum quiſque bene ſapiens reputabit. Secus tamen alii, & ſua opinione prudenter, judicant. Et quidem vix ad caſum deſcendimus, ac vertitur in dubium, num haec Quaeſtio ſit Scholaſtico Candidato utilis, aut inutilis, tot inſurgunt hinc inde reflexa dubia, tamque variae dubiaeque de Quaeſtione admittenda, ſeu repudianda ſubtiliorum ingeniorum quaeſtiones, ut nec ſuo Mercurius Caduceo poſſit abſque partium offenſione litem dirimere [*o*].

263 Ergone dixeris ex Apoſtolo, *unuſquiſque abundet in ſenſu ſuo* ad *Rom.* 14. 5. ac pro ingenio Scholaſticam materiam cudat, & tradat? Minime gentium; ſummopere enim dedecet Scholae Viros & Alumnos venari muſcas, nodum in ſcirpo quaerere, Solem Icariis auſibus velle complecti. Ego quidem ſic nuper ſentiebam (1), ſic modo ſentio: quod nempe ampliſſima Scholaſtices Materia, diſciplinae dignitati ac ſubtilitati quidem congruentiſſima, quoad plurimas vero quaeſtiones inſtituendis Candidatis, praeſertim ad noſtrae aetatis palatum, ſine dubio minus utiles, reformanda eſt. At quo tamen, inquis, Authore? Porro ſi Principes, aut Academiae, aut ſummi Scholaſtices Gymnaſiorum Praefecti

(*l*) In Prolegom. ſuae Theol. cap. ult.
(*m*) De Loc. l. 8. c. 1. & alias.
(*n*) Conf. Can. de loc. l. 12. c. 5.
(*o*) Plura de Quaeſtionibus in ſtudio Theologiae utilibus laudat. *Carbonius* in introd. in Theol. lib. 4. a cap. 13.
(1) In Prodromo I. pag. 192.

fecti (poſt maturas cum Authoribus, aliiſque perdoctis Theologis conſultationes) inutilium quaeſtionum, ex lege in praelectionibus omittendarum, elenchum ederent, de ſupervacaneis Quaeſtionibus, ſaltem in publicis praelectionibus & diſputationibus actum eſſet: quo quidem & praegrandium de Schola Doctorum votis fieret ſatis, & diſcipuli utilioribus adſueti, innutritique diſciplinis, Scholae, ac Orbi literato clariori eſſent ornamento [p].

264 His itaque pro minus utilium hac tempeſtate informandis Auditoribus Quaeſtionum exilio conſtitutis, aliis jam potiorem praeferentibus utilitatem delectis aptae ſubinde, idoneaeque ſectiones, aut diviſiones protinus inſerendae ſunt: ac prae primis Adſertiones ſub cohaerentibus titulis ſolida perſpicuitate ſtabiliendae, probandae, confirmandae, & ab objectis vindicandae. Et ea quidem omnia nec prolixe, nec nimis laconice ſeu preſſe tractentur; tametſi alia ſaepe fuſius, & brevius alia, pro merito argumenti verſari debeant.

265 QUAESTIO III. Quid ſpeciatim circa *Methodum*? ADSERO I. Methodus, quam alii Modum ſciendi nuncupant (q) & alii cognomine Didactices donant [r], prout a nobis inpraeſentiarum ſumitur, ita deſcribi poteſt: *brevis & perſpicuus Ordo, quo Theologus Praeceptor, rejectis omnino ſupervacaneis, Scholaſtices dogmata & quaeſtiones alumnis tradit & exponit*. Haec autem Methodus vel eſt generalis, & conſiſtit in ordine, quo praecipuae ac univerſaliores diſciplinae partes tractantur, ſecum ipſis connexae & quaſi annulis concatenatae, ac ſub certis Capitibus, Diviſionibus, Subdiviſionibus, Syntagmatis conſtitutae; vel particularis, & ſitus eſt in ordine, quo quaevis earum partium particularis quaeſtio pro materiae merito & circunſtantiis agitatur.

266 Porro in Scientiarum, immo cujuſcumque poſitionis elucidatione nihil Methodo laudabilius, nihil plane optabilius; recta enim methodus & adſpectabilem docentis ingenii nitorem prodit, & facillimam Candidato addiſcendi viam ſuggerit. Ergo ut partes ſuas agat Profeſſor noſter, totis viribus connitatur optimam ſervare methodum, & generalem, & particularem in univerſae Scholaſtices praelectionibus. Et quidem Methodi leges pro tradendis univerſim diſciplinis permulti praeſtiterunt [s].

267 Quin etiam de methodo in tradendis Theologicis, ac ſpecia-

(p) Hanc reformationem jamdiu ardentibus votis optarunt, non modo Acatholici paſſim, verum etiam e Noſtris ſummi Viri, e. g. *Vives*, *Canus*, *De Clemangis*, *Caravajal*, *Dominic. a Ss. Trinitate*, *Petavius*, *Joan. Gisbert*, *Mabillonius*, *Bertius*, *Mannhart*, *Gerbert*, & alii ſine numero.

(q) Ex *D. Bernardo* ſerm. 36. in Cantic.

(r) Cum *Alſted.* in Encyclop. Scient. omnium tom. 1. l. 4. c. 1. Regula 1. *Bonnaeo* in tr. de ratione diſcendi, *KecKermanno* in Methodo univerſali formandor. ſtudiorum, & multo pluribus.

(s) Ex iis nonnullos mox laudavimus hoc §. ſub Q. I. Alios adlegat proxime cit. *Alſtedius*, quem pene dixerim inter Methodicos Scriptores nulli forte ſecundum; plures *Vaſcus* ibidem laudatus: quibus addi poſſent Philoſophi multi cum *Purchot* tom. 1. part. 4. Logicae, *Buhon* in Logica element. c. 10. *De Benedictis* tom. 1. in quaeſt. prooem. *Corſino* t. 1. part. 4. Log.

tim Scholaſtices, nonnulli diſſeruerunt (*t*). Immo ad optimam in hac re deligendam methodum, plures primae notae Theologos verſare poteſt Profeſſor, ſibique in normam & exemplar adſciſcere: e. g. *Dionyſium Areop.* (*u*) *Auguſtinum* (*x*) *Samuelem Tajum* (*y*) *Joan. Damaſcenum* (*z*) *Joan. Sapientem* cognomento *Cyparisſiotum* (*a*): ut mittam Syſtematicos, de quibus jamjam dicturi ſumus.

268 II. Tradi poteſt Scholaſtice methodo Syſtematica, vel per Syſtema (quod graece idem ſonat ac *Diſpoſitio*, ſeu *Ordinatio*) videlicet ea doctrinae ſtructura, eoque ordine, ut praeferat, quoad ejus fieri poſſit, univerſae diſciplinae tractatus recte diſtributos, ſibi invicem cohaerentes, primariis fundamentis conformes: aut etiam methodo tumultuaria hoc eſt ſine methodo, aut ordine; dictando nimirum & exſcribendo aliquot duntaxat e praecipuis diſciplinae fragmentis, nullo invicem ordine quantum ad methodicam diſcipulorum informationem conſtantibus. Ex iis autem praeſtat innumeris titulis Syſtematica methodus, quae ſubinde Praeceptori omnino deligenda; quis enim Scholaſticis inſtitutionibus per annos plures imbutus, Scholaſtices jure peritus audiet, permultos Scholaſtices tractatus turpiter neſciens? (*b*)

269 Porro Grammatice, Rhetorice, Matheſis, Philoſophia, Medicina ac pleraeque id genus diſciplinae Syſtematico quodam adſtrictae compendio, exponuntur alumnis; ut ita nempe iidem recte, riteque, prout oportet ac decet, inſtituantur: ergo non abſimili ratione inſtruendi Scholaſtices Auditores.

270 Quid vero, inquis, ubi duobus inſimul Magiſtris, diverſa admodum circa theologicas opiniones ſentientibus, Scholaſtice interpretanda committitur; ex quorum nempe dictatis fieri nequit humanitus, ut Syſtema conſurgat, undequaque ſibi conſtans & cohaerens? Ad haec tamen quod reponam non habeo, ſi ex aequo iidem Profeſſores non conveniant in punctis praecipuis, quae unum aliquod Syſtema conficiant: ceteroqui enim Tractatores quidem Magiſtros excipient Candidati, minime Syſtematicos, quales Scholaſtice, quemadmodum pene ceterae diſciplinae, ex ſua inſtitutione quaerit, & amat. Nodum hunc plane diſſolvit mos ille, qui apud permultas Scholas jam obtinet, non dictandi, ſed viva voce e ſuggeſtu explanandi Claſſicum aliquem Authorem (*c*).

271 QUAE-

(*t*) *Can.* de loc. l. 12. ſparſim, *Sixtus Senenſ.* in Biblioth. ſacra l. 3. in Methodo 23. *Poſſev.* in Biblioth. ſel. lib. 3. cap. 9. *Dominic. a Ss. Trinit.* in Biblioth. Theol. l. 5. ſect. 1. c. 1. & ſect. 2. cap. 2. *Gisbert* in Idea veri Theologi.

(*u*) In Commentar. de divinis nomin. de Theologia Myſtica &c.

(*x*) In libris IV. de doctr. Chriſtiana, unde Lombardus ſuam deſumpſit Methodum.

(*y*) In V. libris Summae Theologiae, quorum inſcriptiones habes ap. *Mabillon.* in tr. de ſtudiis monaſt. part. 2. cap. 6.

(*z*) In IV. libris de fide orthod.

(*a*) In expoſitione elementari eorum, quae de Deo a Theologis dicuntur.

(*b*) Conſule *Vazquezium* in 1. p. q. 1. D. 3. & in ſimili *Gibalinum* de Scientia Canonica tom. 1. l. 1. c. 4. q. 1.

(*c*) De hujus moris praeſtantia, ſummaque utilitate conſulendi inter alios Cardinalis *Toletus* Comment. in 8. lib. Ariſt. de phyſica auſcultatione in praefat. ad lector. *Petrus Fonſeca* Inſtit. Dialect. in praefat. *Alſtedius* in Encyclopaedia l. 24. c. 5. reg. 3. *Antonius Poſſevinus* in laudata Biblioth. ſelect. l. 1. c. 7. necnon *Gerbertus* de ratione exercitiorum Scholaſticorum cap. 1.

271 QUAESTIO IV. Quid ſpeciatim circa *Modum*? ADSERO: Hic porro eruendus eſt ex eis dotibus, quibus veram Scholaſticen a Majoribus noſtris ornatam (ſubindeque a novis Profeſſoribus ornandam) accepimus, ex nuper adſertis [*c*]. Magiſter itaque ut partes omnes ſui muneris impleat, pertractandam ſibi ducat Scholaſtices materiam 1.° *Ordinate*, ſeu methodice, cum recta partium diſtributione, totiuſque doctrinae cohaerentia. 2.° *Breviter*, ſingulis quibuſque, vel quoad materiam, vel quoad ſententias, vel quoad verba ſupervacuis libenter ſupersedens. 3.° *Perſpicue*, in claritatem quoad fieri poſſit modis omnibus contendens.

272 4.° *Secure*, earum delectu opinionum, quae propius ad ſancti Dogmatis veritatem accedere, longiuſque ab errore recedere cuique prudenti videantur. 5.° *Efficaciter*, ea vi, eoque rationum pondere, leviori bus ac ſophiſticis argutiis omnino rejectis, rem ſuam promovens, ut eam vel diffitenti adverſario ſuadeat, immo perſuadeat. 6.° *Subtiliter*, confuſa diſtinguens, colligata diſſolvens, & quanta poſſit ingenii acie ac penetratione, atomos, ut ita dixerim, inſectiles ſecans; ubi praeſertim arduas & metaphyſicas quaeſtiones, quae neceſſariae, ſeu utiles fuerint, exponendas adgreditur.

273 7.° *Profunde*, non haerens in ſuperficie, ſed abſtruſa quaeque, & intima quaeſtionum, etiam de profundis Dei Myſteriis, quantum liceat, aperiat; tum materiam quamlibet ſuis meditationibus eviſceret, ejuſque fundum quaerat, & adtingere connitatur. 8.° *Graviter & cum Majeſtate*, non vana, ſeu deridicula ſectans, ſed gravia ſemper, & ſeria agitans; nec ad aliena, e. c. ad quaeſtiones mere philoſophicas excurrat ac viliter deſcendat, ſed totus immoretur in ſuis (*d*).

274 QUAESTIO V. Quid ſpeciatim circa *Uſum Locorum Theologicorum*? ADSERO: De ejuſmodi uſu doctrinam ſupra tradidimus [*e*]. Eam teneat Profeſſor docens, & quanta poſſit induſtria etiam in Diſputationibus mere ſcholaſticis ad praxin revocet, ne rurſus & quidem merito ſibi impactam audiat vulgatiſſimam illam querimoniam, quod nempe nullus ſit aut rarus eorum locorum uſus apud noſtri temporis Scholaſticos. Quo plane fiet, ut Scholaſtice, quam tanquam aridam, ſpinoſam & horridam amoenioribus imbuti literis omnino refugiunt, ſpecioſa jam nativaque amoenitate praenitens, eoſdem ad ſeſe invitet, immo pertrahat. (*f*)

275 Enim vero ea frequentia & opportunitate ejuſmodi uſus exercendus, quas adcurata meditatio & prudens judicium ſuggerant: nec enim ſinguli quique Loci Theologici, ſive proprii illi ſint, ſive adſcitii, pro quibuſque probandis, illuſtrandiſve theſibus congruum argumentum ſuppe-

(*c*) Praecipue a pag. 374. num. 251.

(*d*) Conſulitor *Joan. Gisbert* in Scientia Religionis univerſa tom. 1. ubi de Idea Theologiae, quam edendam propoſuit & promiſit; at ei, neſcio quo fato, fidem liberare datum non eſt. Item *Dupin.* in Methodo ſtud. theol. recte inſtituendi c. 25.

(*e*) A pag. 299.

(*f*) Relege praecitat. *Gisbert.*

ſuppetunt; nec ipſorum a viris prudentibus vocatur uſus, ſed abuſus, ac intoleranda prodigendae Eruditionis adfectatio, ea, quae penitus importune ab uno quolibet ex iiſdem Locis rei petitur comprobatio. Ac ejuſdem quidem abuſus & adfectationis exempla paſſim offendes etiam apud ipſos, qui vulgo Eruditi ac Amoeni vocitantur.

276 Itaque exquiſito cum delectu horumce Locorum uſus a Profeſſore noſtro excolendus: quippe fortaſſe in rei mere ſcholaſticae confirmationem multo minus perplurium Locorum uſus adpoſite juvare poteſt, quam quod plurimi declamitent; multae ſiquidem quaeſtiones, etiam ad ſacram doctrinam utcumque ſpectantes, ex ſuppoſitis aliunde principiis unico naturalis rationis ſuffragio definiri opportune poſſunt, ac illuſtrari.

277 QUAESTIO VI. Quid ſpeciatim circa *Stilum*, ſeu verborum loquutionem, aut dictionem, quam vera Scholaſtice ſibi vendicat? ADSERO: Hi ſunt ejuſmodi Stili characteres. Eſt 1.° *Syllogiſticus*, aut Dialecticus, inſigni ac incredibili formae, ſeu argumentationis Syllogiſticae vi & energia ſcholaſticas quaſque theſes comprobans, urgens, vindicans. 2.° *Laconicus*, aut preſſus & conciſus, minime oratorius, fluidus, exſuberans; pauciſſimis enim verbis rem quaſi compendio abſolvit & conficit; & hinc porro miranda Scholaſtices Brevitas.

278 3.° *Facultativus*, indicans & explicans certarum, ſingulariumque vocum idiomate quae rem Scholaſticam ſpectant: id quod Scholaſtice cum ceteris Diſciplinis commune eſt. 4.° *Vere latinus, & nitidus*, ad omnium captum adcommodatus, qualem Alenſis, D. Thomae ac aliorum ſcholaſtici Commentarii repraeſentant; minime vero ſplendidus, phaleriſque ornatus; at non ſubinde barbarus, incocinnus, ac ſoloeciſmos adoptans, vel praeferens (*g*)

279 Hic porro genuinus Diſciplinae Stilus, pulcherrimis characteribus exornatus. Pro eodem Apologiſtam alias agebamus (*h*); & ibi quidem quos nuper *Martin. Gerbert* [*i*] de vitiis dictionis Theologiae Scholaſticae, ac de Theologicis logomachiis objicit nodos, in anteceſſum diſſolvimus. [*]

§. IV.

(*g*) Nonnihil de Scholaſtico ſtilo praemiſimus in Prodr. I. Cap. III. Artic. X.

(*h*) In Prodr. I. a pag. 81.

(*i*) De recto & perverſo uſu Theol. Scholaſticae, cap. 5. & 6.

ADNOTATIO.

(*) HAEc, mea opinione, eſt germana optimae rationis tradendae Scholaſtices notio, ſeu commentatio. Ceterum ſi ſenſum, guſtum & palatum hodierni Seculi, etiam inter Scholaſtices Profeſſores, conſulamus, ipſa adhuc commentatio quoad *Materiam tradendam* imperfecta eſt & manca; quidquid Majores noſtri ſecus ſenſerint, atque Scholaſticen commentati fuerint.

Equidem apud catholicas omnium fere Gentium Scholas in Scholaſticis Tractatibus Hiſtoricarum Diſſertationum amoenitas deſi-

dera-

§. IV.

De Diviſione Scholarum, & Syſtematum circa Scholaſticen.

280 QUAESTIO I. Quid de *Scholis* Theologicis? ADSERO 1. Schola, prout heic ſumitur, eſt Coetus docentium & addiſcentium Scholaſticen ſub peculiari quodam ordine atque ſyſtemate doctrinae. Supponimus notitiam aliunde habitam de Scholae etymo, origine, progreſſu, multiplicitate, legibus, fructu, laudibus, ſecundum probata Hiſtoriae & Chronologiae documenta: (*k*) ac ſermonem inſtituimus de Scholis Theologiae Scholaſticae, quae ſibi Scholae nomen peculiari quadam ratione vendicare videntur.

281 Ex iis autem primam omnium jure vocamus, quam olim Pariſiis rexit Lombardus, & quae omnium prima Lombardi Scholaſticen tanto ſtudio amplexa eſt, excoluitque, ut ceterarum ejuſmodi toto orbe Latino Scholarum Mater & Altrix audierit. (*l*) Quae ſubinde Scholae plurimae in aliis regionibus inſtitutae ſunt, una cum Pariſienſi, ac ſub eodem fere ſenſu Lombardianam doctrinam excolebant, & quotidianis velitationibus illuſtrabant; donec decreta ſenſim Scholarum, vel potius Sententiarum in Scholis diviſione, protinus unicuique in ſuo ſenſu abundare placuit quoad Scholaſticam ſacrae doctrinae, quam Lombar-

deratur: immo diſplicet jam & cum faſtidio excipitur mera Scholaſtice, quae aut capitalibus Dogmatices, vel Polemices quaeſtionibus, aut ſacrae Eruditionis ornamentis ſpoliata, nuda in ſcenam prodit, & non nisi *oſſa arida* (ut cum ſciolo vulgo etiam Sapientes loquuntur) in diſputationibus corrodenda ſuae paleſtrae Athletis profert.

Iccirco jam noſtris diebus pene ubique mos invaluit, ut Scholaſtices Quaeſtiones cum aliis vel Dogmaticis, vel Polemicis, vel ſacro-Hiſtoricis frequenter intermixtae cum laude plauſuque copulentur, & controvertantur. Hinc audiuntur jam Scholaſtici diſputantes in Scholarum palaeſtris de Origine idololatriae; de Antropomorphiſmo, imputato Patribus Tertulliano ac Epiphanio; de Antheiſmo, modernoque impiorum Pantheiſmo, de Millenario regno, quod Irenaeo, Juſtino, Nepoti, Lactantio probatum eſt; de Authore Symboli, quod Athanaſianum vocant, atque de aliis id genus perplurimis.

Quis autem huic pene omnium Scholarum fato unus reſiſtere auſit? Ergo tandem aliquando inſerviendum eſt tempori. Ergo ad ſenſum, ad guſtum, ad palatum hujuſce genii noſtra aetate dominantis, Scholaſtice conformanda eſt; conformandique quoad novam Diſputationum materiam Scholaſtices Profeſſores & Candidati. Scholaſticis itaque diſputationibus aliae interdum polemicae aut hiſtoricae, amoenitatis, eruditioniſque gratia intermiſceantur.

(*K*) De hoc argumento plura qui agunt de Academiis, ut *Vives* de tradendis diſciplinis libris V. *Middendorpius* de Academiis totius Orbis, *Mendo* de Jure Academico, *Launoius* de Scholis celebrioribus, *Villavincentius* de ratione ſtudii theologici in Praefat. alii, quos paſſim landavimus in Prodr. 1. Cap. IV. Syllabo I. per totum, tum in hoc Prodr. III. Prolegom. I. § 1.

At prae ceteris conſulendus qui prae ceteris, mea opinione, rem hanc fuſius, nobilius, adcuratius & magis didactice pertractavit, diſcuſſit, definivit, Didacticus ille ac eruditiſſimus *Alſtedius* in Enclyclop. l. 24. ubi de Scholaſtica, ſeu de rebus quoquo modo Scholam ſpectantibus, addito florilegio ex ſententiis L. An. Senecae & aliorum ad ſuam Scholaſticam pertinentibus, necnon duplici rurſus oratione in idem argumentum.

(*l*) Ex pag. 1. 4. 7. 119.

bardiana Synopſis praeferebat, expoſitionem. (*m*) Quin immo poſtremis Seculis, fere penitus obliterata Lombardi memoria, aliorſum Scholae ſyſtemata Scholaſtica, & ſyſtematum metas ſibi dirigendas, probandaſque duxerunt. (*n*)

282 II. Ex iis vero duplex generatim Schola conſtitui poteſt, quae ſub ſe reliquas omnino comprehendat. Nimirum *Libera*, ſeu *Eclectica*, & *Addicta*. Ex iis autem Libera nullum expreſſe Authorem ſequi ut Magiſtrum profitetur; ſed libere optimos quoſque praeferendo, in ſingulis quaeſtionibus proprium ſenſum expedite profert, ac eos, quos melius ſenſiſſe judicat, vel ut Duces, vel ut Authores ſibi faventes adlegat. Hujuſce Scholae fuerunt pene univerſi SS. Patres, aliique TT. quos recens doctiſſimus *Bonae-Spei* aemulatus eſt (*o*), & noviſſime Cl. V. *Euſebius Amort* [*p*]. Addicta vero ſequi profitetur unum aliquem expreſſe Authorem ut Magiſtrum & Dominum, cui ſeſe addicit, nec ab eo ſine gravi cauſſa recedit. Hujus Scholae fuerunt, ac modo ſunt ut plurimum TT., praeſertim ex quo Scholaſtice coepta eſt doceri in Academiis, ſacriſque familiis. Haec autem Schola totuplex eſſe poteſt, quot ſunt Authores digni, quos in ſingularibus opinionibus alii ut Magiſtros ſequantur.

283 III. Scholae celebriores addictae, communiori nomine ac plauſu uſque modo florentes ſuperius percenſitae ſunt (*q*); quibus binas praeterea noſtris diebus percelebres adjicere licet; nimirum *Noriſianam*, quam Auguſtinenſes hujus Seculi, *Bellelo*, & *Bertio* coryphaeis, ſibi pro virili propugnandam ſuſceperunt; & *Anti-Noriſianam*, quam aliae permultae Scholae, *Fenelonio*, *Aſſermeto*, ac *Tournelyo* Ducibus, ardenti animorum ſtudio profitentur. (*r*)

284 QUAESTIO II. Quid de *Syſtematis*? ADSERO I: Heic Syſtema ſumitur pro perpetuo quodam fluxu, ſeu curſu univerſae doctrinae Scholaſticae, ſub certis principiis, & exinde enatis theſibus ſtabilitae, probatae ac vindicatae. II. Multa poſſunt inſtitui particularia Syſtemata in praelongis de univerſa Scholaſtice diſciplinis, ſecundum objecta non admodum inter ſe connexa, de quibus differunt: at ſecundum doctrinae conſequentiam, ut vocant, ubicumque rationis connexio intercedat, nequit una doctrinae particula ab altera vel latum unguem diſcrepare.

285 III. Syſtema aliquod particulare uniuſcujuſque ſingularis Scholae character eſt. Hinc Scholae permultae, ſeu, quod in idem recidit, permulti Profeſſores & Candidati certo cuidam Syſtemati propugnando addicti, quantumvis eaſdem admittant & profiteantur veritates revelatas, ut ipſas tamen dilucidius detegant, aut confirment, diverſa ſtatuunt principia pro diverſis Syſtematis, quibus unaquaeque ab altera diſtinguitur & operoſe impugnatur. §. V.

(*m*) Ex pag. 9.

(*n*) Ex pag. 12.

(*o*) In Theol. Schol., quod & ipſe fatetur in praefat. tomi 1. Horatianum illud ſibi propoſitum adducens ac feſtive decantans, *Nullius addicti jurare in verba Magiſtri*.

(*p*) In ſua Theologia Eclectica Morali & Scholaſtica tomis 4. in fol.

(*q*) Pag. 12. & 13.

(*r*) Relege Hiſtoriam Scholaſtices, in Controv. VIII. pag. 39.

§. V.

De receptioribus circa Scholaſticen Syſtematis.

286 QUAESTIO I. Quid generatim de oeconomia, ſeu generali ac ordinata partium diſtributione penes univerſam Scholaſticen ab Authoribus Syſtematicis obſervata? ADSERO: Multa a multis edita ſunt Syſtemata, & quidem ſingula uniuſcujuſque indoli, ingenio, ac opinioni adcommodata. Immenſus ero ſi percenſere ſingula adgrediar. Ceterum nonnulla, & quidem probatiſſima, quae claro exemplo ſint aliis Scholaſtices Profeſſoribus, huc per ſumma capita duximus indicanda. Itaque

287 Syſtema *Magiſtri* partitur ſacram doctrinam ſub IV. libris in Theologiam de rebus, ac Theologiam de ſignis, prout ſuperius expoſitum eſt. (*s*)

288 Syſtema *Alexandri Alenſis* IV. Partibus tributum ſic diſſerit. Pars I. de Adtributis ac Trinitate Dei... Pars II. de rerum creatione ac de peccatis eam ſubſequutis... Pars III. de Chriſto, Legibus, Gratia, Fide... Pars IV. de Sacramentis, Eccleſiae Clavibus, Jejunio, Eleemoſyna &c. (*t*)

289 Syſtema *Alberti M.* [*u*], vel *Petri de Tarentaſio* (*x*), vel cujuſdam *F. Thomae* [*y*] vel *Hugonis Argentinenſis* (*z*) in brevi totius Theologiae Compendio in VII. libros digeſto haec habet Capita praecipua. I. de natura Divinitatis. II. de Operibus Conditoris... III. de corruptela peccati... IV. de Humanitate Chriſti... V. de Sanctificatione gratiarum... VI. de Virtute Sacramentorum... VII. de ultimis temporibus, & de poenis malorum, ac praemiis bonorum.

290 Syſtema *S. Thomae* in Summa, quam pro tyronibus methodico Compendio erudiendis concinnavit (*a*), ſacram doctrinam partitur in *Theologiam de Deo in ſe*, vel ſecundum ſua intrinſeca praedicata, & *Theologiam de Deo ut fine creaturae rationalis*, vel ſecundum ea, quae competunt creaturae rationali, quatenus pro principio & fine aeterno Deum habet. Quin etiam ſecundum membrum ſubdividit in *Theologiam de motu creaturae in Deum* per Chriſtum, ejuſque Sacramenta. Capita haec in III. Partes diſtribuit Angelicus, quarum tamen II., quoniam quaeſtionibus ſuperabundat, rurſum in duas Partes ſubſecuit, fecitque Primam ſecundae, ac Secundam ſecundae. (*b*)

(*s*) Pag. 5. 44. 46.

(*t*) Haec eſt diviſio ſummae Alenſianae in ejuſdem antiquiore editione Veneta de an. 1575. apud Franciſcum Franciſcium, eſto alia ſit, videlicet in tres Partes, in recentiore editione Colonienſi, quam laudavimus pag. 8.

(*u*) Ut arbitratus eſt cum *Seraphino Capponio a Porrecta*, & aliis *Poſſevin.* in Bibliotheca ſel. l. 3. c. 9.

(*x*) Ap. *Ludov. de Valleoleti*, *Luſitanum* & *Altamuram* ex *Echard.* in Bibl. Scriptorum O. P. in Petro de Tarentaſio.

(*y*) Huic illud adjudicat S. *Antoninus* in hiſt. par. 3. tit. 18. c. 11. §. 2.

(*z*) Ex ſententia laud. *Echardi* in Hugone Argent. tom. I. p. m. 470.

(*a*) Eodem teſte in Summae Prologo.

(*b*) Hoc ſyſtema ſuperius commendavimus a pag. 8. & p. 82.

291 Syſtema *Laurentii a Villavincentio*, Auguſtiniani Eremitae, qui magna ſapientiae laude inclaruit an. circiter 1560., (*c*) haec generaliſsima Capita, quae cetera quaeque ſingularia rite comprehendunt, ſtatuit. I. Deus... II. Creatura atque homo... III. Eccleſia... IV. Doctrina... V. Sacramenta... VI. Conſummatio.

292 Syſtema *Joannis Maldonati*, quum Pariſiis Scholaſticen traderet an. circiter 1750., praemiſſa Prolegomena tractatione de Theologiae dotibus, ipſam hoc ordine diſtribuit in quinque Partes. Pars I. de Deo per ſe... II. de Dei effectis per ſe... III. de Deo & rebus effectis comparate, e. g. de Providentia, Praediſtinatione. &c... IV. de Virtutibus, atque officiis earum & effectis... V. de Chriſto Domino & de Sacramentis. Adjiciuntur tractatus iis de rebus, quibus Theologia planius percipi poteſt, v. c. ex re ſubjecta, ex principiis, ex argumentis &c. Tandem adhibentur Synodi ac Patres ad haereſes, quae tum potiſſimum vigebant, revincendas. (*d*)

293 Syſtema *Petri a S. Joſeph*, Fulienſis Monachi, qui clarus Theologus audiebat ſub an. circiter 1640. (*e*) Scholaſticen, ſeu ſpeculativam Theologiam in haec membra Capitalia diſſecat, praemiſſo Prolegomeno de Theologia ſecundum ſe. I. de Deo ut uno... II. de Deo ut Trino... III. de Verbo incarnato... IV. de Angelis... V. de Auxiliis divinis... VI. de Gratia habituali. Cetera ad alias Theologias, qua Sacramentalem, qua Moralem rejicienda duxit. (*f*)

294 Syſtema *Dionyſii Petavii* ſub X. Tractatibus Theologicam doctrinam Scholaſticam, Poſitivam & Dogmaticam exponendam ſibi conſtituit. Nimirum, praejactis in ſuam Theologiam Prolegomenis, Tract. I. de Deo, ejuſque Proprietatibus... II. de Trinitate... III. de Angelis... IV. de Mundi Opificio... V. de Incarnatione... VI. de Sacramentis... VII. de Legibus... VIII. de Gratia... IX. de Fide, Spe, Caritate, ac Virtutibus... X. de peccato. [*g*]

295 Syſtema *Joannis Gisbert* ſacram diſciplinam exponendam, dividendam ac illuſtrandam proponit ſub hoc ſpecioſo titulo, *Scientia Religionis univerſa, ſeu Chriſtiana Theologia Hiſtoriae Eccleſiaſticae nova methodo ſociata, quaeſtiones Theologicas Juris* (hoc eſt Scholaſticas (& *Facti* (videlicet Hiſtoricas) *complectens*; ac deinde ſub hoc trium Partium diſtributione I. de Deo in ſe: ubi de divinis Perfectionibis abſolutis ac relativis... II. de Deo in Chriſto: ubi de Chriſto ac Ss. ejus Matre... III. de Deo in Creatura, ſpectata videlicet ſecundum ordinem naturae, ſecundum ordinem Gratiae, ſecundum ordinem Gloriae: ubi ordinate ac reſpective de ceteris, quae Scholaſtice comprehendit. (*h*)

296 QUAE-

(*c*) Hoc ipſe delineavit in tr. de ratione ſtudii theologici l. 3. c. 3.

(*d*) Hoc ſyſtema ab uno *Poſſev.* proxime laud. l. 3. c. 9. excepimus.

(*e*) In theſibus univerſae Theologiae Speculativae, Sacramentalis & Moralis, part. I.

(*f*) At fortaſſe Scholaſtice ſe in illa Idea nimis mancam & mutilam apud aequos rerum aeſtimatores merito conqueratur.

(*g*) Ita nobis propoſuerat clarus Author in Prolegomenis in Theologica Dogmata, cap. 9., ceterum ex iis, quatuor poſtremi Tractatus deſiderantur.

(*h*) Hoc delinearat, ſibique conficiendum duxerat *Gisbertus* in ſuo Organo novae Theologiae ſub initium, ubi de Diſtributione materiae Theologicae.

296 QUAESTIO II. Quid ſpeciatim de receptioribus Syſtematis apud Scholas? ADSERO I. Sub I. Scholaſtices Epocham, ſecundum noſtram ſupputationem (*i*) praeprimis, aut unice obtinuit Lombardianum; quemadmodum teſtatur illuvies illa Commentariorum ex omni pene Schola in Magiſtri Literam; ubi rarum aut nullum reperire licet Interpretem in unum aliud Scholaſticum Syſtema. (*k*) II. Sub Epocham II. obtinuit univerſim ac frequentiſſime Thomiſticum, ſeu D. Thomae; id quod etiam aperte comprobat immenſa Interpretum ſeges ex plurimis Scholis in ejus Angelicam Summam.

297 Porro Scholae nonnullae hac aetate aliud a Thomiſtico Syſtemate perſequuti ſunt, ut Scotica, Bonaventuriſtica, Aegidiana, & ex parte Anſelmiana. Sed ex iis tamen tres priores, tametſi diverſas a Thomiſticis tenuerunt ſententias, utpote ſuorum Ducum & Patronorum doctrinis (ſi Superis placet) conſentaneas; at non aliud adoptarunt Syſtema, quam Lombardianum, in iis, quae ſui Duces adſeruerant in Commentariis ad Lombardi literam; nec enim Scotus, nec Bonaventura, nec Aegidius ullum quod ſciam, peculiare totius Scholaſtices Syſtema, quo inſtitueremur, literis conſignavit. Id quod pari jure dixero de Bachonica, quae, vel a *Petro Cornejo de Pedroſa*, (*l*) vel potius a *Joſeph Zagaglia* (*m*) ſumpſit exordium. Anſelmiana demum, ſi ejus Inſtitutorem Aguirrium conſulas, nec Syſtemate univerſali, & abſoluto gaudet, nec alium in iis, quae differit ad mentem S. Anſelmi, fere perſequitur ordinem, quam qui in Summa Thomiſtica praefertur.

298 III. Sub Epocham III. in Schola Thomiſtica & Jeſuitica religioſe ut plurimum hucuſque ſervatus eſt generalis ordo, qui in Syſtemate S. Thomae praefulget; ac in aliis pariter Scholis ille idem generalis ordo in tradenda, excolendaque Scholoſtice, quem ſui principes inſtitutores, veſtigiis Ducum inſiſtentes, ſibi praefigendum duxerunt. Scholae vero liberae, ſive eclecticae, quandoquidem certum ducem, in cujus verba jurent, non adoptant, ita nec certum, fixumque habent ordinem, ſed quem aptiorem exiſtimant pro nutu & arbitratu perſequuntur. Ejuſmodi Scholae Magiſtros, cultoreſque dixeris multos e junioribus Theologis, e. g. *Boucatum*, *Jueninum*, *Tournelyum*, *Venerium*, *Perrimezium*, *Bertium*. (*n*)

§. VI.

Noſtrum Syſtema.

299 QUAESTIO I. Quid de eo generatim? ADSERO. Principio eſt Dogmatico-Scholaſticum, cum Hiſtoria Polemico-critica necnon documentis e re Antiquaria petitis methodice connexum & exornatum;

(*i*) A pag. 7. & 18.

(*k*) Confer in hanc rem, ſi lubeat, Prodr. I. p. 9. & Syllabum Authorum Scholaſticorum I. Epochae a p. 141.

(*l*) Ex pag. 13. & 169.

(*m*) Si eidem in praefatione tomi primi ſuae Thelogiae praeloquenti fides ſit.

(*n*) Liquet aperte ex eorum Theologicis Commentariis.

tum ; & quidem quatenus ejuſmodi eſt ſub eiſdem perpetuis , praecipuiſque titulis circunſcribitur ; ita vero ut quoad ejus fieri poſſit , cuique quod ſuum eſt ordine tribuatur.

300 Ipſum deinde quaſi arte mathematica dimenſum, confectumque dixeris ; IV. enim Partibus abſolvitur , & ex iis quaelibet III. conſtat Tractatibus , & quotuſquiſque Tractatus Libris III. , cum opportunis Capitibus , Paragraphis , Corollariis , Adpendicibus , Conſectariis , Quaeſtionibus ; prout cujuſque Libri argumenta depoſcunt. Quin etiam omnes ipſae Partes & titulo & nomine Deum Optimum Maximum conſulto praeferunt ; quia enim ſacra Theologia re ac nomine tota de Deo eſt.

301 Inſuper quod ſingillatim Scholaſticen ſpectat , hanc univerſam in modum abſolutae , completaeque Synopſeos redactam exhibet ; quaeſtiones cùm ab Antiquis , tùm a Junioribus agitatas (& quidem nervoſe , quantum fert Authoris imbecillitas) diſcutit ; fere nihil intactum relinquit : ut nempe qui ſeu docturus ſeu docendus optet univerſam Scholaſticen compendio agnoſcere , heic eam tanquam in geographica charta delineatam perſpiciat.

302 Enim vero ea arte Quaeſtiones diſponit ac diſputat , ut quas nos , perpenſis omnibus, arbitramur moderno Scholae mori ac uſui magis adcommodatas , eas aut adcuratius , aut fuſiore calamo pertractet ; quas vero minus conſonas , nec quidquam modernis velitationibus pro noſtri Aevi moribus & uſibus apud Scholas proficuas , quam maxima celeritate , adjecto etiam afteriſco * , percurrat : quo fiet etiam , ut quotuſquiſque admoneatur , quas prudens debeat in Scholae palaeſtra verſare , quas vero defugere . Cetera animadverſione digniora alio tanquam in ſedem propriorem rejecimus (*a*).

303 QUAESTIO II. Quid de eo ſpeciatim ? ADSERO. Ipſum laſſime deſcriptum , nec forte leviter exornatum , habes ſuperius (*p*). Ne vero & ipſius quoque Synopſeos ulterior Synopſis , quam prae manibus habere liceat Scholaſticen noſtram adgreſſuro , deſideretur , en deſcripti Syſtematis ſpecimen , quod methodicam praecipuorum ejus capitum Summam repraeſentat.

UNIVERSAE THEOLOGIAE

DOGMATICO-SCHOLASTICAE

PARS I.

DEUS UNUS AC TRINUS.

TRACTATUS I. de Deo Uno.
- LIBER I. de Natura Dei.
- LIBER II. de Scientia Dei.
- LIBER III. de Voluntate Dei.

TRACTATUS II. de Deo Providente.
- LIBER I. de divina Providentia generatim.
- LIBER II. de divina Providentia Praedeſtinante.
- LIBER III. de divina Providentia Reprobante.

TRA-

(*a*) Adiſis *Praefat. Generalem*.

(*p*) A pag. 219.

TRACTATUS III. de Deo Trino.
- LIBER I. de divinis Personis universe.
- LIBER II. de Patre & Filio.
- LIBER III. de Spiritu Sancto.

PARS II.

DEUS PRINCIPIUM ET FINIS CREATURARUM.

TRACTATUS I. de Creatione rerum.
- LIBER I. de Opificio sex dierum.
- LIBER II. de Angelo.
- LIBER III. de Homine.

TRACTATUS II. de Homine lapso.
- LIBER I. de Libertate.
- LIBER II. de Lege.
- LIBER III. de Primario Hominis lapsu.

TRACTATUS III. de Fine Hominis.
- LIBER I. de ultimo Fine Hominis generatim.
- LIBER II. de Felicitate Hominis.
- LIBER III. de Infelicitate Hominis.

PARS III.

DEUS FINIS PER VIRTUTES OBTINENDUS.

TRACTATUS I. de Gratia.
- LIBER I. de Ente Supernaturali.
- LIBER II. de utraque Gratia.
- LIBER III. de Merito.

TRACTATUS II. de Virtute.
- LIBER I. de Virtutibus Theologicis.
- LIBER II. de Virtutibus Moralibus Cardinalibus.
- LIBER III. de Virtutibus Moralibus Adnexis: cum Consectario de Spiritus S. Donis, Beatitudinibus, Fructibus. (q)

TRACTATUS III. de Peccato.
- LIBER I. de Passione.
- LIBER II. de Actu humano.
- LIBER III. de Peccato personali: cum Consectario de Vitio.

PARS IV.

DEUS-HOMO.

TRACTATUS I. de Christo.
- LIBER I. de Matre Christi.
- LIBER II. de Christo in Mysterio Incarnationis.
- LIBER III. de Christo perfectissimo: cum Consectario de Vita Christi.

TRACTATUS II. de Christo Authore Sacramentorum generatim.
- LIBER I. de Natura Sacramentorum.
- LIBER II. de Caussis Sacramentorum.
- LIBER III. de Effectibus Sacramentorum: cum Consectario de Sacramentalibus.

TRACTATUS III. de Christo Authore Sacramentorum, & Sacrificiorum speciatim.
- LIBER I. de Ss. Eucharistia, qua Sacramentum est.
- LIBER II. de Ss. Eucharistia, qua Sacrificium est.
- LIBER III. de Reliquis Sacramentis: cum Consectario de Ecclesia Christi. (r)

OBJE-

(q) Hoc autem Consectarium ob incogitantiam praetermissum fuit superius in *Systemate Operis* sub Cap. IV. de adnexis Temperantiae, pag. 255.

(r) Porro hoc ipsum Systema jamdiu in scenam prodiit. Equidem florentissimus in Schola Auditor noster *Narcissus Caragol* an. 1758. in publicis Thesibus, praenotatis, *Theologia Jesuitico-Scholastica, ex Tractatuum decade in selectam thesium, ac problemmaton Hecatomben redacta*, Systema protulit, ejusque constructionis methodum, tanquam optime ordinatam, sibique constantem, sub Authoris patrocinio propugnandam suscepit.

OBJECTIONES.

304 Obj. *primo*: Hoc Syſtema deficit quoad Materiam traditam: agit enim de Opificio VI. dierum, quod plane Biblicos ſpectat: de Libertate, Paſſione, Actu humano, quod Ethicam Philoſophiam: de Lege, Virtute, Sacramentis, quod ad Theologiam Moralem: de Eccleſia Chriſti quod ad Polemicam. *Secundo*: deficit quoad methodum, aut ordinem in tradenda materia: quoniam prius agendum eſt de Relationibus Dei ad Deum, videlicet de Deo Trino, quam de Relationibus Dei ad creaturas, nempe de Deo Omnipotente, Sciente, Providente ac ſimilibus: quin etiam ſub eodem ſimul Titulo differendum erat de extremis illis adeo connexis, puta de Libertate, Lege, Paſſione, Actu humano; ac ſub eodem pariter de Peccato Originali ac Perſonali, non ita vero diviſim, ſub diverſis Partium Titulis: demum poſt Deum dignitatis ordo poſtulat, pertractari prius de Deo-Homine, quam de Angelo, puro homine, ceteriſque creaturis.

305 R. Ad 1. *N. A.* Quantumvis haec materia multiplex nihilo ſpectet Theologiam directam Scholaſticam, plane indirectam oppido ſpectat, quae nempe de iis omnibus ex profeſſo differit (quemadmodum Dogmatice modo, rituque dogmatico) modo, rituque ſpeculante, ſeu, quod ajunt, ſpeculativo; & quidem ex inſtitutione primorum Scholaſtices Authorum, cum communi adſenſu ſuccedentium Scholae Doctorum, qui Scholaſticas diſciplinas didactice tradiderunt. Rationem methodi, connexionis, ac tractationis fere in haec ſingula reddit *Syſtema Operis* (*s*).

306 Ad 2. *N. A.* Profecto multifariam, & ſub conſpectibus pene toto Coelo diſtantibus, ejuſcemodi ordo inſtitui poteſt, quin fere ullibi ſua deſit congruentia. Rurſus forte necquiquam duos Authores quaeſieris, qui in uno eodemque res theologicas exponendi ordine penitus conveniant. Immo perrarum eſt, quod omnibus placet, Syſtema. Ipſum quidem Lombardianum, tot, tantiſque primi ſubſelli Viris probatiſſimum & cooptatum, *Melchior Canus* (*t*) ut ei Thomiſticum, ſeu obſervatum ab Angelico Doctore in Summa, ſummo intervallo praeferat, vehementer reprehendit; at ipſum Thomiſticum *Nonnemo* in melius poſſe corrigi exiſtimavit, immo in nonnullis corrigendum conſulit (*u*). Et vero nobis, re adcurate perpenſa, perplacuit hoc ordine deſignato procedere, & quidem non ſine gravibus congruentiis, quas etiam in laudato *Syſtemate* frequenter innuere non gravamur.

CLAU-

(*s*) A pag. 219. ad uſque 268.
(*t*) De locis l. 12. cap. 3.
(*u*) Conf. *Poſſevinus* in Biblioth. ſelecta lib. 3. c. 12.

CLAUSULA.

307 ABſolvimus tandem Prodromum, immo totam praeliminaris doctrinae ſpartam ad noſtram Theologiam, ad umbilicum perduximus. Sat Prodromis datum, ut nihil in poſterum eis dandum ſuperſit; quo expeditius ac remis, veliſque, ut ajunt, mare magnum & quam difficile percurrere liceat. Quid enim vero prohibet, emenſo jam praevio itinere, metam contingere, ac in Auguſtum arcanae Diſciplinae ſacrarium humili, modeſto, ac reverenti, ut par eſt, animo & corde inferre pedem, ut nempe a cognitione Summi Boni ad ardentiſſimum ejuſdem amorem rapiamur?

308 Age vero qui prooemialibus hiſce Opuſculis inſtitutus, univerſam Dogmatico-Scholaſticam doctrinam cum Polemico-Critica Hiſtoria connexam, vel erudiendus, vel alios eruditurus, tibi comparandam duxiſti. Dicendorum ſummam & ordinem jam noſti: quique poſtremum de Prolegomenis ad Theologiam Adparatum luſtraveris, conjicias, tibique perſuadeas, oportet, noſſe jam ceterorum, quae propediem cudentur, Voluminum characteres, videlicet indolem, ſtructuram, artificium, varium, opportunumque cuique rerum particulae ſtilum; & quidem non modo ex Authoris calamo, verum etiam ex eiſdem omnino Typotheticis formis.

Ergo ut omnia bene ſint, ac fortunatiſſimus ſuccedat pro meis votis initio finis, cedant dicta AD MAJOREM DEI GLORIAM, Sacratiſſimi JESU CORDIS obſequium, Immaculatae Sapientiae Matris MARIAE laudem, Dogmatico-Scholaſticorum Doctorum AUGUSTINI, THOMAE, BONAVENTURAE praeconium, Angelici Theologi ALOYSII GONZAGAE honorem, Scholae univerſae, immo Lectorum omnium utilitatem.

PRAE PRIMIS EMENDANDA.

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE.
2	28	*in tit. Art. IV.* excerpta	excepta.
6	3	Abbate	Abbati.
7	17	Fornacenſis	Tornacenſis.
9	29	Angelicae	Angelici.
21	11	Mendicantim	Mendicantium.
21	36	Budaeus	Bulaeus.
23	13	Apologis	Apologiis.
35	31	recepiſ-ſes	recepiſ-ſet.
40	16	quae Mechanica	quae quaſi Mechanica.
52	36	Conciliarum	Conciliarium.
54	(*l*)	objectionum ſolutionu	objectionum ſolutionibus.
55	25	expugnens	expungens.
56	24	Oxomenſi	Oxomenſi.
58	(*e*)	noſtris praeſcritim	praeſertim.
59	1	Duaceſis	Duacenſis.
60	14	an. 12.	a n. 12.
63	39	Thomaſticam	Thomiſticam.
64	17	vallicare	vellicare.
65	15	Haereſiarchas	Haereſiarches.
65	(*g*)	Ptrierenſis	Prierenſis.
69	(*z*)	facere	facęte.
73	4	quae ipe	quae ipſe.
74	11	Romanis	Romani.
75	36	ſuſpectis	ſuſpectus.
76	(*c*)	de re literalia	de re literaria.
84	30	complectituri	complectitur in.
90	43	da Luzàn	de Luzàn.
91	15	Joannes Fauſtus Raulin	Joannes Facundus.
95	18	illuſtratum	illuſtratarum.
99	20	legitimi	legitimum.
102	24	nitidus	nitidius.
112	11	Bojoarienſis	Bajoarienſis.
112	12	Coenobio	Coenobium.
122	51	recitat. D'Acherius	recitat D'Acherius.
123	10	Baſileeſis	Baſileenſis.
125	21	*in margine* 2564.	1564.
126	14	*Sigonenſis*	*Sigenenſis*.
126	(*z*)	erectiones	erectionis.
126	21	Borruſiae	Boruſiae.
164	1	Herfordienſi	Erfordienſi.
165	42	Razzius	Ractius.
167	34	claritatis	caritatis.
172	40	Tuitenſis	Quitenſis.
185	46	Deos ſciente	Deo ſciente.
194	34	Ludovic. Oxea	Ludovic Exea.
196	44	literi	literis.
201	(*e*)	Kojalovicz	Kojalovvicz.
201	28	1. Januar.	2. Februar.
204	42	Garzòn Jo.Matth.95.	195.
209	6	Aymar. Ant. Jac. 186.	187.
209	14	Bancel Ludov. 171.	178.
210	19	Bury Enricus 861.	161.
213	16	Rabago Franc. 186.	187.
217	28	*Roder. Anriaga*	*Arriaga*.
220	35	*Amort* Theol. eclectiva	eclectica.
221	42	*Arrub.* cit. a DD.	a D. 9.
237	16	*D. Th.* 1. p. q. 83. ac 1. u.	ac 1. 2.
242	35	*ſpdetat ad*	*ſpectant ad*
247	24	Pelagium & Celeſtium	Celeſtium.
250	2	*Pertinentia ad Deritum*	*ad Meritum*.
254	36	*De Dnexis*	*De Adnexis*.
255	*col.* 2	4 *S. Ephream*	*Ephraem*.
259	*col.* 2.	24 *Claudius Fraſſeu*	*Fraſſen*.
260	*col.* 1.	38 *ranc. Garau.*	*Franc. Garau*.
262	*col.* 1.	10 homil. de hermana	de humana.
266	*col.* 1.	13 *initio Vita Chriſti*	*Vitae Chriſti*.
270	*col.* 1.	1 *Juſtinus* D.	*Juſtinus* M.
270	*col.* 1	38 *S. Albertus* D.	*Albertus* M.
290	28	ſtolis	Apoſtolis.
304	40	con-ernens	con-cernens.
311	14	habentur	habetur.
316	29	(1) *col.* 2. *Reineſtus*	*Reineſius*.
320	34	*col.* 2. S. J. Imaginis	S. Imaginis.
340	34	tale habendum	tale habendam.
349	27	Eſt propoſito	Eſt propoſitio.
361	14	nim	enim
366	39	(**) multa veta	multa vera.
368	21	ceteriqui.	ceterique.
370	31	incunalibus	incunabulis.
377	31	(*K*) *col.* 2. Curiae	Curiae.
378	30	ſen	ſeu.
387	40	(*K*) *col.* 2. Enclyclop	Encyclop.

Leviores ceteros Errores pro ſua benignitate corriget Lector.

Haec praeterea protinus corrigenda.

Pag. 114. in nota (*a*) dicitur, tom. 2. Jun. ad diem 21. *Lege* ad diem 12.... *Pag.* 116. *lin.* 12. habes: 1262. In Helvetia = &c. *Lege*, Forte 1360. In Helvetia = &c. & hoc ſegmentum transferatur in pag. 119. ante lin. 29.... *Pag.* 119. *lin.* 28. habes: a Dagoberto Galliae Rege (*u*) *Haec dele ac Lege tantum*: *Herfordienſis* in Thuringia (*u*) Authore mihi inexplorato... *Pag.* 122. *lin.* 3. dicitur, confirmata a Carolo VIII. *Lege* Carolo VI.... *Pag.* 130. *lin.* 14. *Carnotenſis* deleatur... *Pag.* 189. *lin.* 4. *Ceillierius* Gallus, qui fl. 1709. *Lege* qui fl. 1740.... *Pag.* 212. *col.* 1. *lin.* 6. traditur, Jorſius Thomas 143. *Expungatur*.... *Pag.* 391. *lin.* 25. ſcribitur. Angelici Theologi. *Lege* Angelici Juvenis.

Morte certa, ora incerta,
Giudizio senz' appellazione.
Cristiano: due sono le sorti:
Paradiso eterno, Inferno eterno.
Pensaci bene ora, che sei in tempo.

208.9
G286
49203
GENÉR, S. J., JOANNES BAPTISTA
AUTHOR
Theologia Dogmatico-Scholastica
TITLE
Tomus I.
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | DAT RETI
STORAGE - CBPL
49203



208.9
G286
49203
GENÉR, S. J., JOANNES BAPTISTA
AUTHOR
Theologia Dogmatico-Scholastica
TITLE
Tomus I.
DATE LOANED | BORROWER'S NAME | DAT RETI
STORAGE - CBPL
49203